

UNIVERSITY OF TORONTO
DAD-A
SECTION 6
1-42

SANCTI
UGUSTINI
PERA OMN

38

BR65
A5
v. 38
1835-42

008001



1080014541

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
ALEXIS FLAMMAM
Episcopi Leonensis VERITATIS




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S.-CLODOALDI. — E TYPOGRAPHIA BELIN-MANDAR.

SANCTI AURELII
AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA,

MULTIS SERMONIBUS INEDITIS AUCTA ET LOCUPLETATA;

EXTRACTA E COLLECTIONE

SS. ECCLESIAE PATRUM;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

PLURIBUSQUE CLERI GALRICANI PRESBYTERIS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TRIGESIMUS OCTAVUS.



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Valverde y Telles

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

SANCTE SEDIS ORDINUM INSIGNIBUS DECORATUM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

MDCCLX.


g.
250
C

BR 65

A5

v. 28

1835-42



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SANCTI AURELII
AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS VI.

OPERA POLEMICA.

DE DIVERSIS QUESTIONIBUS OCTOGINTA TRIBUS,
LIBER UNUS.
DE DIVERSIS QUESTIONIBUS AD SIMPLICIANUM
LIBRI II.
DE OCTO DULCITHI QUESTIONIBUS, LIBER UNUS.

PARS VII.

EPISTOLÆ.

CLASSIS I.

CXLV.



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria



44691

008001

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS

OCTOGINTA-TRIBUS.

LIBER UNUS¹.

QUÆSTIO I. — Omne verum a veritate verum est ; et omnis anima eo anima est , quo vera anima est. Omnis igitur anima ea veritate habet ut omnino anima sit. Aliud autem anima est , aliud veritas. Nam veritas falsitatem nunquam patitur , animi vero sæpe fallitur. Non igitur , cum a veritate anima est , a se ipsa est. Est autem veritas Deus : Deum igitur habet auctorem ut sit anima.

QUÆSTIO II. — Omne quod fit , ei a quo fit par esse non potest. Alioquin justitia , quæ sua cuique tribuere debet , de rebus auferatur necesse est. Hominem ergo Deus cum fecit , quanquam optimum fecerit ; non tamen id fecit quod erat ipse. Melior autem homo est qui voluntate , quam qui necessitate bonus est. Voluntas igitur libera danda hominibus fuit.

QUÆSTIO III. — Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parva ista culpa est , imo tanta est , quæ in sapientem quemvis hominem cadere nequeat. Est

¹ Inchoatus sub finem anni 388. — Vide *Retract.* lib. 1, cap. 26.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



44681

Cabildo Universitario
Biblioteca Universitaria



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



44681

Biblioteca Universitaria
Capilla Alfonso

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS

OCTOGINTA-TRIBUS.

LIBER UNUS¹.

QUÆSTIO I. — Omne verum a veritate verum est ; et omnis anima eo anima est , quo vera anima est. Omnis igitur anima ea veritate habet ut omnino anima sit. Aliud autem anima est , aliud veritas. Nam veritas falsitatem nunquam patitur , animi vero sæpe fallitur. Non igitur , cum a veritate anima est , a se ipsa est. Est autem veritas Deus : Deum igitur habet auctorem ut sit anima.

QUÆSTIO II. — Omne quod fit , ei a quo fit par esse non potest. Alioquin justitia , quæ sua cuique tribuere debet , de rebus auferatur necesse est. Hominem ergo Deus cum fecit , quanquam optimum fecerit ; non tamen id fecit quod erat ipse. Melior autem homo est qui voluntate , quam qui necessitate bonus est. Voluntas igitur libera danda hominibus fuit.

QUÆSTIO III. — Nullo sapiente homine auctore fit homo deterior. Non enim parva ista culpa est , imo tanta est , quæ in sapientem quemvis hominem cadere nequeat. Est

¹ Inchoatus sub finem anni 388. — Vide *Retract.* lib. 1, cap. 26.

autem Deus omni homine sapiente præstantior. Multo minus igitur auctore fit homo deterior. Multo enim præstantior Dei voluntas, quam hominis sapientis est. Illo autem auctore cum dicitur, illo volente dicitur. Est ergo vitium voluntatis quo est homo deterior: quod vitium si longe abest a Dei voluntate, ut ratio docet, in quo sit quærendum est.

QUÆSTIO IV. — Ut sit homo deterior aut in ipso causa est, aut in alio aliquo, aut in nihilo. Si in nihilo, nulla causa est. Aut si ita accipitur in nihilo, quod homo ex nihilo factus est, vel ex iis quæ ex nihilo facta sunt; rursum in ipso erit causa, quod ejus quasi materies est nihilum. Si in alio aliquo, utrum in Deo, an in quolibet alio homine; an in eo quod neque Deus, neque homo sit. Sed non in Deo; bonorum enim Deus causa est. Si ergo in homine, aut vi, aut suasionem. Sed vi nullo modo, ne sit Deus valentior. Si quidem Deus ita optime hominem fecit, ut si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur. Suasionem autem alterius hominis si concedimus hominem depravari; rursum quærendum erit, suator ipse a quo depravatus sit. Non enim potest pravus non esse talium suator. Restat nescio quid, quod nec Deus, nec homo sit; sed tamen hoc quidquid est, aut vim intulit, aut suasit. De vi hoc respondetur quod supra; de suasionem autem quidquid est, quia suasio non cogit invitum, ad ejusdem hominis voluntatem causa depravationis ejus redit, sive aliquo, sive nullo suadente depravatus sit.

QUÆSTIO V. — Animal quod caret ratione, caret scientia. Nullum autem animal quod scientia caret, beatum esse potest. Non igitur cadit in animalia rationis expertia ut beata sint.

QUÆSTIO VI. — Omne quod est, aut est corporeum, aut incorporeum. Corporeum sensibili, incorporeum autem

intelligibili specie continetur. Omne igitur quod est, sine aliqua specie non est. Ubi autem aliqua species, necessario est aliquis modus, et modus aliquid boni est. Summum ergo malum nullum modum habet, caret enim omni bono. Non est igitur; quia nulla specie continetur, totumque hoc nomen mali de speciei privatione repertum est.

QUÆSTIO VII. — Animal aliquando ita dicitur, ut cum mente intelligatur; veluti cum dicimus hominem ex anima et corpore constare: aliquando ita, ut excepta mente dicatur. Sed cum excepta mente dicitur, ex iis operibus intelligitur quæ habemus cum bestiis communia. Bestiæ namque carent ratione, quæ mentis semper est propria.

QUÆSTIO VIII. — Moveri per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem. Nam si volumus, non alius de nobis vult. Et iste motus animæ spontaneus est; hoc enim ei tributum est a Deo: qui tamen motus, non de loco in locum est, tanquam corporis. Localiter enim moveri corporis proprium est. Et cum anima voluntate, id est, illo motu qui localis non est, corpus suum tamen localiter movet, non ex eodem monstratur et ipsa localiter moveri. Sicut videmus a cardine moveri aliquid per magnum spatium loci, et tamen ipsum cardinem non moveri loco.

QUÆSTIO IX. — Omne quod corporeus sensus attingit, quod et sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur: velut cum capilli capitis nostri crescunt, vel corpus vergit in senectutem, aut in juventam efflorescit, perpetuo id fit, nec omnino intermittit fieri. Quod autem non manet, percipi non potest: illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur expectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis. Sed ne quis dicat esse aliqua sensibilia eodem modo semper manentia, et quæs-

tionem nobis de sole atque stellis afferat, in quibus facile convinci non potest; illud certe nemo est qui non cogatur fateri, nihil esse sensibile quod non habeat simile falso, ita ut internosci non possit. Nam ut alia prætermittam, omnia quæ per corpus sentimus, etiam cum ea non adsunt sensibus, imagines tamen eorum patimur tanquam prorsus adsint, vel in somno, vel in furore. Quod cum patimur, omnino utrum ea ipsis sensibus sentiamus, aut imagines sensibilibus sint, discernere non valemus. Si igitur sunt imagines sensibilibus falsæ, quæ discerni ipsis sensibus nequeunt, et nihil percipi potest nisi quod a falso discernitur, non iudicium veritatis constitutum in sensibus. Quamobrem saluberrime admonemur averti ab hoc mundo, qui profecto corporeus est et sensibilis, et ad Deum, id est, veritatem, quæ intellectu et interiore mente capitur, quæ semper manet et ejusdem modi est, quæ non habet imaginem falsi, a qua discerni non possit, tota alacritate converti.

QUÆSTIO X. — Omne bonum a Deo: omne speciosum bonum, in quantum speciosum est; et omne quod species continet, speciosum est. Omne autem corpus, ut corpus sit, specie aliqua continetur. Omne igitur corpus a Deo.

QUÆSTIO XI. — Deus cum liberat, non partem aliquam liberat; sed totum liberat, quod forte in periculo est. Sapientia ergo et Virtus Dei, qui dicitur unigenitus Filius, homine suscepto liberationem hominis indicavit. Hominis autem liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo, quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut foeminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de foemina natus est.

QUÆSTIO XII. — Agite, o, inquit, miseri mortales, hoc agite ne unquam polluat hoc domicilium malignus spiritus, ne sensibus immixtus incestet animæ sanctitatem, lucem-

que mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat coloribus, adhæret sonis, latet in ira, in fallacia sermonis, odoribus se subjicit, infundit saporibus, ac turbidi motus illuvie tenebrosi affectibus tenebrat sensus, quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis solet. Et quia radius æthereæ lucis est, in eoque speculum divinæ præsentiae: in hoc enim Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc recte facti meritum relucet: Deus ubique præsens est; tunc autem unicuique nostrum simul est, cum mentis nostræ illibata puritas in ejus præsentia se esse putaverit. Ut enim visus oculorum, si fuerit vitiatus, quidquid videre non potuerit, adesse non putat; frustra enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas desit: ita etiam Deus qui nusquam deest, frustra pollutis animis præsens est, quem videre mentis cæcitas non potest.

QUÆSTIO XIII. — Inter multa, quibus ostendi potest, hominem ratione bestiis antecellere, hoc omnibus manifestum est, quod belluæ ab hominibus domari et mansuefieri possunt, homines a belluis nullo modo.

QUÆSTIO XIV. — Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus: et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus.

QUÆSTIO XV. — Omne quod se intelligit, comprehendit se. Quod autem se comprehendit, finitum est sibi. Et intellectus intelligit se. Ergo finitus est sibi. Nec infinitus esse vult, quamvis possit; quia notus sibi esse vult, amat enim se.

QUÆSTIO XVI. — Deus omnium quæ sunt, causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ causa est: nec unquam Deus sine sapientia sua. Igitur

sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna : nec tempore prior est quam sua sapientia. Deinde si Patrem sempiternum esse inest Deo, nec fuit aliquando non Pater, nunquam sine Filio fuit.

QUÆSTIO XVII. — Omne præteritum jam non est ; omne futurum nondum est : omne igitur et præteritum et futurum deest. Apud Deum autem nihil deest : nec præteritum igitur nec futurum, sed omne præsens est apud Deum.

QUÆSTIO XVIII. — Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa igitur creatura si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, causam quoque ejus trinam esse oportet, qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit. Creaturæ autem causam, id est, auctorem Deum dicimus. Oportet ergo esse Trinitatem, qua nihil præstantius, intelligentius et beatius invenire perfecta ratio potest. Ideoque etiam cum veritas quaeritur, plus quam tria genera quaestionum esse non possunt, utrum omnino sit, utrum hoc an aliud sit, utrum approbandum improbandumve sit.

QUÆSTIO XIX. — Quod incommutabile est, æternum est : semper enim ejusdem modi est. Quod autem commutabile est, tempori obnoxium est : non enim semper ejusdem modi est, et ideo æternum non recte dicitur. Quod enim mutatur, non manet : quod non manet, non est æternum. Idque inter immortale et æternum interest, quod omne æternum immortale est, non omne immortale satis subtiliter æternum dicitur : quia etsi semper aliquid vivat, tamen si mutabilitatem patitur, non proprie æternum appellatur, quia non semper ejusdem modi est : quamvis immortale, quia semper vivit, recte dici possit. Vocatur autem æternum interdum etiam quod immortale

est. Illud vero quod et mutationem patitur, et animæ præsentia, cum anima non sit, vivere dicitur, neque immortale ullo modo, et multo minus æternum intelligi potest. In æterno enim, cum proprie dicitur, neque quidquam præteritum quasi transierit, neque quidquam futurum quasi nondum sit, sed quidquid est, tantummodo est.

QUÆSTIO XX. — Deus non alicubi est. Quod enim alicubi est, continetur loco : quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est corpus. Non igitur alicubi est : et tamen quia est, et in loco non est, in illo sunt potius omnia, quam ipse alicubi. Nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Locus enim in spatio est quod longitudine et latitudine et altitudine corporis occupatur : nec Deus tale aliquid est. Et omnia igitur in ipso sunt, et locus non est. Locus tamen Dei abusive dicitur templum Dei¹, non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit. Id autem nihil melius quam anima munda intelligitur.

QUÆSTIO XXI. — Quisquis omnium quæ sunt auctor est, et ad cujus bonitatem id tantum pertinet, ut sit omne quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit, ab eo quod est esse deficit, et tendit in non esse. Esse autem et in nullo deficere bonum est, et malum est deficere. At ille ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, id est, tendendi ad non esse : quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est : et propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium quæ sunt auctor est ; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.

QUÆSTIO XXII. — Ubi nulla indigentia, nulla necessitas : ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo : nulla ergo necessitas.

¹ Psal. v, 8.

QUESTIO XXIII. — Omne castum castitate castum est, et omne æternum æternitate æternum est, et omne pulchrum pulchritudine, et omne bonum bonitate. Ergo et omne sapiens sapientia, et omne simile similitudine. Sed duobus modis castum castitate dicitur, vel quod eam gignat, ut ea sit castum castitate gignit, et cui principium atque causa est ut sit; aliter autem cum participatione castitatis quidquid castum est, quod potest aliquando esse non castum: atque ita de cæteris intelligendum est. Nam et anima æternitatem vel intelligitur vel creditur consequi, sed æterna æternitatis participatione fit. Non autem ita æternus Deus, sed quod ipsius æternitatis est auctor. Hoc et de pulchritudine et de bonitate licet intelligi. Quamobrem cum sapiens Deus dicitur, et ea sapientia sapiens dicitur, sine qua eum vel fuisse aliquando, vel esse posse nefas est credere, non participatione sapientiæ sapiens dicitur, sicuti anima, quæ et esse et non esse sapiens potest: sed quod ipse eam genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam. Item illa quæ participatione sunt vel casta, vel æterna, vel pulchra¹, vel bona, vel sapientia, recipiunt, ut dictum est, ut possint nec casta esse, nec æterna, nec pulchra, nec bona, nec sapientia: at ipsa castitas, æternitas, pulchritudo, bonitas, sapientia, nullo modo recipiunt aut corruptionem, aut, ut ita dicam, temporalitatem, aut turpitudinem, aut malitiam. Ergo etiam illa quæ participatione similia sunt, recipiunt dissimilitudinem: at ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit, ut cum similitudo Patris Filii dicitur, quia ejus participatione similia sunt, quæcumque sunt vel inter se vel Deo similia, (ipsa est enim species prima, qua sunt, ut ita dicam, speciata, et forma qua formata sunt omnia;) ex nulla parte Patri potest esse

¹ Vide lib. 1 Retract. cap. 26, et lib. de Trinit. cap. 2.

dissimilis. Idem igitur quod Pater, ita ut iste Filius sit, ille Pater, id est, iste similitudo, ille cujus similitudo est; iste substantia, ille substantia, ex quo una substantia. Nam si non una est, recipit dissimilitudinem similitudo; quod fieri posse omnis verissima negat ratio.

QUESTIO XXIV. — Quidquid casu fit, temere fit; quidquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur. Si non providentia universus mundus administratur, est ergo aliqua natura atque substantia quæ ad opus providentiæ non pertineat. Omne autem quod est, in quantum est, bonum est. Summe enim est illud bonum, cujus participatione sunt bona cætera. Et omne quod mutabile est, non per se ipsum, sed boni immutabilis participatione, in quantum est, bonum est. Porro illud bonum, cujus participatione sunt bona cætera quæcumque sunt, non per aliud, sed per se ipsum bonum est, quam divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. Hoc constituto, consequens videtur, ut quidquid in mundo geritur, partim divinitus geratur, partim nostra voluntate. Deus enim quovis homine optimo et justissimo longe atque incomparabiliter melior et justior est. Justus autem regens et gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari. Meritum autem pœnæ, peccatum; et meritum præmii, recte factum est. Nec peccatum autem, nec recte factum imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio.

QUESTIO XXV. — Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo recte viveremus, suscipit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda non metuere. Mors autem metuenda non est. Oportuit ergo idipsum

illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem, ut ipsa mors metuenda non est, ita nullum genus mortis bene et recte viventi homini metuendum est. Nihilominus igitur hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius et formidolosius.

QUÆSTIO XXVI. — Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti, imperitiæ contraria est sapientiæ, malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sint peccata venialia. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur et hic et in futuro sæculo. Quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur; et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per pœnitentiam.

QUÆSTIO XXVII. — Fieri potest, ut per malum hominem divina providentia et puniat et opituletur. Nam Judæorum impietas et Judæos supplantavit, et Gentibus saluti fuit. Item fieri potest, ut divina providentia per hominem bonum et damnet et adjuvet, sicut ait Apostolus: « Aliis » sumus odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in » mortem¹. » Sed cum omnis tribulatio aut pœna impiorum sit, aut exercitatio justorum²; quia eadem tribula et paleas concidit, et frumenta paleis exuit, unde tribulatio nomen accepit: rursus cum pax et quies a molestiis temporalibus et bonos lucretur, et corrumpat malos: omnia

¹ 2 Cor. II, 16. — ² Vide lib. II de Gen. ad Litt. cap. 6.

hæc divina providentia pro meritis moderatur animarum. Sed tamen non sibi eligunt boni ministerium tribulationis, nec mali amant pacem. Quare ipsi quoque, per quos id agitur quod ignorant, non justitiæ quæ refertur ad Deum, sed malevolentiam suam mercedem accipiunt. Quemadmodum nec bonis imputatur, quod ipsis prodesse volentibus nocetur alicui, sed bono animo benevolentiam præmium tribuitur: ita etiam cætera creatura pro meritis animarum rationalium vel sentitur vel latet, vel molesta vel comoda est. Summo enim Deo cuncta bene administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est, sive scientibus sive nescientibus nobis. Sed in parte offenditur anima peccatrix: tamen quia pro meritis ibi est, ubi talem esse decet, et ea patitur quæ talem pati æquum est, universum regnum Dei nulla sua fœditate deformat. Quamobrem quoniam non omnia novimus quæ de nobis bene agit ordo divinus, in sola bona voluntate secundum Legem agimus, in cæteris autem secundum Legem agimur, cum Lex ipsa incommutabilis maneat, et omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderetur. « Gloria » igitur in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ » voluntatis¹. »

QUÆSTIO XXVIII. — Qui quærit quare voluerit Deus mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Sed omnis causa efficiens est. Omne autem efficiens majus est, quam id quod efficitur. Nihil autem majus est voluntate Dei. Non ergo ejus causa quærenda est.

QUÆSTIO XXIX. — « Quæ sursum sunt sapite². » Ea quæ sursum sunt sapere jubemur, spiritalia scilicet, quæ non locis et partibus hujus mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellentiæ suæ; ne in ejus mundi parte figamus animum nostrum, quo universo nos debemus

¹ Luc. II, 14. — ² Coloss. III, 2.

exuere. Sursum autem ac deorsum in hujus mundi partibus est. Nam universus nec ipse habet sursum aut deorsum. Corporeus est enim; quia omne visibile corporeum est. Nihil autem in universo corpore sursum aut deorsum est. Cum enim in sex partes motus fieri videatur, qui rectus dicitur, id est, qui circularis non est, in anteriora et posteriora, in dexteriora et sinisteriora, in superiora et inferiora, nulla omnino ratio est, cur universo corpori ante ac post nihil sit, et dextera ac læva, sit autem sursum ac deorsum. Sed eo considerantes decipiuntur, quod sensibus et consuetudini difficile obsistitur. Non enim tam facilis est nobis conversio corporis, quæ fit, si quis capite deorsum moveri velit, quam facilis est a dextera in lævam, vel ab anteriore in posteriorem partem. Quamobrem remotis verbis secum ipsi animo satagendum est, ut hoc cernere valeat.

QUESTIO XXX. — Ut inter honestum et utile interest, ita et inter fruendum et utendum. Quamquam enim omne honestum utile, et omne utile honestum esse, subtiliter delendi queat: tamen quia magis proprie atque usitatus honestum dicitur, quod propter se ipsum expetendum est, utile autem quod ad aliud aliquid referendum est; secundum hanc differentiam nunc loquimur, illud sane custodientes; ut honestum et utile nullo modo sibimet adversentur. Adversari enim hæc sibi aliquando imperite ac vulgariter existimantur. Frui ergo dicimur ea re, de qua capimus voluptatem. Utimur ea, quam referimus ad id unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana conversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti. Fruendum est autem honestis, utendum vero utilibus. Honestatem voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritalem nos

proprie dicimus; utilitatem autem, divinam providentiam. Quapropter quamquam sint multa pulchra visibilia, quæ minus proprie honesta appellantur; ipsa tamen pulchritudo, ex qua pulchra sunt quæcumque pulchra sunt, nullo modo est visibilis. Item multa utilia visibilia; sed ipsa utilitas, ex qua nobis prosunt quæcumque prosunt, quam divinam providentiam dicimus, visibilis non est. Notum sane sit visibilium nomine omnia corporalia contineri. Oportet ergo frui pulchris invisibilibus, id est, honestis: utrum autem omnibus, alia quæstio est; quamquam fortasse honesta non nisi quibus fruendum est, dici deceat. Utilibus autem utendum est omnibus, ut quoquo eorum opus est. Et frui quidem cibo et qualibet corporali voluptate non adeo absurde existimantur et bestię: uti autem aliqua re non potest nisi animal quod rationis est particeps. Scire namque quo quidque referendum sit, non datum est rationis expertibus; sed neque ipsis rationalibus stultis. Nec uti quisque potest ea re, quæ quo referenda sit nescit; nec quisquam potest scire nisi sapiens. Quare abuti rectius dici solent, quæ non bene utuntur. Non enim cuiquam prodest, id quo male utitur; et quod non prodest, non utique utile est. Utile autem quidquid est, utendo est utile: ita nemo utitur nisi utili. Non ergo utitur, quisquis male utitur. Perfecta igitur hominis ratio, quæ virtus vocatur, utitur primo se ipsa ad intelligendum Deum, ut eo fruatur, a quo etiam facta est. Utitur autem cæteris rationalibus animantibus ad societatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam etiam suam ad id refert, ut fruatur Deo: Ita enim beata est. Ergo et se ipsa utitur; quæ profecto inchoat miseriam per superbiam, si ad se ipsam, non ad Deum referatur. Utitur etiam corporibus quibusdam vivificandis ad beneficentiam; sic enim utitur suo corpore: quibusdam assumendis

vel respuendis ad valetudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad justitiam, quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum: utitur etiam iis a quibus se abstinere, ad temperantiam. Ita omnibus et sensis et non sensis utitur; nec aliquid tertium est. Judicat autem de omnibus quibus utitur: de solo Deo non judicat, quia secundum Deum de cæteris judicat; nec eo utitur, sed fruitur. Neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est. Quoniam omne quod ad aliud referendum est, inferius est quam id ad quod referendum est. Nec est aliquid Deo superius, non loco, sed excellentia suæ naturæ. Omnia ergo quæ facta sunt, in usum hominis facta sunt, quia omnibus utitur judicando ratio, quæ homini data est. Et ante lapsum quidem non utebatur tolerandis, nec post lapsum utitur nisi conversus, et quanquam ante mortem corporis, jam tamen quantum potest Dei amicus, quia libenter servus.

QUESTIO XXXI. — 1º. Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. Quare omnibus partibus ejus cognitis tota vis erit simplicis honestatis considerata. Habet igitur partes quatuor, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur antequam factum est. Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab natura profectum: deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: postea res et ab natura profectas et ab consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit. Natura jus est, quod non opinio genuit, sed quædam

innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert. Pietas, per quam sanguine conjunctis patriæque benevolens officium, et diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum et officiorum, alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur. Vindicatio, per quam vis aut injuria, et omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Observantia, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore dignamur. Veritas, per quam immutata ea quæ sunt aut fuerunt aut futura sunt dicuntur. Consuetudine autem jus est quod aut leviter a natura tractum aluit, et majus fecit usus, ut religionem, et si quid eorum quæ ante diximus, a natura profectum, majus factum propter consuetudinem videmus: aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit. Quod genus pactum est, par lex, judicatum. Pactum est quod inter aliquos convenit; par, quod in omnes æquale est; judicatum, de quo alicujus aut aliquorum jam sententiis constitutum est. Lege jus est, quod in eo scripto, quod populo expositum est ut observet, continetur. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum permissio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio. Fidentia est per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. Patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna permissio. Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos

impetus animi firma et moderata dominatio. Ejus partes, continentia, clementia, modestia. Continentia est per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium alicujus illecti concitatae comitate retinentur. Modestia, per quam pudor honestus claram et stabilem comparat auctoritatem.

2°. Atque hæc omnia propter se solum, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt. Quod ut monstretur, neque ad hoc nostrum institutum pertinet, et a brevitate præcipiendi remotum est. Propterea se autem vitanda sunt, non ea modo quæ iis contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et justitiæ injustitia; verumetiam illa quæ propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime. Quod genus fidentiae contrarium est diffidentia, et ea re vitium est: audacia, non contrarium, sed appositum ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum, ut audacia quæ fidentiae, pertinacia quæ perseverantiae finitima est, superstitio quæ religioni propinqua est; aut sine ullo certo nomine: quæ omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus vitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adjungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur.

3°. Sunt igitur multa quæ nos, cum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt. Quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicujus honesta et cultu et honore et verecundia digna auctoritas. Amplitudo est potentia, aut majestas, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa quem diligit, cum ejus pari vo-

luntate. Hic quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur, ne forte qui nos de omni amicitia dicere existimarint reprehendant. Quanquam sunt qui propter utilitatem modo petendam putent amicitiam, sunt qui propter se solum, sunt qui et propter se et propter utilitatem. Quorum quid verissime statuatur, alius locus erit considerandi.

QUÆSTIO XXXII. — Quisquis ullam rem aliter quam ea res est intelligit, fallitur: et omnis qui fallitur id in quo fallitur non intelligit. Quisquis igitur ullam rem aliter quam est intelligit, non eam intelligit. Non ergo potest quidquam intelligi, nisi ut est. Nos autem aliquid non ita ut est intelligimus, velut hoc ipsum nihil intelligi, quod non ita ut est intelligitur. Quare non est dubitandum esse perfectam intelligentiam, qua præstantior esse non possit; et ideo non per infinitum ire quod quæque res intelligitur, nec eam posse alium alio plus intelligere.

QUÆSTIO XXXIII. — Nulli dubium est non aliam metuendi esse causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. Quare quisquis hoc ipsum non metuere amaverit atque habuerit, quis metus est ne id possit amittere? Multa enim quæ amamus et habemus, metuimus amittere; ita ea custodimus metu: non metuere autem nemo potest custodire metuendo. Item quisquis amat non metuere, atque id nondum habet, speratque se habiturum, non eum oportet metuere ne non adipiscatur. Hoc enim metu nihil aliud metuitur quam idem metus. Porro metus omnis aliquid fugit, et nulla res se ipsam fugit. Non igitur metuitur metus. Sed si quis existimat non recte dici quod metus aliquid metuat, cum anima potius ipso metu metuat; illud attendat, quod cognitu facile est, nullum metum esse

nisi futuri et imminentis mali. Necesse est autem ut qui metuit, aliquid fugiat. Quisquis itaque metuere metuit, est profecto absurdissimus, quia fugiendo habet idipsum quod fugit. Nam quoniam non metuitur nisi ne aliquid mali accadat, metuere ne accadat metus, nihil aliud est nisi amplecti quod respis. Quod si repugnans est, sicuti est, nullo prorsus modo metuit, quisquis nihil aliud amat quam non metuere. Et propterea nemo potest hoc solum amare, et non habere. Utrum autem hoc solum amandum sit, alia quæstio est. Jam quem non exanimat metus, nec cupiditas eum vastat, nec ægritudo macerat, nec ventilat gestiens et vana lætitia? Si enim cupit, quia nihil aliud est cupiditas nisi amor rerum transeuntium, metuat necesse est, ne aut amittat eas cum adeptus fuerit, aut non adipiscatur. Non autem metuit: non ergo cupit. Item si angitur animi dolore, necesse est etiam metu agitetur: quoniam quorum malorum præsentium est anxietudo, eorum est et imminentium metus. Metu autem caret: ergo et anxietudine. Item si lætetur inaniter, de iis rebus lætatur, quas potest amittere: quare metuat necesse est ne amittat. Sed nullo modo metuit: nullo modo igitur lætatur inaniter.

QUÆSTIO XXXIV. — Si vitium est non metuere, non est amandum. Sed nemo beatissimus metuit, et nemo beatissimus in vitio est. Non est itaque vitium non metuere. At audacia vitium est. Non ergo quisquis non metuit, audax est; quanquam omnis qui audet, non metuat. Item cadaver omne non metuit. Quapropter cum commune sit non metuere beatissimo et audaci et cadaveri, sed beatissimus id habeat per tranquillitatem animi, audax per temeritatem, cadaver quia omni sensu caret; neque non amandum est non metuere, quoniam beati

esse volumus; neque solum amandum, quoniam audaces et inanimes esse nolumus.

QUÆSTIO XXXV. — 1^o. Quoniam quidquid non vivit non metuit, neque vita carendum quisquam persuaserit, ut metu etiam carere possimus; amandum est sine metu vivere. Sed rursus quia vita metu carens, etiam, si intelligentia careat, non est appetenda; amandum est sine metu cum intellectu vivere. Id-ne solum amandum? an amor quoque ipse amandus est? Ita vero, quando sine hoc illa non amantur. Sed si propter alia quæ amanda sunt amor amatur, non recte amari dicitur. Nihil enim aliud est amare, quam propter se ipsam rem aliquam appetere. Num igitur propter se ipsum amor appetendus est, cum quando desit quod amatur, ea sit indubitata miseria? Deinde cum amor motus quidam sit, neque ullus sit motus nisi ad aliquid, cum quærimus quid amandum sit, quid sit illud ad quod moveri oporteat, quærimus. Quare si amandus est amor, non utique omnis amandus est. Est enim et turpis, quo animus se ipso inferiora sectatur, quæ magis proprie cupiditas dicitur, omnium scilicet malorum radix. Et ideo non amandum est, quod manenti et fruenti amori auferri potest. Cujus ergo rei amor amandus est, nisi ejus quæ non potest deesse dum amatur? Id autem est, quod nihil est aliud habere quam nosse. Porro aurum et omne corpus non hoc est habere quod nosse: non itaque amandum est. Et quoniam potest aliquid amari, nec haberi, non solum ex his quæ amanda non sunt, ut pulchrum aliquod corpus, sed etiam eorum quæ amanda sunt, ut beata vita; et rursus potest aliquid haberi, nec amari, ut compedes: jure quæritur utrum possit quispiam id quod habere nihil est nisi nosse, non amare cum habeat, id est, noverit. Sed cum videamus nonnullos non ob aliud, verbi gratia, dis-

cere numeros, nisi ut eadem disciplina pecuniosi fiant, aut hominibus placeant; quam cum didicerint, ad eundem finem referunt, quem sibi cum discerent, proposuerant; neque ullam disciplinam aliud sit habere quam nosse: fieri potest, ut habeat quisque aliquid, quod habere, hoc sit quod nosse, neque amet tamen. Quanquam bonum quod non amatur, nemo potest perfecte habere vel nosse. Quis enim potest nosse quantum sit bonum, quo non fruitur? Non autem fruitur, si non amat: nec habet igitur quod amandum est, qui non amat; etiam si amare possit, qui non habet. Nemo igitur beatam vitam novit, et miser est: quoniam si amanda est, sicuti est, hoc est eam nosse quod habere.

2^o. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim, de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest: idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est: et propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est, mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur; nullumque bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur. Neque ut sola mens potest cognoscere, ita et amare sola potest. Namque amor appetitus quidam est: et videmus etiam cæteris animi partibus inesse appetitum, qui si menti rationique consentiat, in tali pace et tranquillitate vacabit mente contemplari quod æternum est. Ergo etiam cæteris suis partibus amare animus debet hoc tam magnum quod mente cognoscendum est. Et quoniam in quod amatur, afficiat ex se amantem necesse est; fit ut sic amatum quod æternum est, æternitate animum afficiat. Quocirca ea demum vita beata, quæ æterna est. Quid vero æternum est, quod æternitate animum afficiat, nisi Deus? Amor autem rerum

amandarum, charitas vel dilecto melius dicitur. Quare omnibus cogitationis viribus considerandum est saluberrimum illud præceptum: « Diliges Dominum Deum tuum » in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente » tua¹: » et illud quod ait Dominus Jesus, « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, » et quem misisti Jesum Christum². »

QUÆSTIO XXXVI. — 1^o Charitatem voco, qua amantur ea quæ non sunt præ ipso amante contemnenda: id est, quod æternum est, et quod amare ipsum æternum potest. Deus igitur et animus quo amatur, charitas proprie dicitur purgatissima et consummata, si nihil aliud amatur: hanc et dilectionem dici placet. Sed cum Deus magis diligitur quam animus, ut malit homo ejus esse quam suus, tunc vere animo summeque consulitur consequenter et corpori, nobis id non curantibus aliquo appetitu satagente, sed tactum prompta et oblata sumentibus. Charitatis autem venenum est, spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. Signum profectus ejus, imminutio timoris; signum perfectionis ejus, nullus timor: quia et « Radix est omnium malorum cupiditas³ et » consummata dilectio foras mittit timorem⁴. » Quisquis igitur eam nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas, amor adipiscendi aut obtinendi temporalia. Hujus minuendæ initium, Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Ad sapientiam enim tenditur, et nihil verius eo quod dictum est: « Initium sapientiæ timor Domini⁵. » Nemo est quippe qui non magis dolorem fugiat, quam appetat voluptatem: quandoquidem videmus etiam immanissimas bestias a maximis

¹ Matth. xxi, 37; Deut. vi, 5. — ² Joan. xvii, 5. — ³ 1 Tim. ii, 10. — ⁴ 2 Joan. iv, 18. — ⁵ Prov. i, 7, et ix, 10; Eccli. i, 16; Psal. c, 10.

voluptatibus absterreri dolorum metu; quod cum in earundem consuetudinem verterit, domitæ et mansuetæ vocantur. Quapropter quoniam inest homini ratio, quæ cum servit cupiditati perversione miserabili, ut homines non timeantur, suggerit latere posse commissa, et ad tegenda occulta peccata astutissimas fallacias comparat; eo fit, ut homines, quos nondum delectat pulchritudo virtutis, nisi pœnis a peccando deterreantur, quæ verissime per sanctos et divinos viros prædicantur, et quod celant hominibus, Deo celari non posse consentiant, difficilius domentur quam feræ. Ut autem timeatur Deus, divina providentia regi universa persuadendum est; non tam rationibus, quas qui potest inire, potest jam et pulchritudinem sentire virtutis, quam exemplis vel recentibus si qua occurrunt, vel de historia, et ea maxime quæ ipsa divina providentia procurante, sive in Vetere, sive in Novo Testamento excellentissimam auctoritatem religionis recepit. Simul autem agendum est et de pœnis peccatorum, et de præmiis recte factorum.

2º. Jam vero cum aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit, incipiat gustari dulcedo pietatis, et commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat. Tunc jam persuadendum est fidelibus præcedentibus regenerationis sacramentis, quæ necesse est plurimum moveant, quid intersit inter duos homines, veterem et novum, exteriorem et interiorem, terrenum et cœlestem; id est, inter eum qui bona carnalia et temporalia, et eum qui spiritalia et æterna sectatur: monendumque ne peritura beneficia et transeuntia expectentur a Deo, quibus et improbi homines abundare possunt; sed firma et sempiterna, pro quibus accipiendis omnia quæ in hoc mundo bona putantur et mala, penitus contemnenda sunt. Hic

præstantissimum illud et unicum exemplum Dominici hominis proponendum est, qui cum se tot miraculis tantum rerum potestatem habere monstraret, et ea sprexit quæ magna bona, et ea sustinuit quæ magna mala imperiti putant: quos mores et disciplinam, ne tanto minus quisquam aggredi audeat, quanto illud magis honorat, et de pollicitationibus atque hortationibus ejus, et de imitantium multitudine Apostolorum, Martyrum, Sanctorumque innumera bilium, quam non sint illa desperanda ostendendum est.

3º. At ubi fuerint carnalium voluptatum illecebræ superatæ, cavendum est ne subrepat atque succedat cupiditas placendi hominibus aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam sive patientiam, aut per aliquam largitionem, aut nomine scientiæ vel eloquentiæ; in eo genere est et cupiditas honoris. Contra quæ omnia proferantur ea, quæ scripta sunt de laude charitatis, et de inanitate jactantiæ: doceaturque quam sit pudendum eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, et nihil magnum est a malis laudari: aut boni sunt, et eos oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt: virtus autem non appetit quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem: qui malos, non dignus est laude. Si autem placere hominibus ideo vis, ut eis prosis ad diligendum Deum; non jam hoc, sed aliud cupis. Qui autem placere cupit, necessarium adhuc habet timorem: primum, ne occulte peccando inter hypocritas a Domino computetur, deinde, si benefactis placere appetit, ne hanc mercedem aucupans perdat quod daturus est Deus.

4º. Sed devicta ista cupiditate, cavenda superbia est. Difficile est enim ut dignetur consociari hominibus, qui eis placere jam non desiderat, et plenum se virtutibus putat. Itaque adhuc necessarius est timor, ne illud etiam quod

videtur habere, auferatur ab eo¹; et manibus ac pedibus ligatis mittatur in tenebras exteriores². Quapropter Dei timor non solum inchoat, sed etiam perficit Sapientem. Is est autem qui summe diligit Deum, et proximum tanquam se ipsum. Quæ autem in hoc itinere pericula difficultatesque metuendæ sint, et quibus remediis uti oporteat, alia quæstio est.

QUÆSTIO XXXVII. — Melior est semper natus, quam qui semper nascitur. Quia qui semper nascitur, nondum est natus; et nunquam natus est aut natus erit, si semper nascitur. Aliud est enim nasci, aliud natum esse. Ac per hoc nunquam filius, si nunquam natus: filius autem quia natus, est semper filius, semper igitur natus.

QUÆSTIO XXXVIII. — Cum aliud sit natura, aliud disciplina, aliud usus, et hæc in una anima intelligantur nulla diversitate substantiæ: item cum aliud sit ingenium, aliud virtus, aliud tranquillitas, similiter unius ejusdemque substantiæ: et cum anima sit alterius substantiæ, quam Deus, quanquam ab illo facta; ipse autem Deus sit sacratissima illa, et multis verbo, re paucis cognita Trinitas: diligentissime investigandum est, quod ait Dominus Jesus: « Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit: » et, « Nemo venit ad Patrem, nisi per me: et ipse vos in » omnem virtutem inducet³. »

QUÆSTIO XXXIX. — Quid est quod accipit eam rem, quam commutat? ut animal cibum. Quid est quod accipitur, et non commutatur? ut idem cibus. Quid est quod accipitur, et non commutatur? ut oculis lux, et sonus auribus. Sed hæc per corpus accipit anima: quid est autem quod per se ipsam accipit, et commutat in se? ut aliam animam, quam recipiendo in amicitiam sui similem facit. Et quid est quod per se ipsam accipit, et non commutat? ut

¹ Matth. xxv, 17. — ² Id. xxii, 18. — ³ Joann. vi 44, xiv, 6, et xvi, 13.

veritatem. Quare cognoscendum est et quid sit Petro dictum, « Macta et manduca¹: » et quid in Evangelio, « Et » vita erat lux hominum². »

QUÆSTIO XL. — Ex diversis visis diversus appetitus animarum est, ex diverso appetitu diversus adipiscendi successus, et diverso successu diversa consuetudo, ex diversa consuetudine diversa est voluntas. Diversa autem visa ordo rerum facit: occultus quidem, sed sub divina providentia certus tamen. Non itaque ob hoc putandum est diversas esse naturas animarum, quia diversæ sunt voluntates: cum etiam unius animæ voluntas pro temporum diversitate varietur. Si quidem alio tempore dives esse cupit, alio tempore contemptis divitiis sapiens esse desiderat: et in ipso temporalium appetitu alio tempore uni homini negotiatio, et alio tempore militia placet.

QUÆSTIO XLI. — Quia non essent omnia, si essent æqualia: non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur universitas, primas et secundas, et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens creaturas: et hoc est quod dicitur, omnia.

QUÆSTIO XLII. — Quomodo verbum hominis, quod et si multi audiunt, totum audiunt singuli.

QUÆSTIO XLIII. — Quia ille venit, ut exemplum vivendi demonstraret hominibus; iste, ut donum ipsum, quo bene vivendo pervenitur, significaret, apparuit. Utrumque autem visibiliter factum est propter carnales, ab iis quæ oculis corporeis cernuntur, ad ea quæ mente intelliguntur, sacramentorum, gradibus transferendos. Nam et verba sonant et transeunt; nec tamen ea quæ verbis significantur, cum aliquid divinum atque æternum loquendo exponitur, similiter transeunt.

QUÆSTIO XLIV. — Quia omne pulchrum a summa pul-

¹ Act. x, 13. — ² Joan. i, 14.

chritudine est, quod Deus est: temporalis autem pulchritudo rebus decedentibus succedentibusque peragitur. Habet autem decorem suum in singulis quibusque hominibus singula quæque ætas ab infantia usque ad senectutem. Sicut ergo absurdus est, qui juvenilem tantum ætatem vellet esse in homine temporibus subdito, invideret enim cæteris pulchritudinibus, quæ cæteris ætatibus suas vices atque ordinem gerunt; sic absurdus est, qui in ipso universo genere humano unam ætatem desiderat: nam et ipsum tanquam unus homo ætates suas agit. Nec oportuit venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis. Ad hoc valet quod Apostolus dicit, sub lege tanquam sub pædago parvulos custoditos, donec veniret cui servabatur, qui per Prophetas promissus erat¹. Aliud enim est quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tanquam publice consultit. Nam et quicumque singuli ad certam sapientiam pervenerunt, non nisi eadem veritate suarum singillatim ætatum opportunitate illustrati sunt: a qua veritate, ut populus sapiens fieret, ipsius generis humani opportuna ætate homo susceptus est.

QUÆSTIO XLV. — 1^o. Non eos appellarunt Mathematicos veteres, qui nunc appellantur; sed illos qui temporum numeros motu cœli ac siderum pervestigarunt, de quibus rectissime dicitur in Scripturis sanctis²: Iterum nec his debet ignosci³; si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Mens enim humana de visibilibus judicans, potest agnoscere omnibus visibilibus se ipsam esse meliorem. Quæ tamen cum etiam se propter defectum profectumque in sapientia fatetur esse mutabilem, invenit

¹ Gal. iii, 23. — ² Sap. xiii, 8 et 9. — ³ Vide lib. viii de Civitate Dei, cap. 6.

supra se esse incommutabilem veritatem: atque ita adhærens post ipsam, sicut dictum est, « Adhæsit anima mea » post te¹; » beata efficitur, intrinsecus inveniens etiam omnium visibilium Creatorem atque Dominum; non quærens extrinsecus visibilia, quamvis cœlestia: quæ aut non inveniuntur, aut cum magno labore frustra inveniuntur, nisi ex eorum quæ foris sunt pulchritudine, inveniatur artifex qui intus est, et prius in anima superiores, deinde in corpore inferiores pulchritudines operatur.

2^o. Adversus eos autem qui nunc appellantur Mathematici, volentes actus nostros corporibus cœlestibus subdere, et nos vendere stellis, ipsumque pretium, quo vendimur, a nobis accipere, nihil verius et brevius dici potest, quam eos non respondere, nisi acceptis constellationibus. In constellationibus autem notari partes, quales trecentas sexaginta dicunt habere signiferum circulum: motum autem cœli per unam horam fieri in quindecim partibus, ut tanta mora quindecim partes orientur, quantum tenet una hora. Quæ partes singulæ sexaginta minutas habere dicuntur. Minutas autem minutarum jam in constellationibus, de quibus futura prædicere se dicunt, non inveniunt. Conceptus autem geminorum quoniam uno concubitu efficitur, adtestantibus medicis, quorum disciplina multo est certior atque manifestior, tam parvo puncto temporis contingit, ut in duas minutas minutarum non tendatur. Unde ergo in geminis tanta diversitas actionum et eventuum et voluntatum, quos necesse est eadem constellationem conceptionalem habere, et amborum unam constellationem dari Mathematico, tanquam unius hominis? Si autem ad genitales constellationes se tenere voluerint, ipsis geminis excluduntur qui plerumque ita post invicem funduntur ex utero ut hoc temporis inter-

¹ Psal. vi, 9.

vallum rursus ad minutas minutarum revertatur, quas tractandas in constellationibus nunquam accipiunt, nec possunt tractare. Cum autem multa vera eos prædixisse dicatur, ideo fit, quia non tenent homines memoria falsitates erroresque eorum; sed non intenti, nisi in ea quæ illorum responsis provenerint, ea quæ non provenerint obliviscuntur: et ea commemorant, quæ non arte illa, quæ nulla est, sed quadam obscura rerum sorte contingunt. Quod si peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificiose divinare etiam mortuas membranas scriptas quaslibet, de quibus plerumque pro voluntate sors exit. Quod si non arte de codicibus exit sæpe versus futura prænuntians, quid mirum si etiam ex animo loquentis, non arte, sed sorte exit aliqua prædictio futurorum?

QUÆSTIO XLVI. — 1^o. Ideas Plato primus appellasse perhibetur¹: non tamen si hoc nomen, antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsæ non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectæ: sed alio fortasse atque alio nomine ab aliis atque aliis nuncupatæ sunt. Licet enim cuique rei incognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere. Nam non est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem; aut istas, quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse. Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit. Credibile est etiam præter Græciam fuisse in aliis gentibus sapientes: quod etiam Plato ipse non solum peregrinando sapientiæ perficiendæ gratia satis testatus est, sed etiam in libris suis commemorat. Hos ergo, si qui fuerunt, non existimandum est ideas ignorasse, quamvis alio fortasse eas nomine vocaverint. Sed de nomine hactenus dictum sit: rem videamus, quæ maxime consideranda at-

¹ Vide lib. vii de Civit. Dei, cap. 28.

que noscenda est, in potestate constitutis vocabulis ut quod volet quisque, appellet rem quam cognoverit.

2^o. Ideas igitur latine possumus vel formas vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus; rationes enim græcæ λόγαι appellantur, non ideæ: sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, a re ipsa non aberrabit. Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriuntur, neque intereant; secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. Anima vero negatur eas intueri posse, nisi rationalis ea sui parte qua excellit, id est, ipsa mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima non omnis et quælibet, sed quæ sancta et pura fuerit, hæc asseritur illi visioni esse idonea: id est, quæ illum ipsum oculum, quo videntur ista, sanum et sincerum et serenum et similem his rebus, quas videre intendit, habuerit. Quis autem religiosus et vera religione imbutus, quamvis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat, imo non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem, ordinemque ipsum quo ea quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari? Quo constituto atque concessio; quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse. Quod si recte dici vel credi non potest, restat ut

ur omnia ratione *sint* condita. Nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum omnium creandarum creaturarumve rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse; atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit, ut sit quidquid est, quoquo modo est. Sed anima rationalis inter eas res, quæ sunt a Deo conditæ, omnia superat; et Deo proxima est, quando pura est; eique in quantum charitate cohæserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodam modo et illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale, quo excellit, id est, per intelligentiam suam, istas rationes, quarum visione fit beatissima. Quas rationes, ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare, et multis conceditur appellare quodlibet, sed paucissimis videre quod verum est.

QUÆSTIO XLVII. — Quæri solet quomodo post resurrectionem atque immutationem corporis, quæ sanctis promittitur, cogitationes nostras videre possimus. Conjectura itaque capienda est ex ea parte corporis nostri, quæ plus habet lucis: quoniam angelica corpora, qualia nos habituros speramus, lucidissima atque ætherea esse credendum est: si ergo multi motus animi nostri nunc agnoscuntur in oculis, probabile est quod nullus motus animi latebit, cum totum fuerit corpus æthereum, in cuius comparatione isti oculi caro sunt.

QUÆSTIO XLVIII. — Credibilium tria sunt genera. Alia sunt quæ semper creduntur, et nunquam intelliguntur: sicut est omnis historia, temporalia et humana gesta percurrens. Alia quæ mox, ut creduntur, intelliguntur: sicut sunt omnes rationes humanæ, vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium, quæ primo creduntur, et postea intelliguntur: qualia sunt ea quæ de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde; quod fit præceptis servatis, quæ de bene vivendo accipiuntur.

QUÆSTIO XLIX. — Quia sunt etiam sacra spiritalia, quorum imagines carnalem populum celebrare oportebat, ut præfiguratio novi populi servitute veteris fieret¹. Quorum duorum populorum differentiam etiam in unoquoque nostrum licet advertere, cum quisque ab utero matris veterem hominem necesse est agat, donec veniat ad juvenilem ætatem; ubi jam non est necesse carnaliter sapere, sed potest ad spiritalia voluntate converti, et intrinsecus regenerari. Quod ergo in uno homine recte educato, ordine naturæ diciplinaque contingit, hoc proportionem in universo genere humano fieri per divinam providentiam, peragique pulcherrimum est.

QUÆSTIO L. — Deus, quem genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, (nihil enim Deo melius,) generare debuit æqualem. Si enim voluit, et non potuit, infirmus est; si potuit, et non voluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse Filium.

QUÆSTIO LI. — 1^o Cum exteriorem et interiorem hominem divina Scriptura commemoret, et in tantum eos discernat, ut ab Apostolo dictum sit, « Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem²: » quæri potest, utrum unus horum factus sit ad

¹ Vide lib. x de Civit. Dei, cap. 5 et 6. — ² 2 Cor. iv, 16.

imaginem et similitudinem Dei¹. Nam **illud** stultum est quærere, si unus, quis horum? Quis enim dubitat eum potius qui renovatur, quam eum qui corrumpitur, dicere? Utrum autem ambo, magna quæstio est. Nam si exterior homo est Adam, et interior Christus, bene ambo intelliguntur. Sed cum Adam, sicut a Deo factus est, bonus non manserit, et diligendo carnalia carnalis effectus sit, non absurde videri potest, hoc ipsum ei fuisse cadere, imaginem Dei et similitudinem amittere. Ac per hoc ipse renovatur, et ipse est interior: quomodo ergo est ipse et exterior? An secundum corpus? ut interior sit secundum animam, et interioris sit resurrectio et renovatio, quæ nunc fit secundum mortem prioris vitæ, id est, peccati, et secundum regenerationem novæ vitæ, id est, justitiæ? Quos item duos homines sic appellat, ut unum veterem, quem debemus exuere; alterum novum, et eum induendum commemoret²: quorum rursus illum appellat imaginem terreni hominis, quia secundum peccatum primi hominis geritur, qui est Adam³; alterum imaginem cælestis hominis, quia secundum justitiam secundi hominis geritur, qui est Jesus Christus. Exterior autem homo, qui nunc corrumpitur, futura resurrectione renovabitur, cum istam mortem persolverit, quam naturæ debet, lege illa, quæ in paradiso data est.

2º Quomodo autem non sit incongruum, quod dicitur etiam corpus factum ad similitudinem Dei, facile intelligit, qui diligenter attendit quod dicitur est: « Et fecit » Deus omnia bona valde⁴. » Nemo enim dubitat quod sit ipse primitus bonus. Multis enim modis dici res possunt similes Deo: aliæ secundum virtutem et sapientiam factæ, quia in ipso est virtus et sapientia non facta: aliæ

¹ Vide lib. xi de Trinit. cap. 1. — ² Coloss. iii, 9. — ³ 1 Cor. xv, 49. — ⁴ Gen. 1, 31.

in quantum solum vivunt, quia ille summe et primitus vivit: aliæ in quantum sunt, quia ille summe et primitus est. Et ideo quæ tantummodo sunt, nec tamen vivunt aut sapiunt, non perfecte, sed exigue sunt ad similitudinem ejus; quia et ipsa bona sunt in ordine suo, cum sit ille super omnia bonus, a quo omnia bona procedunt. Omnia vero quæ vivunt et non sapiunt, paulo amplius participant similitudinem. Quod enim vivit, etiam est: non autem quidquid est, etiam vivit. Jam porro quæ sapiunt, ita illi similitudine sunt proxima, ut in creaturis nihil sit propinquius. Quod enim participat sapientiæ, et vivit et est: quod autem vivit, necesse est ut sit, non necesse est ut sapiat. Quare cum homo possit particeps esse sapientiæ secundum interiorem hominem, secundum ipsum ita est ad imaginem, ut nulla natura interposita formetur; et ideo nihil sit Deo conjunctius. Et sapit enim, et vivit, et est: qua creatura nihil est melius.

3º Quod si exterior homo vita illa accipitur, qua per corpus sentimus quinque notissimis sensibus, quos cum pecoribus habemus communes¹: nam et ipsa molestiis sensibilibus, quæ persecutionibus ingeruntur, corrumpi potest: non immerito et iste homo particeps dicitur similitudinis Dei; non solum quia vivit, quod etiam in bestiis apparet; sed amplius quod ad mentem convertitur se regentem, quam illustrat sapientia, quod in bestiis non potest ratione carentibus. Corpus quoque hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora, non primum in alvum prostratum est, cum sit visibile, sed ad intuentium cælum erectum, quod est principium visibilium; quanquam non sua, sed animæ præsentia vivere cognoscatur: tamen non modo quia est, et in quantum est, utique bonum est; sed etiam quia tale est, ut ad contem-

¹ Vide lib. xi de Trinit. cap. 1.

plandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam cœtera corpora animalium factum jure videri potest. Tamen quia homo sine vita non recte appellatur; non corpus solum homo exterior, neque sola vita quæ in sensu est corporis, sed utrumque simul rectius fortasse intelligitur.

4^o Neque inscite distinguitur, quod aliud sit imago et similitudo Dei¹, qui etiam Filius dicitur; aliud ad imaginem et similitudinem Dei, sicut hominem factum accipimus. Sunt etiam qui non frustra intelligant duo dicta esse ad imaginem et similitudinem: cum si una res esset, unum nomen sufficere potuisse asserunt. Sed ad imaginem mentem factam volunt, quæ nulla interposita substantia ab ipsa veritate formatur, qui etiam spiritus dicitur: non ille Spiritus sanctus, qui est ejusdem substantiæ, cujus et Pater et Filius, sed spiritus hominis. Nam ita hos discernit Apostolus: « Nemo scit quid agatur in homine, » nisi spiritus hominis; et nemo scit quid agatur in Deo, » nisi Spiritus Dei. » Item de spiritu hominis dicit: « Saluum faciat spiritum vestrum, et animam et corpus². » Et iste enim factus est a Deo, sicut et cœtera creatura. Scriptum est enim in Proverbiis hoc modo: « Scito quoniam Dominus corda hominum novit, et qui finxit spiritum omnibus, ipse scit omnia³. » Ergo iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis: hæret enim veritati nulla interposita creatura. Cœtera hominis ad similitudinem facta videri volunt: quia omnis quidem imago similis est, non autem omne quod simile est, etiam imago proprie, sed forte abusive dici potest. Sed cavendum in talibus ne quid nimis asseverandum putetur, illa re sane salubriter custodita, ne

¹ Vide lib. vii de Trinit. cap. ultimo. — ² 1 Cor. ii, 1, et 1 Thess. v, 23. — ³ Prov. xvi, 2.

quoniam corpus quodlibet per localia spatia porrectum est, aliquid tale credatur esse substantia Dei. Nam res quæ in parte minor est quam in toto, nec dignitati animæ convenit; quanto minus majestati Dei?

QUÆSTIO LII. — Divinæ Scripturæ a terreno et humano sensu ad divinum et cœlestem nos erigentes¹, usque ad ea verba descenderunt, quibus inter se stultissimorum etiam utitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina, quas animus noster patitur, quas longissime a Deo esse sejunctas jam qui melius sapit intelligit, non dubitaverunt illi viri per quos locutus est Spiritus sanctus, opportunissime in libris ponere. Ut, verbi gratia, quoniam difficillimum est ut homo aliquid vindicet sine ira, vindictam Dei quæ omnino sine ista perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt. Item quia conjugis castitatem zelando viri custodire consueverunt, illam Dei providentiam per quam præcipitur atque agitur ne anima corrumpatur, et deos alios atque alios sequens quodam modo meretricetur, zelum Dei appellarunt. Sic et manum Dei, vim qua operatur; et pedes Dei, vim qua in omnia custodienda et gubernanda perterrit; et aures Dei vel oculos Dei, vim qua omnia percipit atque intelligit; et faciem Dei, vim qua se manifestat atque dignoscitur; et cœtera in hunc modum, propterea scilicet quia nos ad quos sermo fit, et manibus solemus operari, et pedibus incedere, et quo fert animus pervenire, et auribus atque oculis cæterisque sensibus corporis corporalia percipere, et facie innotescere: et si quid aliud ad hanc tanquam regulam pertinet. Hoc modo igitur, quoniam mutare cœptum aliquid et in aliud transferre non facile solemus nisi pœnitendo, quanquam divina providentia serena mente intuentibus appareat cuncta

¹ Gen. vi, 7. — ² Vide lib. xv de Civit. Dei, cap. 25.

certissimo ordine administrare, accommodatissime tamen ad humilem humanam intelligentiam ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt, quasi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.

QUÆSTIO LIII. — 1^o. Quisquis duorum Testamentorum dispensationes¹, pro temporum congruentia, generis humani diligenter ætatibus distributas intuetur; satis (quantum existimo) intelligit, quid proprie priori ætati generis humani, quid posteriori conveniat. Divina enim providentia pulchre omnia moderante, ita universa generationum series ab Adam usque ad finem sæculi administratur, tanquam unius hominis a pueritia usque ad senectutem temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. Et ideo virtutum etiam gradus in moribus, donec veniatur ad summam hominis perfectamque virtutem, oportet eum distinguere, qui divinis lectionibus pium animum intendit: ne forte cum invenerit aliquando parvis parva, aliquando majora majoribus imperari, reputans in comparatione majorum peccata esse illa quæ minora sunt, non arbitretur decuisse ut talia Deus hominibus imperaret. Sed nunc de virtutum gradibus nimis longum est disputare. Verumtamen quod ad præsentem quæstionem discutiendam satis est, quantum ad decipiendum attinet, summa et perfecta virtus est neminem decipere, atque illud exhibere quod dictum est: « Sit in ore vestro, Est » est, Non non². » Sed quia hoc eis imperatum est, quibus jam regnum cœlorum promissum est; magna autem virtus est hæc implere majora, quibus debetur hoc præmium; « Regnum enim cœlorum vim patitur, et qui vim » faciunt, diripiunt illud³: » quærendum est quibus gradibus ad istam summitatem perfectionemque veniatur: in quibus utique gradibus inveniuntur illi, quibus adhuc

¹ Exod. xu, 35. — ² Matth. v, 37. — ³ Id. xi, 12.

terrenum regnum promittebatur, quo promisso tanquam parvuli præluderent, et ab uno Deo, qui est omnium Dominus, interim terrenis gaudiis, quibus adhuc inhiabant, impetratis, inde proficientes et spiritu crescentes auderent etiam sperare cœlestia. Sicut ergo summa et prope divina virtus est, neminem decipere: sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Ab hoc ultimo vitio ad illam summam virtutem tendentibus gradus est, neminem quidem vel amicum, vel ignotum, sed tamen inimicum aliquando decipere. Unde etiam illud a Poëta dictum prope jam proverbii consuetudinem obtinuit, « Dolus an virtus quis » in hoste requirat¹? » Sed quoniam et ipse hostis potest plerumque injuste decipi, veluti cum pactum aliquod fit de temporali pace, quas inducias vocant, et non servatur fides, et cætera talia: multo est purgatior summæque illi virtuti propinquior, qui quanquam velit hostem decipere, non eum tamen decipit nisi auctoritate divina. Deus enim novit vel solus, vel certe longe excellentius quam homines atque sincerius, qua quisque pœna præmiive sit dignus.

2^o Quapropter Deus quidem per se ipsum neminem decipit; est enim Pater Veritatis, et Veritas, et Spiritus Veritatis; dignis tamen digna distribuens (quoniam hoc quoque pertinet ad justitiam et veritatem) utitur animis pro meritis et dignitatibus, quæ sunt in gradibus earum, ut si quisquam dignus est decipi, non solum per se ipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem, qui jam congruenter diligit, et custodire persistit, « Sit in » ore vestro, Est est, Non non: » neque per angelum, cui non convenit persona fallaciæ: sed aut per talem hominem, qui nondum se hujusmodi cupiditatibus exuit; aut per talem angelum, qui pro suæ voluntatis perversitate vel ad vindictam peccatorum, vel ad exercitationem

¹ Virgil. Æneid. lib. II, v. 392.

purgationemque eorum qui secundum Deum renascuntur, in infimis naturæ gradibus ordinatus est. Legimus enim deceptum regem¹ falso vaticinio pseudo-prophetarum²: et ita legimus, ut neque sine divino iudicio factum inveniamus, quoniam dignus erat ille sic decipi; neque per eum angelum, quem deceptionis officium suscipere non doceret; sed per angelum erroris, qui sibi ultro tales partes imponi cum lætitia postulavit. Quibusdam enim Scripturarum locis apertius aliquid exponitur, quod diligens et pius lector etiam in aliis locis, in quibus minus aperitur, intelligat. Deus enim noster sic ad salutem animarum divinos libros Spiritu sancto moderatus est, ut non solum manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet. Ex hac igitur ineffabili atque sublimi rerum administratione, quæ fit per divinam providentiam, quasi transcripta est naturalis lex in animam rationalem, ut in ipsa vitæ hujus conversatione moribusque terrenis homines talium distributionum imagines servant. Hinc est quod iudex damnatum percutere indignum sua persona et nefarium iudicat: ejus tamen jussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio, ut percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere. Nam neque per se ipsum hoc iudex facit, neque per principem vel advocatum, aut aliquem in officio suo, cui tale ministerium non convenienter imponitur. Hinc est etiam, quod irrationalibus animantibus utimur ad eas res, quas per homines agi nefarium est. Nam utique dignus est fur morsu lacerrari: id tamen homo non per se ipsum agit, aut per filium, aut per domesticum, aut etiam per famulum suum; sed per canem, quam bestiam talia facere pro naturæ suæ gradibus decet. Cum igitur quosdam pati aliquid de-

¹ Scilicet Achab. — ² 3 Reg. xxii, 6.

ceat, quod alios facere non deceat; ministeria quædam sunt media, quibus digna injunguntur officia; ut eis utens ipsa justitia, non solum talia pati quemque imperet, qualia pati eum decet, sed etiam iis facientibus, quos talia facere non minus decet. Quapropter cum et Ægyptii deceptione digni essent¹; et populus Israël pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indigne hostem deciperet; factum est ut juberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate permetteret, ut vasa aurea et argentea, quibus adhuc terreni regni appetitores inhiabant, et peterent ab Ægyptiis non redditori, et acciperent quasi redditori. Quam et mercedem tam diuturni laboris atque operis pro talium animarum gradu non injustam Deus esse voluit, et pœnam illorum quos digne fecit amittere, id quod reddere debuerunt. Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium et impium esse quis non intelligat² sed meritorum et personarum justissimus distributor, faciens quædam per se ipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli convenient; sicuti est illuminare animas, et se ipsum eis ad perfruedum præbendo, sapientes beatasque præstare: alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permit- tens, usque ad passerum administrationem, sicut Dominus et Evangelio dicit, et usque ad fœni decorem, usque ad numerum etiam capillorum nostrorum divina providentia pertendentem atque venientem². De qua etiam dictum est: « Pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter³. »

³ Quod autem per animarum ministeria suis legibus servientia Deus puniat, et digne digna supplicia retribuatur, cum ipse tranquillissimus maneat, apertissime ita scriptum

¹ Matth. x, 29. — ² Luc. xii, 27. — ³ Sap. viii, 1.

est : « Ipsum quoque qui puniri non debeat, condemnare, » exterum aestimas a tua virtute. Virtus enim tua justitiæ » initium est, et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim tu ostendis, qui non » crederis esse in virtute consummatus, sed in iis qui » sciunt audaciam traducis. Tu autem Dominus virtutum » cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia » disponis nos ¹. »

4^o. Item quod primo in terrenis rebus fit gradus ad cœlestem justitiam, quæ jam firmioribus imperatur, Dominus ostendit, cum ait : « Si in alieno fideles non » fuistis, vestrum quis dabit vobis ² ? » Et quod pro suis gradibus animæ doceantur, et ipse Dominus demonstrat, dicens : « Multa habeo vobis dicere, sed nunc » non potestis portare illa ³. » Et Apostolus, cum ait : » Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, » sed quasi carnalibus ; lac vobis potum dedi, non es- » cam : neque enim poteratis, sed neque adhuc potestis ; » adhuc enim estis carnales ⁴. » Quod enim in istis secundum gradus suos actum est, hoc in universo genere humano agi cognoscimus, ut alia carnali populo, alia spiritali, pro temporum congruentia juberentur. Non ergo mirum, si hostem decipi dignum decipere jussi sunt, qui erant adhuc digni hostem decipere. Non enim jam erant idonei quibus diceretur : « Diligite inimicos vestros ⁵ : » sed tales erant quibus tantummodo dici oporteret : « Diliges » proximum tuum, et oderis inimicum tuum ⁶. » Adhuc enim ille proximus quam late intelligendus esset, non erat temporis tradere. Inchoatio ergo quædam facta est sub pædagogo, ut magistro perfectio servaretur ; cum tamen idem Deus, et pædagogum parvulis dederit, legem

¹ Sap. xii, 15 et seqq. — ² Luc. xvi, 12. — ³ Joan. xvi, 12. — ⁴ 1 Cor. m, 1. — ⁵ Matth. v, 44. — ⁶ Ibid. 43.

illam scilicet per famulum suum ; et magistrum grandioribus, id est, Evangelium per Unicum suum.

QUÆSTIO LIV. — Omne quod est, aut eodem modo semper est, aut non. Et omnis anima omni corpore melior est. Melius est enim omne quod vivificat, quam id quod vivificatur ¹ : corpus autem ab anima vivificari, non a corpore animam, nemo ambigit. Quod autem corpus non est, et tamen aliquid est, aut anima est, aut ea melius aliquid. Deterius enim omni corpore nihil est : quia et si materiam quis dixerit, unde ipsum corpus fit, recte, quoniam caret omni specie, nihil dicitur. Rursus inter corpus et animam, quod melius sit corpore, deterius anima, non invenitur. Si quid enim esset medium, aut vivificaretur ab anima, aut vivificaret animam, aut neutrum : aut vivificaret corpus, aut vivificaretur a corpore, aut neutrum. At quidquid vivificatur ab anima, corpus est : si quid autem vivificat animam, melius est quam anima. Rursum quo vivificatur corpus, anima est : quod vivificatur a corpore, nihil est. Neutrum vero, id est, nullius vitæ indigens nullamque vitam tribuens, aut omnino nihil est, aut aliquid et corpore et anima melius. Sed utrum quid tale sit in rerum natura, alia quæstio est. Nunc interim ratio comperit, nihil inter corpus et animam esse, quod sit corpore melius, anima deterius. Quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus ; cui, quisquis eum intelligit, junctus est. Quod enim intelligitur verum est, nec omne quod creditur verum est. Quidquid autem verum est, atque sensibus et a mente sejunctum est, credi tantum, non tamen sentiri aut intelligi potest. Deo igitur junctum est quod intelligit Deum. Intelligit autem rationalis anima Deum. Nam intelligit quod semper ejusmodi est, neque ullam patitur mutationem. At et corpus

¹ Psal. lxxii, 28.

per tempus et locos, et anima ipsa rationalis, quod aliquando sapiens, aliquando stulta est, mutationem patitur. Quod autem semper eodem modo est, melius profecto est quam id quod non ita est. Nec quidquam est melius rationali anima, nisi Deus. Cum igitur intelligit aliquid, quod semper eodem modo sese habet, ipsum sine dubio intelligit. Hæc autem est ipsa veritas; cui quia intelligendo anima rationalis jungitur, et hoc bonum est animæ, recte accipitur id esse quod dictum est: « Mihi autem adhæ- » rere Deo bonum est.

QUÆSTIO LV. — Denarius numerus potest significare universitatis scientiam. Quæ si ad interiora et intelligibilia referatur, quæ senario numero significantur, fit quasi decies-sexies, quod est sexaginta: si ad terrena et corruptibilia, quæ octonario numero significari possunt, fiunt decies-octies, quod est octoginta. Reginæ ergo, sunt animæ regnantes in intelligibilibus et spiritualibus. Concubinæ, quæ mercedem accipiunt terrenorum¹, de quibus dictum est: « Acceperunt mercedem suam². » Adolescentulæ, quarum non est numerus, quarum non est determinata scientia, et diversis dogmatibus periclitari possunt: ut numerus, quod dictum est, significet certam et indubitam confirmationem scientiæ.

QUÆSTIO LVI. — Sex novem, duodecim, decem et octo, hæc in unum fiunt quadraginta-quinque. Adde ergo ipsum unum, fiunt quadraginta-sex: hoc sexies, fiunt ducenta-septuaginta-sex. Dicitur autem conceptio humana sic procedere et perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem et octo diebus formetur usque ad perfecta

¹ Cant. vi, 7. — ² Matth. ii, 16. — ³ Joan. xii, 31. — ⁴ Vide lib. iv de Trinit. cap. 5.

lineamenta omnium membrorum, et hinc jam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. Quadraginta ergo quinque diebus addito uno, quod significat summam: quia sex et novem et duodecim et decem et octo in unum coactis, fiunt quadraginta-quinque: addito ergo, ut dictum est, uno, fiunt quadraginta-sex. Qui cum fuerint multiplicati per ipsum senarium numerum, qui hujus ordinationis caput tenet, fiunt ducenti-septuaginta-sex: id est, novem menses et sex dies, qui computantur ab octavo Kal. Aprilis, quo die conceptus Dominus creditur, quia eodem die etiam passus est, usque ad octavum Kal. Januariæ, quo die natus est. Non ergo absurde quadraginta-sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significabat: ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Domini perfectione.

QUÆSTIO LVII. — 1^o. « Omnia vestra, vos autem Christi, » Christus autem Dei¹. » Si a capite numerentur, inveniuntur unum, duo, tria, quatuor. Item: « Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi » Deus². » Si eodem modo numerentur, inveniuntur similiter unum, duo, tria et quatuor. Porro unum et duo et tria et quatuor simul ducta fiunt decem. Quapropter disciplinam, quæ insinuat conditorem Deum et conditam creaturam, recte significat denarius numerus. Et cum corpus perfectum atque inexterminabile subditur animæ perfectæ atque inexterminabili, rursusque ipsa subditur Christo, et ille Deo, non tanquam dissimilis aut alterius naturæ, sed tanquam Patri Filius, hoc totum eodem numero denario recte significatur, quod post resurrectionem corporis speratur futurum in æternum. Et fortasse propterea qui conducuntur ad vineam, denarium accipiunt

¹ Joan. xxi, 11. — ² 1 Cor. iii, 22, 23 et xi, 3. — ³ Matth. xx, 2.

mercedis nomine ¹. Sicut autem unum et duo et tria et quatuor simul decem fiunt, sicut unum et duo et tria et quatuor quater ducta quadraginta fiunt.

2^o. Si autem quaternarius numerus recte corpus significat, propter quatuor notissimas naturas, quibus constat, siccam et humidam, frigidam et calidam; et quod progressio a puncto ad longitudinem, a longitudine ad latitudinem, a latitudine ad altitudinem, soliditatem corporis facit, quæ rursus quaternario numero continetur: non absurde intelligitur quadragenarius numerus temporalem dispensationem significare, quæ pro salute nostra gesta est, cum Dominus corpus assumpsit, et visibiliter hominibus apparere dignatus est. Unum enim et duo et tria et quatuor, quæ significant Creatorem et creaturam, quater ducta, id est, per corpus temporaliter demonstrata, fiunt quadraginta. Nam inter quatuor et quater hoc interest, quod quatuor in statu sunt, quater in motu. Ergo ut quatuor referuntur ad corpus, ita quater ad tempus: insinuaturque sacramentum corporaliter et temporaliter gestum, propter eos qui corporum amore implicati erant, et temporibus subditi. Quadragenarius ergo numerus, ut dictum, temporalem ipsam dispensationem non incongrue significare creditur. Et fortasse hoc est, quod quadraginta dies Dominus jejunavit ¹, sæculi hujus, quod motu corporum et temporibus agitur, ostendens inopiam: et quadraginta dies post resurrectionem cum discipulis fuit ², hanc ipsam, illis, credo, dispensationem temporalem, quam pro salute nostra gessit, insinuans. Quadragenarius autem numerus, partibus suis, quæ illum metiuntur, computatis, usque ad quinquagenarium numerum pervenit, id ipsum commendans; quandoquidem ipsæ partes, quæ illum metiuntur, æquales inter se sunt: quia cum

¹ Matth. iv, 2. — ² Act. 1, 3.

æquitate administrata corporalis et visibilis temporaliter actio perfectionem homini comparat. Quæ perfectio, sicut dictum est, denario numero significatur: sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus in summam redactis denarium numerum parit, quoniam ad quinquagenarium, sicut supra dictum est, pervenit. Unum enim quod habent quadraginta quadragies, et duo quod habent vicies, et quatuor quod habent decies, et quinque quod habent octies, et octo quod habent quinquies, et decem quod habent quater, et viginti quod habent bis, simul ducta fiunt quinquaginta. Nullus enim alius numerus metiri per partes æquales quadragenarium numerum potest, præter hos quos enumeravimus, et computatos ad quinquagenarium numerum perduximus. Peractis ergo Dominus quadraginta diebus post resurrectionem cum discipulis suis ¹, id est, commendans eis quod pro nobis temporaliter gestum est, ascendit in cælum: et post alios decem dies misit Spiritum sanctum, quo perficerentur spiritualiter ad invisibilia capienda, qui visibilibus temporalibusque crediderant. Ipsi videlicet decem diebus post quos misit Spiritum sanctum, eandem perfectionem quæ per Spiritum sanctum confertur denario numero indicans, buem quadragenarius computatis æqualibus partibus suis edit, et fit quinquagenarius: sicut temporali dispensatione cum æquitate administrata pervenitur ad perfectionem, quam denarius numerus significat, qui denarius simul cum quadragenario quinquagenarium facit. Ergo quoniam perfectio quæ fit per Spiritum sanctum, quando adhuc in carne ambulamus, quamvis non vivamus carnaliter, cum ipsa dispensatione temporali copulatur, recte videtur quinquagenarius numerus ad Ecclesiam pertinere, sed jam purgatam atque perfectam, quæ temporalis dis-

¹ Act. 1, 9 et 11.

pensationis fidem atque æternitatis futuræ spem charitate amplexatur, id est, quasi quadragenarium numerum denario numero copulans. Hæc autem Ecclesia, ad quam pertinet quinquagenarius numerus, sive quia ex tribus generibus hominum eligitur, Judæis et Gentibus et carnalibus Christianis, sive quia sacramento Trinitatis imbutur, numero quo significatur ter ducto, ad centenarium et quinquagenarium pervenit. Quinquaginta enim ter ducta fiunt centum quinquaginta. Quo cum addideris ipsa tria, quia insigne et eminens debet esse quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti lavacro regenerationis abluitur¹, fiunt centum-quinquaginta-tres. Qui numerus piscium invenitur, quia in dexteram partem missa sunt retia²; et ideo magnos, id est, perfectos, et regno cœlorum aptos habet. Nam illa similitudo reticuli non in dexteram missi, simul cœpit bonos et malos, qui separantur in littore³. Nunc enim intra retia præceptorum et sacramentorum Dei, in Ecclesia quæ nunc est, simul boni malique versantur. Fit autem separatio in fine sæculi, tanquam in fine maris, id est, in littore, cum regnant justi primo temporaliter, sicut in Apocalypsi scriptum est⁴, deinde in æternum in illa civitate quæ ibi describitur, ubi jam conquiescente dispensatione temporali, quæ quadragenario numero significatur, denarius remanet, quam mercedem sancti qui operantur in vinea percepturi sunt.

3°. Potest etiam, si numerus iste consideretur, occurrere ad Ecclesiæ sanctitatem, quæ per Dominum nostrum Jesum Christum facta est: ut quoniam septenario numero creatura constat, cum ternarius animæ et quaternarius corpori tribuitur, susceptio ipsa hominis ducatur ad tria

¹ Matth. xviii, 19. — ² Joan. xxi, 6 et 11. — ³ Matth. xiii, 48. — ⁴ Apoc. xxi, 7.

septies. Quia et Pater misit Filium, et Pater in Filio est, et dono Spiritus sancti de virgine natus est. Et hæc sunt tria, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Septies autem, ipse homo temporali dispensatione susceptus, ut fieret sempiternus. Fit ergo summa numeri viginti unum, id est, tria septies. Hæc autem hominis susceptio ad liberationem valuit Ecclesiæ, cui caput est; ut ipsa Ecclesia, propter animam et corpus, in eodem septenario numero reparetur¹. Ducuntur itaque viginti unum septies, propter eos qui per Dominicum hominem liberantur, et fiunt simul centum-quadragesima septem. Cui additur senarius numerus, signum perfectionis, quia partibus suis, quæ illum metiuntur, constat, ita ut nihil minus nihilque amplius inveniatur. Metitur quippe illum unum quod habet sexies; et duo, quæ habet ter; et tria, quæ bis habet: quæ simul ducta, unum, et duo et tria, sex fiunt. Quod fortasse ad illud etiam sacramentum pertinet, quod Deus sexta die perfecit omnia opera sua². Ad centum ergo et quadragesima septem cum sex addideris, quod est signum perfectionis, fiunt centum-quinquaginta-tria: qui numerus piscium invenitur, postea quam jussu Domini in dexteram partem missa sunt retia, ubi peccatores qui ad sinistram pertinent, non inveniuntur.

QUÆSTIO LVIII. — 1°. Joannes Baptista, considerata Scriptura quæ de illo in Evangelio legitur, multis probabilibus documentis non absurde creditur prophetiæ gestare personam, et eo maxime quod de illo Dominus dicit: « Plus quam Propheta³. » Hic siquidem totius prophetiæ, quæ ab exordio generis humani usque ad adventum Domini de Domino facta est, imaginem gestat. Est autem Evangelii persona in ipso Domino, quæ per prophetiam prænuntiabatur, ejus augetur prædicatio per universum

¹ Ephes. v, 23. — ² Gen. ii, 2. — ³ Matth. xi, 9.

orbem terrarum ab ipso Domini adventu : prophetia autem minuitur postquam id quod prænuntiabat advenit. Itaque Dominus dicit : « Lex et Prophetæ usque ad Joannem Baptistam, abhinc regnum Dei prædicatur¹. » Et Joannes ipse, « Illum, inquit, oportet crescere, me autem minui². » Quod et diebus quibus nati sunt, et mortibus quibus passi sunt, figuratum est. Nascitur namque Joannes ex quo dies incipiunt minui : nascitur Dominus ex quo dies incipiunt crescere. Capite ille minuitur, dum occiditur : hic vero attollitur in cruce. Postquam ergo prophetia ipsa in Joanne constituta digito ostendit præsentem, quem venturum ab exordio generis humani cecinerat, incipit minui, atque inde crescere prædicatio regni Dei³. Et ideo baptizavit Joannes in poenitentiam : finitur enim vetus vita usque ad poenitentiam, atque inde incipit nova.

2^o. Non autem tantum in iis qui proprie Prophetæ appellati sunt, sed in ipsa Veteris Testamenti historia prophetia non silere colligitur ab eis qui pie quærent, et ad hæc investiganda divinitus adjuvantur. Maxime tamen illis evidentioribus rerum figuris apparet : quod Abel justus a fratre interficitur⁴, et Dominus a Judæis : quod arca Noë⁵, tanquam in dilavio sæculi Ecclesia gubernatur : quod Isaac immolandus Deo ducitur⁶, et aries pro illo in sentibus tanquam crucifixus agnoscitur : quod in duobus Abrahamæ filiis, uno de ancilla, altero de libera, duo Testamenta intelliguntur⁷ : quod duo populi in geminis, Esaü scilicet et Jacob, præmonstrantur⁸ : Quod Joseph a fratribus persecutionem passus, ab alienis honoratur⁹, sicut Dominus Judæis persequentibus, apud gentes clarificatus

¹ Luc. xvi, 16. — ² Joan. iii, 30. — ³ Matth. iii, 17. — ⁴ Gen. iv, 8.

⁵ Id. vii, 1. — ⁶ Id. xvi, 3. — ⁷ Gal. iv, 22. — ⁸ Gen. xxv, 23.

⁹ Id. xlv, 8.

est. Longum est commemorare singula, cum ita concludat Apostolus et dicat : « Hæc autem in figura contingebant » eis. Scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum devenit¹. » Finis autem sæculorum tanquam senectus veteris hominis, cum totum genus humanum tanquam unum hominem constitueris, sexta ætate signatur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in uno homine; infantia, pueritia, adolescentia, juvenus, gravitas, et senectus². Prima itaque generis humani ætas est ab Adam usque ad Noë. Secunda, a Noë ad Abraham : qui articuli sunt evidentissimi et notissimi. Tertia, ab Abraham usque ad David : sic enim Matthæus Evangelista partitur³. Quarta, a David usque ad transmigracionem in Babyloniam. Quinta, a transmigracione in Babyloniam usque ad adventum Domini. Sexta, ab adventu Domini usque in finem sæculi speranda est : qua exterior homo tanquam senectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur⁴, et interior renovatur de die in diem⁵. Inde requies sempiterna est, quæ significatur sabbato. Huic rei congruit quod homo sexto die factus est ad imaginem et similitudinem Dei⁶. Nemo autem ignorat hominum vitam jam aliquid administrantem, cognitione et actione fulciri. Nam et actio temeraria est sine cognitione, et sine actione ignava cognitio. Sed prima vita hominis, cui nulla administratio recte creditur, quinque sensibus corporis dedita est; qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Et ideo duæ primæ ætates generis humani denis generationibus definiuntur, tanquam infantia et pueritia; quinario scilicet geminato, quoniam generatio utroque sexu propagatur. Sunt ergo generationes decem ab Adam usque ad Noë, et inde usque ad Abraham alia decem : quas

¹ 1^o Cor. xv, 21. — ² Vide lib. 1 de Genesi contra Manichæos, cap. 23.

³ Matth. 1, 17. — ⁴ 2^o Cor. iv, 56. — ⁵ Gen. 1, 27.

duas aetates infantiam et pueritiam generis humani esse diximus. Adolescentia vero et juvenus et gravitas, id est, ab Abraham usque ad David, et inde usque ad transmigrationem in Babyloniam, et inde usque ad adventum Domini, quatuor denis generationibus figurantur; septenario geminato ad eandem generationem utriusque sexus, cum quinario qui est in sensibus corporis, actio et cognitio addita fuerit. Senectus autem solet etiam tantum tenere temporis, quantum reliquae omnes aetates. Nam cum a sexagesimo anno senectus dicatur incipere, et possit humana vita usque ad centum-viginti annos pervenire, manifestum est solam senectutem posse tam longam esse, quam omnes aetates caeterae priores sunt. Aetas igitur ultima generis humani, quae incipit a Domini adventu, usque in finem saeculi, quibus generationibus computetur incertum est: et hoc utiliter Dens voluit latere, sicut in Evangelio scriptum est, et Apostolus attestatur dicens, diem Domini tanquam furem in nocte esse venturum¹.

3^o. Sed tamen sexta aetate visitatum esse genus humanum humili Domini adventu, superius distinctis generationibus edocetur. Qua visitatione incepit manifestari prophetia, quae superioribus quinque aetatibus latuit: cuius prophetiae personam quoniam Joannes gestabat, ut supra dictum est, ideo ex senibus parentibus nascitur, tanquam senescente saeculo prophetia illa innotescere incipiat: et quinque mensibus se occultat mater ejus, sicut scriptum est, « Occultabat se Elisabeth mensibus quinque². » Sexto autem mense visitatur a Maria matre Domini: et exultat infans in utero, tanquam primo adventu Domini quo in humilitate apparere dignatus est, prophetia manifestari incipiat: sed tanquam in utero, id est, nondum tam evidenter, ut omnes sicut in luce manifestam

¹ Matth. xxiv, 36, et ² Thess. v, 2. — ³ Luc. 1, 24.

esse fateantur: quod futurum credimus secundo adventu Domini, quo in claritate venturus est; cuius adventus praecursor speratur Elias, sicut hujus Joannes fuit. Et ideo dicitur a Domino, « Elias jam venit, et multa ei homines » fecerunt, et si vultis scire, ipse est Joannes Baptista, » qui venturus est¹. » Quia in eodem spiritu et in eadem virtute, tanquam praecedentis praconis officio et hic jam venit, et ille venturus est. Propterea et istum Joannem per spiritum quo pater ejus vates impletus est, dicitur praecursorem Domini futurum esse in spiritu et virtute Eliae². Peractis autem Maria cum Elisabeth mensibus tribus, discedit³. Quo numero mihi videtur significari fides Trinitatis, et baptisma in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti⁴, quo per humilem Domini adventum genus humanum imbuitur, et futuro adventu claritatis ejus extollitur.

QUÆSTIO LIX. — 1^o. Inter parabolas a Domino dictas solet quaerentes multum exercere ista, quae de decem virginibus posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt, quae non sunt praeter fidem: sed quomodo partibus omnibus ejus conveniat expositio; id elaborandum est. Legi etiam in quadam scriptura, ex earum genere quae apocryphae nominantur, non quod sit contra catholicam fidem, sed huic loco mihi minus congruere visa est, consideranti omnes hujus similitudinis partes. De qua tamen expositione temere nihil audeo judicare, ne forte non ejus inconvenientia mihi angustias fecerit, sed mea tarditas in ea convenientiam non invenerit. Quid autem mihi videatur non absurde hoc loco accipi, quantum potero breviter et diligenter exponam.

2^o. Interrogatus igitur Dominus noster secreto a Discipulis de consummatione saeculi, inter multa alia quae lo-

¹ Matth. xvii, 12. — ² Luc. 1, 17. — ³ Ibid. 56.

cutus est, hoc quoque dixit : « Tunc simile æstimabitur
 » regnum cœlorum decem virginibus, quæ acceperunt
 » lampades suas, et venerunt obviam sponso. Quinque
 » autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes ; sed
 » quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpse-
 » runt oleum secum : prudentes autem acceperunt oleum
 » secum in vasis suis, cum lampadibus. Tardante au-
 » tem sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt.
 » Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus
 » venit, surgite obviam ei. Tunc surrexerunt virgi-
 » nes illæ, et aptaverunt lampades suas. Et dixerunt
 » illæ stultæ ad sapientes : Date nobis de oleo vestro, quia
 » lampades nostræ extinguuntur. Responderunt autem
 » sapientes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis,
 » ite potius ad vendentes, et emite vobis. Et dum irent
 » emere, venit sponsus, et quæ paratæ erant intraverunt
 » cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime au-
 » tem veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Do-
 » mine, aperi nobis. At ille respondens ait : Amen dico
 » vobis, Nescio vos. Vigilate ergo, quia nescitis diem, ne-
 » que horam¹. » Decem utique virginum quod quinque
 admittuntur, quinque excluduntur, bonorum et malorum
 discretionem significat. Quapropter si virginitatis nomen
 honorabile est, cur receptis exclusisque commune est?
 Deinde quid sibi vult numerus in utraque parte quinarius?
 Quid autem significat oleum, mirum videtur. Item quod
 sapientes petentibus non communicant : cum et invidere
 fas non sit eas quæ ita perfectæ sunt, ut a sponso recipian-
 tur, quo nomine nullo dubitante Dominus noster Jesus
 Christus significatur ; et misericordes esse oporteat ad
 præstandum ex eo quod habent, præscribente illa senten-
 tia ejusdem Domini dicentis : « Omni poscenti te tribue². »

¹ Matth. xv, 1 et seqq. — ² Luc. vi, 30.

Quid est autem quod possit dando non sufficere utrisque?
 Hæc maxime augent quæstionis difficultatem : quanquam
 et cætera diligenter considerata, ut omnia in unam ratio-
 nem concurrant, nihilque in unam partem dicatur quod
 impediatur aliam, magna cautio adhibenda est.

3^o. Videntur itaque mihi quinque virgines significare
 quinque-partitam continentiam a carnis illecebris. Conti-
 nendus est enim animi appetitus a voluptate oculorum, a
 voluptate aurium, a voluptate olfaciendi, gustandi, tan-
 gendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit,
 ut illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ ; partim
 coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur ;
 quinque dicuntur sapientes, et quinque stultæ : utræque
 tamen virgines, quia utraque continentia est, quamvis
 diverso fomite gaudeat. Lampades autem sunt, quia ma-
 nibus gestantur, opera quæ secundum continentiam is-
 tam fiunt. Dictum est autem, « Luceant opera vestra coram
 » hominibus¹. » Omnes vero « acceperunt lampades suas,
 » et venerunt obviam sponso. » Intelligendum est ergo
 Christi nomine censi de quibus agitur. Non enim possunt
 qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obviam.
 « Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sump-
 » serunt oleum secum. » Multi enim quamvis de Christi
 bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent,
 dum continenter vivunt, nisi in laudibus hominum. Non
 ergo habent oleum secum. Nam ipsam lætitiā oleo signi-
 ficari arbitratur. « Propterea unxit, inquit, te Deus, Deus
 » tuus, oleo exultationis². » Qui autem non propterea
 gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum
 secum. « Prudentes autem acceperunt secum oleum in
 » vasis suis cum lampadibus, » id est, lætitiā bonorum
 operum in corde atque conscientia posuerunt ; sicut Apos-

¹ Matth. v, 16. — ² Psal. xlii, 8.

tolus monet : « Probet autem se homo, inquit, et tunc in » semetipso habebit gloriam, et non in altero¹. Tardante » vero sponso dormitaverunt omnes; » quia ex utroque genere continentium hominum, sive eorum qui coram Deo exultant, sive eorum qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc intervallo temporis, donec sub adventu Domini fiat resurrectio mortuorum. « Media autem » tem nocte, » id est, nullo sciente aut sperante, quippe cum ipse Dominus dicat, « De die autem illa et hora nemo » scit², » et Apostolus, « Dies Domini tanquam fur in » nocte, ita veniet³: » ex quo significatur eum penitus latere, cum venerit, « Clamor factus est: Ecce sponsus » venit, surgite obviam ei. In ictu oculi et in novissima » tuba omnes resurgemus⁴, ergo surrexerunt omnes virgines illæ, et aptaverunt lampades suas » id est, rationes reddendas operum suorum. « Oportet enim nos exhiberi » ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque quod » gessit in corpore, sive bonum, sive malum⁵. Et dixerunt » stultæ ad sapientes: Date nobis de oleo vestro, quia » lampades nostræ extinguuntur. » Quorum enim facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt, et de consuetudine id semper inquirat, unde gaudere animus solet. Itaque hominum, qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. Sed quid responderunt sapientes? « Ne forte non sufficiat » nobis et vobis. » Unusquisque enim pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quisquam adjuvatur apud Deum, cui secreta cordis apparent; et vix sibi quisque sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua. « Quis enim gloriabitur mundum se habere cor⁶? » Inde est quod Apostolus ait: « Mihi autem minimum est, ut a

¹ Gal. vi, 4. — ² Matth. xxiv, 36. — ³ 1 Thess. v, 2. — ⁴ 1 Cor. xv, 52. — ⁵ 2 Cor. v, 10. — ⁶ Prov. xx, 9.

» vobis judicer, aut ab humano die, sed neque memetipsum judico¹. » Quapropter cum de se ipso quisque aut non omnino aut vix possit veram ferre sententiam, quomodo potest de alio judicare, cum sciat nemo quid agatur in homine, nisi spiritus hominis²? « Ite magis ad vendentes, et emite vobis. » Non consilium dedisse putandæ sunt, sed crimen carum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim oleum adulatores, qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas in errorem mittunt, et eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando, aliquam de his mercedem, sive ciborum, sive pecuniæ, sive honoris, sive alicujus commodi temporalis accipiunt, non intelligentibus quod dictum est, « Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt³. » Melius est autem objurgari a justo, quam a peccatore laudari. « Emendabit me, inquit, justus in misericordia, et arguet me; oleum autem peccatoris non » impinguet caput meum⁴. Ite ergo magis ad vendentes, » et emite vobis, » id est, videamus nunc quid vos adjuvant, qui vobis laudes vendere consueverunt, et vos in errorem inducere, ut non coram Deo, sed ab hominibus gloriam quæreretis. « Euntibus autem illis emere, venit » sponsus, » id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt et solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non noverant, venit ille qui judicat: « Et quæ paratæ » erant, » id est, quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat, « intraverunt cum eo ab nuptiis, » id est, ubi munda anima puro et perfecto sempiternoque Dei Verbo fecundanda copulatur. « Et clausa » est janua, » id est, receptis illis qui sunt in angelicam vitam immutati: « Omnes enim, inquit, resurgemus, » sed non omnes immutabimur⁵: » clausus est aditus ad

¹ 1 Cor. iv, 3. — ² Id. ii, 12. — ³ Isai. iii, 12. — ⁴ Psal. cxi, 5. — ⁵ 1 Cor. xiii, 51.

regnum cœlorum. Non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus. « Novissime autem veniunt » et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi » nobis. » Non dictum est, quod emerint oleum : et ideo intelligendæ sunt, nullo jam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustiis et magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei. Sed magna est ejus severitas post iudicium, cujus ante iudicium ineffabilis misericordia prærogata est. Itaque respondens ait : « Amen dico vobis » quod nescio vos : » ex illa scilicet regula, qua non habet ars Dei, hoc est, sapientia Dei, ut non intrent in gaudium ejus, qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus, visi sunt aliquid secundum præcepta ejus operari. Atque ita concludit : « Vigilate ergo, quia nescitis diem neque » horam. » Non modo illius ultimi temporis, quo venturus est sponsus, sed suæ quisque diem dormitionis et horam nescit. Quisquis autem paratus est usque ad somnum, id est, usque ad mortem quæ omnibus debetur, paratus etiam invenietur cum illa vox media nocte sonuerit, qua omnes evigilaturi sunt.

4^o. Quod vero sponso dixit obviam venire virgines, sic intelligendum puto, ut ex ipsis virginibus constet ea quæ dicitur sponsa : tanquam si omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus filii ad matrem concurrere dicantur, cum ex ipsis filiis congregatis constet ea quæ dicitur mater. Nunc enim desponsata est Ecclesia, et virgo est ad nuptias perducenda, id est, cum se continet a corruptione sæculari : illo autem tempore nubet, cum universa mortalitate in ea pereunte, immortalis conjunctione fruatur. » Desponsavi, inquit, vos uni viro virginem castam exhibere Christo¹. » Vos, inquit, virginem : a plurali ad singularem concludens. Ideo et virgines dici possunt, et

¹ 1 Cor. xiii, 2.

virgo. Cur autem quinque dictæ sint, ut mihi videtur expositum est. Sed videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem¹, et nunc ex parte, tunc autem ex toto. Ipsum autem in ænigmate et ex parte nunc in Scripturis aliquid cernere, quod tamen sit secundum catholicam fidem, ex illo pignore contingit, quod accepit virgo Ecclesia humili adventu sponsi sui, quæ illi ultimo adventu cum veniet in claritate nuptura est, cum jam facie ad faciem contuebitur. « Dedit enim nobis pignus Spiritum sanctum², » sicut dicit Apostolus. Et ideo ista expositio nihil certum intuetur, nisi ut secundum fidem sit; neque aliis præjudicat, quæ nihilominus secundum fidem esse potuerint.

QUÆSTIO LX. — Sicut scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est, « Tentat vos Dominus » Deus vester, ut sciat si diligatis eum. » Non enim sic dictum est hoc, quasi nesciat Deus : sed ut ipsi sciant quantum in Domini dilectione profecerint; quod, nisi tentationibus quæ accidunt, non plene ab hominibus agnoscitur. Et ipsum Tentat³, pro eo positum est, quod tentari sinit. Sit et cum dicitur nescire, aut pro eo dicitur quod non approbat, id est, in disciplina et doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est. « Nescio vos⁴ : » aut pro eo quod utiliter nescientes facit, quod scire inutile est. Ideo bene accipitur, id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit Filium scire : et quod dictum est, nescire Filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent.

QUÆSTIO LXI. — 1^o. Quinque panes hordacei, quibus in monte Dominus turbas pavit⁵, significant veterem legem; sive quia nondum spiritalibus, sed adhuc carnalibus

¹ 1 Cor. xiii. — ² 2 Cor. v. — ³ Matth. xxiv, 36. — ⁴ Id. xxv, 12. — ⁵ Joan. vi, 9.

data est¹, id est, quinque corporis sensibus deditis; nam et ipsæ turbæ quinque millia hominum fuerunt: sive quia per Moysen lex ipsa data est; Moyses enim quinque libros scripsit. Et quod hordacei erant panes, bene significant, vel ipsam legem, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur; hordei enim medulla tenacissima palea tegitur: vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat; id est, nondum corde circumcisum, ita ut nec trituratione tribulationum, cum per deserta quadraginta annis duceretur intellectu revelato carnalia integumenta deponeret, sicut nec hordeum areæ tritura illo paleari tegmine exiit. Itaque illi populo congruenter lex talis data est.

2^o. Duo autem pisces, qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas videntur significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat: quarum officium erat procellis ac fluctibus popularibus nunquam frangi atque corrumpi, et violentas turbarum contradictiones tanquam adversantes undas sæpe dirumpere, interdum eis custodia sua integritate cedere: prorsus more piscium tanquam in procelloso mari, sic in turbulenta populi administratione versari. Quæ tamen duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant. Ambas enim solus ille sustinuit, et non figurate, sed proprie solus implevit. Nam et rex noster est Dominus Jesus Christus, qui nobis pugnandi et vincendi demonstravit exemplum, in carne mortali peccata nostra suscipiens, tentationibus inimici neque illecebrosis neque terribilibus cedens: postremo exuens se carne, principatus et potestates expolians fiducialiter¹,

¹ Coloss. ii, 15.

et triumphans eas in semetipso. Itaque ipso duce ab oneribus et laboribus hujus peregrinationis nostræ tanquam ab Ægypto liberamur, et persequentia nos peccata sacramento baptismatis nobis evadentibus obruuntur: et quandiu in spe sumus ejus promissionis, quam nondum videmus, tanquam per deserta ducimur, consolante nos in sanctis Scripturis verbo Dei, sicut illos manna de cœlo: et eodem ipso duce in Jerusalem cœlestem tanquam in terram promissionis introduci nos posse præsumimus, et in æternum ibi regente ipso et custodiente servari. Ita Dominus noster Jesus Christus ostenditur rex noster. Ipse est etiam sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech¹, qui se ipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri². Ergo quoniam rex noster peccata nostra suscepit, ut nobis pugnandi et vincendi demonstraret exemplum, eorumdem peccatorum susceptionem regiamque personam Matthæus evangelista significans, generationem ejus quæ est secundum carnem ab Abraham suscipiens³, qui pater est populi fidelis, et successionem prolis deorsum versus enumerans pervenit ad David, in quo regni stabilimentum manifestissimum apparet; atque inde per Salomonem, natum de illa in qua pater ejus peccaverat, stirpem regiam prosecutus usque ad generationem Domini perducit. Lucas vero alius evangelista⁴, quoniam et ipse generationem Domini, quæ secundum carnem est, sed in sacerdotali persona explicandam suscepit, ad quam personam pertinet mundatio et abolitio peccatorum, non a principio libri, sicut Matthæus, sed ab illo loco ubi baptizatus est Jesus, ubi peccatorum

¹ Psal. cix, 4. — ² Gen. xiv, 18. — ³ Matth. i, 1. — ⁴ Luc. iii, 23.

nostrorum mundationem præfiguravit, incipit parentum ejus originem gradatim prosequi; neque deorsum versus, sicut ille qui eum ad susceptionem peccatorum tanquam descendentem ostendebat, sed sursum versus, tanquam is qui eum post abolitionem peccatorum tanquam ascendentem insinuabat; nec eos parentes, quos ille, nominans. Alia enim erat origo sacerdotalis, quæ per unum ex filiis David, sicuti adsolet, de tribus acerdotali matrimonium sortientem, effecerat ut Maria de utraque tribu, id est, de regia et sacerdotali cognationem duceret. Nam et quando censiti sunt Joseph et Maria, scriptum est eos fuisse de domo, id est, de genere David¹. Et Elisabeth, quæ nihilo minus cognata Mariæ scribitur², erat de tribu sacerdotali. Sicut autem Matthæus, qui tanquam descendentem ad suscipienda peccata nostra regem Christum insinuat, per Salomonem a David descendit: quia Salomon de illa in qua David peccaverat, natus est: ita Lucas, qui tanquam adsententem post abolitionem peccatorum sacerdotem Christum insinuat, per Nathan ascendit ad David³; quia Nathan propheta missus fuerat, cujus correptione David ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetravit. Itaque postea quam transiit Lucas personam David, non dissonat a Matthæo in nominibus generatorum. Nam eos nominat ascendens a David usque ad Abraham, quos ille descendens ab Abraham usque ad David. A David enim in duas familias, regiam et sacerdotalem, origo illa distributa est, quarum duarum familiarum, sicut dictum est, regiam descendens Matthæus, sacerdotalem ascendens Lucas secutus est: ut Dominus noster Jesus Christus rex et sacerdos noster et cognationem duceret de stirpe sacerdotali, et non esset tamen de tribu sacerdotali, hoc est, de tribu Levi, sed esset de tribu Juda, hoc est, de tribu David, ex

¹ Luc. II, 4. — ² Id. I, 36. — ³ I Reg. XIII, 1.

qua tribu nemo intendit altari. Ideo et filius David maxime dicitur secundum carnem, quia et Lucas ascendens, et Matthæus descendens, in David sibi obviam facti sunt. Oportebat enim ut evacuaturus sacrificia, quæ secundum ordinem Aaron in Levitico sacerdotio fiebant, non esset de tribu Levi, ne ad ipsam tribum, et ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur inundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur, implevit: et holocausti ejus imaginem ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, ut esset sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron: sed secundum ordinem Melchisedeh¹. Cujus rei sacramentum diligentius adhuc considerari potest. Sed propter duos pisces, in quibus duas personas, regiam et sacerdotalem figuratas esse diximus, hactenus hinc tractatum esse sufficiat.

3^o. Quod autem super fœnum turba illa discubuit, significat eos qui Testamentum Vetus acceperant, quia regnum eis temporale et Jerusalem temporalis promittebatur, in spe carnali collocatos fuisse. « Omnis enim caro fœnum, » et claritas hominis ut flos fœni². » Quod autem de reliquiis fragmentorum duodecim cophini buccellarum repleti sunt, significabat de ipsius legis adaptione et disputatione, quam Judæi reliquerant et deseruerant, repletos fuisse Discipulos Domini, in quibus duodenarius numerus principatum tenet. Nondum enim erat Scriptura Novi Testamenti, quando Dominus, quasi frangendo et aperiendo quod durum et clausum erat in lege, Discipulos implevit, cum eis post resurrectionem aperuit Scripturas veteres, incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretans illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. « Nam

¹ Hebr. vi, 20, et Psal. cix, 4. — ² Isai. xl, 6.

« et nunc eum duo illorum in panis fractione cognoverunt? »

4^a. Et ideo secunda pastio populi, quæ de septem panibus facta est, ad Novi Testamenti prædicationem recte intelligitur pertinere. Non enim ab aliquo Evangelista dictum est, quod isti panes hordeæ fuerint, sicut de illis quinque dixit Joannes¹. Hæc ergo pastio de panibus septem ad gratiam pertinet Ecclesiæ, quæ notissima illa septenaria sancti Spiritus operatione reflecta cognoscitur. Et ideo non hic duo pisces fuisse scribuntur, sicut in veteri lege, ubi duo soli ungebantur, rex et sacerdos; sed pauci pisces, id est, qui primi Domino Jesu Christo crediderunt, et in ejus nomine uncti sunt, et missi ad prædicandum Evangelium, et ad sustinendum turbulentum mare hujus sæculi, ut pro ipso magno pisce, id est, pro Christo legationem fungerentur, sicut Paulus apostolus dicit². Neque in ipsa turba quinque millia hominum fuerant, sicut illic, ubi carnales legem accipientes, id est, quinque sensibus carnis dediti significantur; sed quatuor millia potius, quo numero significantur spirituales, propter quatuor animi virtutes, quibus in hac vita spiritaliter vivitur, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum: secunda, refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant: tertia, firmitas animi adversus ea quæ temporaliter molesta sunt: quarta, quæ per cæteras omnes diffunditur, dilectio Dei et proximi.

5^a. Sane et ibi quinque millia hominum, et hic quatuor millia exceptis mulieribus et pueris fuisse memorantur: quod mihi videtur ad hoc pertinere, ut intelligamus, et in populo Veteris Testamenti fuisse quosdam infirmos ad implendam justitiam quæ secundum legem est, in qua jus-

¹ Luc. xxiv, 27. — ² Matth. xv, 34, et Marc. viii, 5. — ³ Cor. v, 20.

titia apostolus Paulus sine querela se conversatum esse dicit¹; fuisse item alios qui facile seducerentur in cultum idolorum. Quæ duo genera, id est, infirmitatis et erroris, mulierum et puerorum nominibus figurata sunt. Infirmus est enim mulierum sexus ad actiones, et facilis ad lusum pueritia. Quid autem lusus puerili tam simile est, quam idola colere? quando et Apostolos ad hoc retulit hoc genus superstitionis, cum ait, « Neque idolis servientes, quemadmodum quidam eorum, sicut scriptum est, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere². » Mulieribus ergo similes erant, qui in laboribus expectationis, quo usque ad promissa Dei pervenirent, non viriliter perseverantes tentaverunt Deum: pueris autem, qui sederunt manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. Non solum autem ibi, sed etiam in populo Novi Testamenti qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel mentis levitate, mulieribus et pueris comparandi sunt³. Nam illis dicitur: « Si tamen initium substantiæ ejus usque in finem firmum retineamus⁴: » Illis autem, « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia infantes estote, ut sensibus perfecti sitis⁵. » Et ideo neque in Vetere, neque in Novo Testamento tales admittuntur ad numerum; sed sive ibi quinque millia, sive hic quatuor millia, exceptis mulieribus et pueris fuisse dicuntur⁶.

6^a. Quamvis vero et illic et hic propter ipsum Christum, qui assidue in Scripturis mons appellatur, ut congruenter in monte uterque populus pasceret⁷, hic tamen non in fœno discumbitur, sed in terra. Hic enim celsitudo Christi propter carnales homines et Jerusalem terrenam carnali

¹ Philip. iii, 6. — ² Cor. x, 7, et Eccl. xxiii, 6. — ³ Ephes. iv, 13. — ⁴ Hebr. iii, 14. — ⁵ 1 Cor. xiv, 20. — ⁶ Joan. vi, 10, et Matth. xiv, 21, et 14, xv, 38.

spe et desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali, convivas Novi Testamenti, spei permanentis firmamentum, tanquam ipsius montis soliditas, nullo fœno interposito continebat.

7^o. Et quoniam rectissime dicit Apostolus, « Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur¹: » hoc significare videtur et Dominus, cum dicit de his quos quinque panibus pasturus erat, « Non opus habent ire, » sed date illis vos manducare². » Sub his autem verbis figuraliter tanquam custodiendi detinentur, cum hoc admonuissent Discipuli, ut dimitteret eos. Hujus vero turbæ, quæ ad septem panes pertinet, ultro se misereri dixit, quod jam tertius dies esset, ex quo ei jejuni hæssent³. In toto enim sæculo generis humani tertium tempus est, quo fidei christianæ gratia data est. Primum est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Et quoniam quartum adhuc restat; quo ad plenissimam pacem Jerusalem cœlestis venturi sumus; quo tendit quisquis recte credit in Christum; propterea se dicit turbam illam reficere Dominus, ne deficiant in via. Ista enim dispensatio, qua nobis Dominus temporaliter et visibiliter in homine apparere dignatus est, et dedit nobis pignus Spiritum sanctum, cujus operatione septenaria vegetaremur, Apostolica auctoritate quasi paucorum piscium sapore conjuncto: hæc ergo dispensatio quid aliud agit, nisi ut ad palmam supernæ vocationis sine defectu virium pervenire possimus⁴? « Per fidem enim ambulamus, et non per speciem⁵. » Et ipse apostolus Paulus nondum se dicit comprehendisse regnum Dei, « sed ea quæ retro sunt » oblitus, in ea quæ ante sunt extensus, secundum intentionem sequor, inquit, ad palmam supernæ vocationis.

¹ Gal. iii, 23. — ² Matth. xiv, 16. — ³ Il. xv, 32. — ⁴ 2 Cor. v, 5. — ⁵ Ibid. 7.

» Veruntamen in quod pervenimus, in eo ambulemus¹; » quia tertio die Domino adhærentes et ab illo pasti, non deficiemus in via.

8^o. Etiam hic sane perveniri ad confedendi finem non potuit, sed relictæ sunt escæ. Non enim frustra de futuro dictum est: « Putas-ne veniens Filius hominis inveniet fidem super terram²? » Et credo ita futurum, propter mulieres et pueros. Sed tamen septem sportas reliquæ fragmentorum impleverunt, ad quas Ecclesia septiformis, quæ in Apocalypsi etiam describitur, pertinet, id est, omnis qui perseveraverit usque in finem³. Ille enim qui dixit: « Putas-ne veniens Filius hominis inveniet fidem » super terram² » significavit quidem in extremo convivii relinqui posse et deseri escas suas: sed quoniam ipse item dixit: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit⁴; » significavit non defuturam Ecclesiam, quæ septenario numero eosdem septem panes abundantius recipiat, et latitudine cordis, quæ ipsam perseverantiam in sportis videtur significare, contineat.

QUÆSTIO. LXII. — Quæritur utrum qui baptizati sunt illo tempore, quo scriptum est Dominum per Discipulos suos baptizasse plures quam Joannes, acceperint Spiritum sanctum⁵. Alio enim loco Evangelii sic dicitur: « Spiritus » enim nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus⁶. » Et facillime quidem ita responderetur, quod Dominus Jesus, qui etiam mortuos suscitabat, poterat neminem illorum mori sinere, donec post ejus clarificationem, id est, resurrectionem a mortuis et ascensionem in cœlum acciperent Spiritum sanctum. Sed occurrit animo latro ille, cui dictum est: « Amen dico » tibi, hodie mecum eris in paradiso⁷: » qui nec ipsum

¹ Philip. iii, 13. — ² Luc. xviii, 8. — ³ Apoc. i, 3. — ⁴ Matth. xxiv, 13. — ⁵ Joan. iv, 1. — ⁶ Id. vii, 39. — ⁷ Luc. xxiii, 43.

baptismum acceperat. Quoniam Cornelius¹, et qui cum eo ex gentibus crediderant, Spiritum sanctum etiam prius quam baptizarentur acceperint: non tamen video quomodo et ille latro sine Spiritu sancto dicere potuerit: « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum². » Nemo enim dicit, Dominus Jesus, ait Apostolus, nisi in Spiritu sancto³. » Cujus fidei fructum ipse Dominus monstravit dicens: « Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei atque justitia deputatum est etiam baptisma credenti latroni, et pro accepto habitum in animo libero, quod in corpore crucifixo accipi non poterat: sic etiam Spiritus sanctus latenter dabatur ante Domini clarificationem; post manifestationem autem divinitatis ejus manifestius datus est. Et hoc dictum est: « Spiritus autem nondum erat datus⁴: » id est, nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse faterentur. Sicut etiam Dominus nondum erat clarificatus inter homines, sed tamen clarificatio ejus æterna nunquam esse destitit. Sicut et adventus ejus ea ipsa dicitur demonstratio in carne mortali. Nam illuc venit, ubi erat: quia « in sua propria venit, et in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est⁵. » Sicut ergo Domini adventus intelligitur demonstratio corporalis, tamen ante hanc demonstrationem ipse in omnibus Prophetis sanctis tanquam Dei Verbum et Dei Sapientia loentus est: sic et adventus Spiritus sancti, demonstratio Spiritus sancti est ipsis etiam oculis carneis, quando visus est ignis divisus super eos, et ceperunt loqui linguis⁶. Nam si non erat in hominibus Spiritus sanctus ante Domini visibilem clarificationem, quomodo dicere potuit David, « Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a

¹ Act. x, 44. — ² Luc. xiiii, 42. — ³ 1 Cor. xii, 3. — ⁴ Joan. vii, 39. — ⁵ Id. i, 11. — ⁶ Act. ii, 3.

» me¹? » Aut quomodo impleta est Elisabeth et Zacharias vir ejus ut prophetarent, et Anna, et Simeon, de quibus omnibus scriptum est², quod impleti Spiritu sancto illa quæ in Evangelio legimus dixerint? Ut autem quædam latenter, quædam vero per creaturam visibilem visibiliter Deus operetur, pertinet ad gubernationem providentiæ, qua omnes divinæ actiones locorum temporumque ordine ac distinctione pulcherrima peraguntur, cum ipsa divinitas nec teneatur nec migret locis, nec tendatur varieturve temporibus. Quomodo autem ipse Dominus secum habebat utique Spiritum sanctum in ipso homine quem gerebat, quando ut baptizaretur venit ad Joannem, et tamen postquam baptizatus est, descendere in eum Spiritus sanctus visus est in columbæ specie³: sic intelligendum est et ante manifestum et visibilem adventum Spiritus sancti quoscumque homines sanctos eum latenter habere potuisse. Ita sane hoc diximus, ut intelligamus etiam ista ipsa visibili demonstratione Spiritus sancti, qui adventus ejus dicitur, ineffabili vel etiam incogitabili modo largius in hominum corda plenitudinem ejus infusam.

QUÆSTIO. LXIII. — « In principio erat Verbum⁴. » Quod λόγος dicitur, latine et rationem et verbum significat. Sed hoc loco melius verbum interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt operativa potentia. Ratio autem, etsi nihil per illam fiat, recte ratio dicitur.

QUÆSTIO LXIV. — 1^o. Evangelica sacramenta in Domini nostri Jesu Christi dictis factisque signata non omnibus patent et ea nonnulli minus diligenter minusque sobrie interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, et pro cognitione veritatis errorem: inter quæ illud est

¹ Psal. l, 13. — ² Luc. i, 41 et 67, et Act. ii, 25. — ³ Matth. iii, 13. — ⁴ Joan. i, 1.

sacramentum, quod scriptum est, Dominum hora diei sexta venisse ad puteum Jacob¹, fessumque ab itinere sedisse, et a muliere Samaritana potum petisse, et cætera quæ in eodem Scripturarum loco discutienda et pertractanda dicuntur. De qua re id primo tenendum est, quod in omnibus Scripturis summa vigilantia custodiri oportet, ut secundum fidem sit sacramenti divini expositio.

2^o. Hora igitur diei sexta venit ad puteum Dominus noster. Video in puteo tenebrosam profunditatem. Admoner ergo intelligere mundi hujus infimas partes, id est, terrenas, quo venit Dominus Jesus hora sexta, id est, sexta ætate generis humani, tanquam in senectute veteris hominis, quo jubemur exui¹, ut induamur novo, qui secundum Deum creatus est. Nam sexta ætas senectus est; quoniam prima infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta juvenus, quinta gravitas. Veteris itaque hominis vita, quæ secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta ætate senectute concluditur. Qua senectute, ut dixi, humani generis Dominus noster et creator nobis et reparator advenit; ut moriente scilicet vetere homine, novum in se constitueret, quem exutum labe terrena in cœlestia regna transferret. Ergo nunc puteus, ut dictum est, mundi hujus terrenum laborem et errorem tenebrosa profunditate significat. Et quoniam exterior est homo vetus, et novus interior³; dictum est enim ab Apostolo, Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem: rectissime omnino, (quoniam omnia visibilia ad exteriorem hominem pertinent, quibus christiana disciplina renuntiatur,) hora sexta venit Dominus ad puteum, id est, medio die, unde jam incipit sol iste visibilis declinare in occasum: quoniam et nobis vocatis a Christo visibilibus delectatio minuitur,

¹ Joan. iv, 5. — ² Ephes. iv, 22. — ³ 2 Cor. iv, 16.

ut invisibilium amore homo interior recreatus, ad interiorum lucem quæ nunquam occidit, revertatur, secundum apostolicam disciplinam⁴, non quærens quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.

3^o. Quod autem fatigatus venit ad puteum, infirmitatem carnis significat; quod sedit, humilitatem: quia et imbecillitatem carnis pro nobis suscepit, et homo hominibus tam humiliter apparere dignatus est. De hac infirmitate carnis Propheta dicit: « Homo in plaga positus, et sciens » ferre imbecillitatem². » De humilitate vero Apostolus loquitur dicens: « Humiliavit se, factus subditus usque » ad mortem³. » Quanquam illud quod sedit, quoniam solent sedere doctores, possit alio intellectu non humilitatis modestiam, sed magistri demonstrare personam.

4^o. Sed quæri potest, quare a muliere Samaritana, quæ hydriæ aqua implendæ gratia venerat, bibere postulaverit, cum ipse postea spiritualis fontis affluentiam se petentibus dare posse prædicaverit? Sed scilicet sitiebat Dominus mulieris illius fidem, quæ quoniam Samaritana erat, et solet Samaria idololatriæ imaginem sustinere: ipsi enim separati a populo Judæorum, simulacris mutorum animalium, id est, vaccis aureis animarum suarum decus addixerant: venerat autem Dominus noster Jesus, ut gentium multitudinem, quæ simulacris serviebat, ad munimentum fidei christianæ et incorruptæ religionis adduceret. « Non est enim, inquit, opus sanis medicus, sed male » habentibus⁴. » Eorum ergo fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit: Dixit ergo ad eam Jesus: « Mulier, da mihi » bibere⁵. » Et ut noveris quid sitiebat Dominus noster, post paululum veniunt Discipuli ejus, qui perrexerant in

¹ 2 Cor. iv, 18. — ² Isai. lvi, 3. — ³ Philip. ii, 8. — ⁴ Matth. ix, 12. — ⁵ Joan. iv, 7.

civitatem ut cibos emerent, et dicunt ei: « Rabbi, man-
 » duca. Ille autem dixit eis, Ego habeo escam mandu-
 » care, quam vos nescitis. Dicunt ergo Discipuli ejus ad
 » alterutrum: Numquid aliquis attulit ei manducare?
 » Dixit eis Jesus: Cibus meus est, ut faciam ejus volunta-
 » tem qui me misit, et ut perficiam opus ejus¹. » Numquid
 hic intelligitur alia voluntas Patris, qui eum misit, et opus
 ejus quod se perficere velle respondit, nisi ut nos ad fidem
 suam a pernicioso mundi errore converteret? Qualis est
 ergo cibus ejus, talis et potus. Quapropter hoc in illa
 muliere sitiebat, ut faceret in ea voluntatem Patris, et
 perficeret opus ejus. Sed carnaliter intelligens respondit:
 « Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere petis, cum
 » sim mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi
 » Samaritanis². » Cui Dominus noster dixit: « Si scires
 » donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere;
 » tu magis, petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam: »
 ut hinc ei ostenderet, non se talem aquam petiisse, qualem
 ipsa intellexerat: sed quia ipse sitiebat fidem ejus, eidem-
 que sitiienti Spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim
 recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, si-
 cut ipse ait, « Si scires donum Dei. » Et sicut idem Joannes
 evangelista testatur alio loco dicens, quod stabat Jesus, et
 clamabat: « Si quis sitit, veniat et bibat: qui credit in me,
 » sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ
 » vivæ³. » Consequenter omnino, « Qui credit, inquit, in
 » me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: » quia primo
 credimus, ut hæc dona mereamur. Hæc ergo flumina
 aquæ vivæ, quæ illi mulieri volebat dare, merces est fidei,
 quam prius in illa sitiebat. Cujus aquæ vivæ interpretatio-
 nem ita subjicit: « Hoc autem, inquit, dicebat de Spiritu
 » quem accepturi erant hi qui in eum credituri erant.

¹ Joan. iv, 4-31 et seqq. — ² Id. 9 et seqq. — ³ Id. vii, 37, 38.

» Nondum autem erat Spiritus datus, quia Jesus nondum
 » fuerat clarificatus¹. » Hoc itaque donum Spiritus sancti
 est, quod post suam clarificationem dedit Ecclesiæ, sicut
 alia Scriptura dicit: « Ascendens in altum captivam duxit
 » captivitatem, dedit dona hominibus². »

5^o. Sed adhuc illa mulier carnaliter sapit; sic enim
 respondit: « Domine, neque hauritorium habes; et puteus
 » altus est, unde mihi habes dare aquam vivam? Num-
 » quid tu majores patre nostro Jacob, qui dedit nobis
 » hunc puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora
 » ejus³? Nunc vero jam Dominus exponit quid dixerit.
 « Omnis, inquit, qui biberit de aqua ista, sitiet iterum:
 » qui autem biberit de aqua, quam dederò, non sitiet in
 » sempiternum; sed aqua illa quam dederò, fiet in eo
 » fons aquæ salientis in vitam æternam. » Sed adhuc mu-
 lier prudentiam carnis amplectitur. Quid enim respondit?
 « Domine, da mihi hanc aquam, ut neque sitiam, neque
 » veniam huc haurire. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum
 » tuum, et veni huc. » Cum sciret eam virum non habere,
 cur hoc dixerit, quæritur. Namque cum mulier dixisset:
 « Non habeo virum: » dicit ei Jesus: « Bene dixisti,
 » non habere te virum; quinque enim viros habuisti, et
 » nunc quem habes, non est tuus vir; hoc verum dixisti. »
 Sed non sunt hæc carnaliter accipienda, ne huic ipsi adhuc
 mulieri Samaritanæ similes esse videamur. Sed de illo
 dono Dei si aliquid jam gustavimus, spiritaliter ista trac-
 temus.

6^o. Quinque viros, quinque libros qui per Moysen mi-
 nistrati sunt, nonnulli accipiunt. Quod autem dictum est,
 « Et nunc quem habes, non est tuus vir⁴; » de se ipso
 Dominum dixisse intelligunt, ut iste sit sensus: Primo

¹ Joan. vii, 39. — ² Psal. lxxvii, 19, et Ephes. iv, 8. — ³ Joan. iv, 11 et
 seqq. — ⁴ Ibid. 18.

quinque libris Moysi, quasi quinque viris servisti; nunc autem quem habes, id est, quem audis, qui loquitur tecum, non est tuus vir, quia nondum in eum credidisti. Sed quoniam nondum credens Christo, adhuc utique illorum quinque virorum, id est, quinque librorum copulatione tenebatur, potest movere quomodo dici potuerit, « Quinque viros habuisti, » quasi nunc eos jam non haberet, cum adhuc utique ipsis subdita viveret. Deinde cum quinque libri Moysi nihil aliud quam Christum prædicent, sicut ipse ait: « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, ille enim de me scripsit¹; » quomodo potest intelligi a quinque illis libris recedere hominem, ut ad Christum transeat, cum ille qui credit in Christum, non relinquendos quinque illos libros, sed spiritaliter intelligendos multo avidius amplectatur?

7^o. Est ergo alius intellectus, ut quinque viri intelligantur quinque corporis sensus: unus qui ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem et quoslibet colores formasque corporum cernimus: alter aurium, quo vocum et omnium sonorum momenta sentimus: tertius narium, quo varia odorum suavitate delectamur: quartus in ore gustus qui dulcia et amara sentit, et omnium saporum habet examen: quintus per totum corpus tangendo dijudicat calida et frigida, mollia et dura, levia et aspera, et quidquid aliud est quod tangendo sentimus. Istis itaque carnalibus quinque sensibus prima hominis ætas imbuitur necessitate naturæ mortalis, qua ita post peccatum primi hominis nati sumus, ut nondum reddita luce mentis, carnalibus sensibus subditi, carnalem vitam sine ulla veritatis intelligentia transeamus. Tales necesse est esse infantes et parvulos pueros, qui nondum possunt accipere rationem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam ætatem

¹ Joan. v, 46.

regunt, et a Deo artifice nobis tributi sunt, recte dicuntur viri, id est, mariti, tanquam legitimi; quoniam non eos error vitio proprio, sed Dei artificio natura contribuit. Cum autem quisque venerit ad eam ætatem, ut jam possit capax esse rationis, si veritatem statim comprehendere potuerit, non jam illis sensibus rectoribus utetur, sed habebit virum, spiritum rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat, servituti subjiciens corpus suum: cum anima non jam quinque viris, id est, quinque corporis sensibus subdita est, sed Verbum divinum habet legitimum virum, cui copulata et inhærens, cum et ipse spiritus hominis hæserit Christo, quia caput viri Christus est², amplexu spiritali æterna vita sine ullo separationis timore perfruitur. « Quis nos enim separare poterit a charitate Christi³? » Sed quoniam illa mulier errore tenebatur, qui significabat multitudinem sæculi vanis superstitionibus subjugati, post tempora illa quinque carnalium sensuum, quibus prima ætas, ut diximus, regitur, non eam Verbum Dei acceperat in conjugium, sed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam esse carnalem, id est, carnaliter sapere: « Vade, voca virum tuum, et veni huc, » id est, remove te ab affectione carnali, in qua nunc constituta es, unde non potes intelligere quæ loquor: « et voca virum tuum, » id est, spiritu intelligentiæ præsens esto. Est enim animæ quasi maritus quodam modo spiritus hominis, qui animalem affectionem tanquam conjugem regit. Non ille Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio incommutabilis manet, et dignis animis incommutabiliter datur: sed Spiritus hominis, de quo Apostolus dicit: « Nemo scit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis³. » Nam ille Spiritus sanctus, Spiritus Dei est; de quo iterum dicit sic: « Et quæ

¹ I Cor. xi, 3. — ² Rom. viii, 35. — ³ I Cor. ii, 11.

» Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei. » Hic ergo spiritus hominis cum præsens est, id est, intentus, et se pietate subjicit Deo, intelligit homo quæ spiritaliter dicuntur. Cum autem diaboli error, tanquam absente intellectu, in anima dominatur, adulter est. « Voca ergo, inquit, virum tuum, » id est, spiritum qui in te est, quo potest homo intelligere spiritalia, si eum lux veritatis illustret: ipse adsit, cum loquor tibi, ut spiritalem possis accipere aquam. Et cum illa diceret: « Non habeo virum: Bene, inquit, dixisti; » quinque enim viros habuisti, « id est, quinque sensus carnis, qui te in prima ætate rexerunt; » et nunc quem » habes, non est tuus vir, » quia non est in te spiritus, qui intelligit Deum, cum quo legitimum possis habere connubium; sed error diaboli potius dominatur, qui te adulterina contaminatione corrumpit.

8^o. Et fortasse ut intelligentibus indicaret, quinque memoratos corporis sensus quinque virorum nomine significari, post quinque responsiones carnales ista mulier sexta responsione nominat Christum. Nam prima ejus responsio est, « Tu cum sis Judæus, quomodo a me bibere » petis¹? » Secunda, « Domine, neque hauritorium habes, » et puteus altus est. » Tertia, « Domine, da mihi hanc » aquam, ut neque sitiam, neque veniam huc haurire. » Quarta, « Non habeo virum. » Quinta, « Video quia propheta es, patres nostri in monte hoc adoraverunt. » Nam et ista responsio carnalis est. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus, ubi orarent: spiritalis autem in spiritu et veritate oraturos Dominus dixit. Quod postea quam locutus est, sexta mulieris responsio Christum fatetur omnium istorum esse doctorem: dicit enim, « Scio quia » Messias veniet, qui dicitur Christus: cum venerit, ipse » nobis annuntiabit omnia. » Sed adhuc errat, quia eum

¹ Joan. iv, 9 et seqq.

quem venturum sperat, venisse non videt. Verumtamen misericordia Domini nunc error iste tanquam adulter expellitur. Dicit enim ei Jesus, « Ego sum, qui tecum loquor. » Quo audito illa non respondit, sed statim relicta hydria sua abiit in civitatem festinans, ut Evangelium et Domini adventum, non tantum crederet, sed etiam prædicaret. Nec hoc quod relicta hydria discessit, negligenter prætereundum est. Hydria enim fortasse amorem sæculi hujus significat, id est, cupiditatem, qua sibi homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est, de terrena conversatione hauriunt voluptatem: qua percepta iterum in ejus appetitum inardescant, sicut « de » aqua illa qui liberit, inquit, sitiet iterum¹. » Oportebat autem ut Christo credens, sæculo renuntiaret, et relicta hydria cupiditatem sæcularem se reliquisse monstraret; non solum corde credens ad justitiam, sed etiam ad salutem ore confessura et prædicatura quod credidit².

QUÆSTIO LXV. — Quanquam secundum Evangelicam historiam resuscitatum Lazarum plena fide teneamus³; tamen et in allegoria significare aliquid non dubito. Neque cum res factæ allegorizantur, gestæ rei fidem amittunt. Sicut duorum filiorum Abrahamæ allegoriam Paulus exponit duo esse Testamenta⁴: numquid ideo, aut Abraham non fuit, aut illos filios non habuit? Ergo et in allegoria accipiamus Lazarum in monumento, animam terrenis peccatis obrutam, id est, omne humanum genus⁵: quam alio loco Dominus per ovem perditam significat, propter quam liberandam relictis nonaginta-novem in montibus, descendisse se dicit⁶. Quod autem interrogat dicens, « Ubi eum posuistis? » vocationem nostram quæ fit in occulto, arbitror significare. Prædestinatio enim vo-

¹ Joan. iv, 13. — ² Rom. x, 10. — ³ Joan. xi, 1. — ⁴ Gal. iv, 22. — ⁵ Luc. xv, 4. — ⁶ Joan. xi, 34.

cationis nostræ occulta est : cujus secreti signum est interrogatio Domini quasi nescientis, cum ipsi nesciamus : sicut dicit Apostolus, « Ut cognoscam, sicut et cognitus » sum¹. » Vel quod ignorare se peccatores alio loco Dominus ostendit dicens, « Non novi vos² : » quod significabat Lazarus sepultus : quia in disciplina et præceptis ejus non sunt peccata. Huic interrogationi simile est illud in Genesi, « Adam, ubi es³? » Quoniam peccaverat, et se absconderat a facie Dei. Quam occultationem hic sepultura significat : ut peccantis habeat similitudinem moriens ; sepultus, absconditi a facie Dei. « Auferte autem » lapidem, » quod ait, illos puto significare, qui venientibus ad Ecclesiam ex Gentibus onus circumcisionis imponere volebant ; contra quos multipliciter scribit Apostolus⁴ : vel eos qui in Ecclesia corrupte vivunt et offensionem sunt credere volentibus. Dicit illi Martha : « Domine, jam » quarta dies est, et putet⁵. » Ultimum quatuor elementorum terra est : significat ergo putorem terrenorum peccatorum, id est, cupiditatum carnalium. « Terra es, inquit » Adæ Dominus, cum peccasset, et in terram ibis⁶. » Et sublato lapide exiit de monumento involutus manibus et pedibus, et facies ejus tecta erat sudario. Quod autem exiit de monumento, animam significat recedentem a carnalibus vitis. Quod vero institis obvolutus, hoc est, quod etiam a carnalibus recedentes et mente servientes legi Dei, adhuc tamen in corpore constituti alieni a molestiis carnis esse non possumus, dicente Apostolo, « Mente servio legi » Dei, carne autem legi peccati⁷. » Quod autem facies ejus sudario tecta erat, hoc est, quod in hac vita plenam cognitionem habere non possumus, sicut Apostolus dicit, » Nunc videmus per speculum in ænigmate⁸, postea autem

¹ 1 Cor. xiii, 12. — ² Matth. vii, 23. — ³ Gen. iii, 10. — ⁴ Gal. ii, 3 et seqq. — ⁵ Joan. xi, 39. — ⁶ Gen. iii, 19. — ⁷ Rom. vii, 25. — ⁸ 1 Cor. xiii, 12.

» facie ad faciem. » Et dixit Jesus : « Solvite eum, et sinite » ire¹ : » hoc est, quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem quem Dei Sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et cæteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur, id est, etiam renata anima nisi resolutione corporis libera ab omni peccato et ignorantia esse non potest, quandiu per speculum et in ænigmate videt Dominum : illius autem lintamina et sudarium, qui peccatum non fecit, et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt². Ipse enim solus in carne non tantum monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur³, sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.

QUESTIO LXVI. — Apostolus in hac similitudine, in qua de viro et muliere loquitur, quoniam mulier tenetur lege viri, tria quædam consideranda commendat, mulierem, virum, et legem : mulierem scilicet subjugatam viro per vinculum legis, quo vinculo morte viri liberatur, ut cui vult nubat. Sic enim dicit : « Mulier enim sub viro » vivo marito juncta est legi : si autem mortuus fuerit vir » ejus, evacuata est a lege viri. Igitur vivente viro vocatur » bitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro⁴. » Huc usque similitudo est. Deinde incipit rem loqui, cui explanandæ ac probandæ similitudinem induxit. In qua etiam re tria similiter attendenda sunt, homo, peccatum, lex. Tandiu enim dicit sub lege esse hominem, quandiu vivit peccato ; quemadmodum tandiu mulier sub lege viri est, quandiu

¹ Joan. xi, 54. — ² Id. xx, 7. — ³ Isai. lvi, 9. — ⁴ Rom. vii, 1 et seqq.

vivit vir¹. Hoc autem peccatum hic intelligendum est, quod accessit per legem. Quod peccatum dicit supra modum esse; quoniam cum jam appareat esse peccatum, fit tamen, et adjuncta prævaricatione cumulatur. « Ubi » enim non est lex, nec prævaricatio². » Et hoc est quod dicit, « Ut fiat supra modum peccator, aut peccatum per » mandatum. » Quapropter legem, quamvis a peccando prohibeat, non tamen sic dicit datam, ut liberaret a peccato; sed ut demonstraret peccatum, cui serviens anima debet se ad gratiam liberatoris convertere, ut a peccato liberetur. « Per legem enim cognitio peccati, » et alio loco dicit, « Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum » operatum est mihi mortem³. » Ubi ergo non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quod quidem ad hoc utile est, ut sentiat anima se ipsam non sibi sufficere ad extrahendum se de servitute peccati, atque hoc modo detumescente atque extincta omni superbia, subdatur liberatori suo, sinceriterque homo dicat, « Adhæsit anima mea post te⁴ : » quod est jam non esse sub lege peccati, sed in lege justitiæ. Lex autem peccati dicitur, non quia lex ipsa peccatum est, sed quia peccatoribus imponitur. Ideo etiam lex mortis, quia stipendium peccati mors, aculeus mortis peccatum⁵, virtus autem peccati lex. Peccando enim ad mortem labimur. Vehementius enim peccamus lege prohibente, quam si nulla lege prohiberemur. Accedente autem gratia, id ipsum quod lex onerose jusserat, jam sine onere ac libentissime implemus. Lex ergo peccati et mortis, id est, quæ imposita est peccantibus atque morientibus, jubet tantum ne concupiscamus, et tamen concupiscimus. Lex autem spiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, et li-

¹ Rom. iv, 15. — ² Id. vii, 13. — ³ Id. iii, 21, et vii, 13. — ⁴ Psal. lxxii, 9. — ⁵ Rom. vi, 23, et i Cor. xv, 56.

berat a lege peccati et mortis¹, facit ut non concupiscamus, et impleamus jussa legis, non jam servi legis per timorem, sed amici per charitatem, et servi justitiæ unde illa lex promulgata est. Justitiæ autem non serviliter, sed liberaliter serviendum est, id est, charitate potius, quam timore. Ideoque verissime dictum est, « Legem ergo evacuamus per » fidem? Absit² : » sed legem statuimus. Hoc enim efficit fides, quod lex jubet. Statuitur ergo lex per fidem : quæ fides si non sit, jubet tantum lex, et non implentes jussa, reos tenet, ut eos gementes et non valentes implere quæ jussa sunt, ad gratiam liberatoris aliquando convertat.

2º. Cum ergo tria quædam in illa similitudine videamus mulierem, virum et legem; et rursus in hac re propter quam similitudo adhibita est, tria, animam, peccatum, et legem peccati : hoc solum hic diversum est, quod in illa similitudine vir moritur, ut nubat mulier cui volet, et a lege viri solvatur : hic autem ipsa anima moritur peccato, ut nubat Christo; cum autem moritur peccato, moritur etiam legi peccati. « Itaque, ait, fratres mei, et vos » mortui estis legi per corpus Christi³, ut sitis alterius qui » ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. Cum enim » essemus in carne, » inquit, id est, carnalibus desideriis obstricti teneremur, « passiones peccatorum quæ per legem » sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. » Aucta concupiscentia, quam lex prohibet, ubi non erat fides, et ad cumulum peccatorum prævaricationis crimen est adjectum : quia ubi non est lex, nec prævaricatio⁴. Has dicit passiones, quæ per legem sunt, operatas in membris nostris, ut fructum ferrent morti. Sub istis passionibus, tanquam sub viro dominante, agebat anima antequam veniret gratia per fidem. His ergo passionibus moritur, qui jam servit mente legi Dei;

¹ Rom. vii, 2. — ² Id. iii, 31. — ³ Id. vii, 4 et 5. — ⁴ Id. iv, 15.

quamvis ipsæ passiones nondum mortuæ sint, quandiu carne servit legi peccati. Restat ergo adhuc aliquid ei qui est sub gratia, quod eum non vincat, nec captivum ducat, donec mortificetur totum quod consuetudine prava roboratum est, et unde corpus etiam nunc mortuum esse dicitur, quandiu non perfecte servit spiritui. Continget autem ut perfecte serviat, cum fuerit et ipsum mortale corpus vivificatum.

3^o. Ex quo comprehendimus quatuor esse differentias etiam in uno homine, quibus gradatim peractis in vita æterna manebitur. Quia enim oportebat atque id justum erat, ut postea quam natura nostra peccavit, amissa beatitudine spiritali, quæ paradisi nomine significatur, animales carnalesque nasceremur; prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, et sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum jam prohibemur a peccato, et tamen consuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissime credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur; sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quamvis ei non tradamur. Quarta est actio, cum omnino nihil est in homine quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer juncta et connexa unum aliquid firma pace custodiunt: quod fiet mortali corpore vivificato, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem¹.

4^o. Ad primam actionem demonstrandam ista testimonia interim occurrunt: Per unum hominem peccatum in

¹ 1 Cor. xv, 55.

hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et sic per omnes homines pertransiit, in quo omnes homines peccaverunt¹. Usque ad legem enim peccatum in hoc mundo fuit. Peccatum autem non deputabatur cum lex non esset. Et iterum; « Sine lege enim peccatum mortuum est; » ego autem vivebam aliquando sine lege². » Quod enim hic dicit: « mortuum est, » hoc est quod superius dicit, non deputabatur, id est, latebat. Quod manifestat in consequentibus dicens: « Sed peccatum, ut appareat » peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, » id est, per legem; quia bona est lex³, si quis ea legitime utatur. Si ergo hic ait, « ut appareat » peccatum: » manifestum est quod superius ideo dicebat, mortuum et non deputari, quia non apparebat ante quam lege prohibente ostenderetur.

5^o. Ad secundam actionem ista testimonia conveniunt: Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Accessit enim et prævaricatio, quæ non erat. Et illud quod jam commemoratum est: « Cum essemus enim in carne, passionem peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in » membris nostris, ut fructum ferrent morti. » Et illud: « Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces⁴. » Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. » Et paulo post: « Adveniente, inquit, mandato peccatum revixit. » Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Peccatum enim occasione accepta per mandatum, fefellit me, » et per illud occidit⁵. » Quod ergo ait, « mortuus sum: »

¹ Rom. v, 12 et 13. — ² Id. vii, 8. — ³ 1 Tim. i, 8. — ⁴ Exod. xx, 17. —

⁵ Rom. v, 26, et vii, 5.

vult intelligi, mortuum me esse cognovi: quia jam etiam prævaricatione peccat, qui videt per legem quid facere non debeat, et tamen facit. Quod autem ait, « Fefellit » me peccatum, occasione accepta per mandatum: » sive quia suasio delectationis ad peccatum vehementior est, cum adest prohibitio; sive quia etiam si quid homo fecerit secundum jussa legis, si adhuc non sit fides, quæ in gratia est, vult sibi hoc tribuere, non Deo, et superbiendo plus peccat. Sequitur ergo, et dicit: « Itaque lex » quidem sancta, et mandatum sanetum et justum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? » Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum » operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccator, aut peccatum delinquens per mandatum. Scimus » autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum¹, » id est, carni consentio, nondum spiritali gratia liberatus: « venundatus sub peccato, » id est, peccans pretio temporalium voluptatum. « Quod enim operor, ignoro: » id est, non agnosco esse in præceptis veritatis, ubi est vera scientia. Secundum hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus, « Non novi vos². » Non enim eum aliquid latet, sed quia peccata non inveniuntur in regulis præceptorum, quas habet veritas, ideo ipsa Veritas peccatoribus dicit, « Non novi vos. » Sicut enim tenebræ oculis non videndo, ita peccata mente ignorando sentiuntur. Ex ista locutione dictum arbitror in Psalmis, « Delicta quis intelligit³? » « Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio. » Si autem quod nolo, hoc ago, consentio legi quoniam » bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed id » quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Velle enim » adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non

¹ Rom. vii, 12 et seqq. — ² Matth. vii, 23. — ³ Psal. xviii, 13.

» enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, » hoc ago. Si autem quod nolo, hoc facio, jam non ego » operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. In- » venio ergo legem mihi volenti facere bonum, quoniam » malum mihi adjacet. Condelector enim legi Dei secun- » dum interiorem hominem. Video autem aliam legem in » membris meis repugnantem legi mentis, et captivan- » tem me in lege peccati, quæ est in membris meis¹. » Huc usque sunt verba hominis sub lege constituti, nondum sub gratia; qui etiamsi nolit peccare, vincitur a peccato. Invaluit enim consuetudo carnalis et naturale vinculum mortalitatis, quo de Adam propagati sumus. Imploret ergo auxilium, qui sic positus est, et noverit suum fuisse quod cecidit, non suum esse quod surgit. Jam enim liberatus agnoscens gratiam liberatoris sui dicit: « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis » hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nos- » trum². »

6^o. Et incipiunt jam verba dici hominis sub gratia constituti, in actione quam tertiam demonstravimus, quæ habet quidem reluctantem mortalitatem carnis, sed non vincentem atque captivantem ad consensionem peccandi. Sic enim dicit: « Igitur ipse ego mente servio legi Dei, » carne autem legi peccati. Nulla ergo condemnatio est » nunc his qui sunt in Christo Jesu. Lex enim spiritus » vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem³, » id est, per desideria carnalia: ideo enim non implebatur lex, quia ipsius justitiæ nondum erat charitas, quæ interiore delectatione teneret mentem, ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur. Ergo infirmabatur lex per carnem, id est, non efficiebat justos

¹ Rom. vii, 19 et seqq. — ² Ibid. 4. — ³ Ibid. 15, et viii, 1 et seqq.

» deditos carni. Sed Deus Filium suum misit **in** similitudinem carnis peccati. » Non enim caro peccati erat, quæ non de carnali delectatione nata erat : sed **tamen** inerat ei similitudo carnis peccati, quia mortalis caro erat. Mortem autem non meruit Adam nisi peccando. Sed quid **fecit** Dominus? « De peccato damnavit peccatum in carne : » id est, suscipiendo carnem hominis peccatoris, et **docendo** quemadmodum viveremus, peccatum in ipsa carne **damnavit**, ut æternorum **charitate** spiritus flagrans non **duceretur** captivus in consensionem libidinis. « Ut **justitia**, inquit, » legis impleretur in nobis, qui non **secundum** carnem » ambulamus, sed secundum spiritum. » **Itaque** præcepta legis per charitatem impleta sunt, quæ per **timorem** non poterant. « Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis » sunt sapiunt : » id est, carnalia bona **pro** summis bonis concupiscunt. « Qui autem secundum **spiritum**, quæ » sunt spiritus sentiunt. Prudentia enim **carnis** mors est : » prudentia autem spiritus vita et pax. **Quia** prudentia » carnis inimica est in Deum. » Ipse **ostendit** quid dixerit, « inimica : » ne quis putaret ex **adverso** aliud venire principium. Subjungit enim, et dicit : « **Legi** enim Dei » non est subjecta, nec enim potest. » Ergo **facere** contra legem, hoc est inimicum esse in Deum : **non** quia Deo aliquid nocere potest, sed sibi nocet quisquis resistit voluntati Dei : hoc est enim adversus **stimulum** calces mittere, ut Paulo apostolo, cum adhuc **Ecclesiam** persequeretur¹, divinitus dictum est. Sic est **autem** dictum, « Legi enim Dei non est subjecta, nec **enim** potest : » tanquam si diceretur, Nix non calefacit, nec **enim** potest. Quandiu enim nix est, non calefacit : sed **resolvi** potest et fervere, ut calefaciat : sed cum hoc **facit**, jam nix non est. Sic et prudentia carnis dicitur, cum **anima** pro magnis

¹ Act. ix, 5.

bonis temporalia bona concupiscit. Quandiu enim appetitus talis inest animæ, legi Dei subjecta esse non potest : id est, non potest implere quæ lex jubet. Sed cum spiritualia bona desiderare cœperit, et temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, et spiritui non resistet. Eadem namque anima cum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur ; cum superiora, prudentiam spiritus : non quia prudentia carnis substantia est, qua induitur anima vel exiit : sed ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, cum se totam ad superna converterit. « Qui autem in carne sunt, inquit, Deo placere » non possunt : » id est, qui voluptatibus carnis acquiescunt. Ne quis enim de his dictum putaret, qui de hac vita nondum excesserunt, opportunissime subjungit, « Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. » Utique adhuc in hac vita constituti loquitur. In spiritu enim erant, quia in fide et sp̄e et charitate spiritualium rerum acquiescebant. « Si tamen, inquit, Spiritus Dei ha- » bitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non » habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis, » corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus » autem vita est propter justitiam. » Mortuum corpus dicit, quandiu tale est, ut indigentia rerum corporalium molestet animam, et quibusdam motibus ex ipsa indigentia venientibus, ad appetenda terrena sollicitet. Quibus tamen quamvis existentibus mens ad illicita facienda non consentit, quæ jam servit legi Dei, et sub gratia constituta est. Ad hoc enim valet quod supra dictum est : « **Mente** servio legi Dei, carne autem legi peccati¹. » Et ille homo nunc describitur esse sub gratia, qui nondum habet perfectam pacem, quæ corporis resurrectione et immutatione est futura.

¹ Rom. vii, 25.

7°. Restat ergo ut de ipsa pace dicat resurrectionis corporis, quæ quarta est actio; si tamen eam actionem dici oportet, quæ summa requies est. Sequitur enim, et dicit, « Si ergo Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, » habitat in vobis, qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis¹. » Hic et de resurrectione corporis evidentissimum testimonium est, et satis apparet, quandiu in hac vita sumus, non deesse molestias per mortalem carnem, neque titillationes quasdam delectationum carnalium. Quamvis enim non cedat, qui sub gratia constitutus mente servit legi Dei, tamen carne servit legi peccati. His gradibus homine perfecto, nulla substantia invenitur malum: neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis jaceat ut per fidem implorato Liberatoris auxilio, et solvi, et erigi, et firmissime constitui mereatur. In prima ergo actione, quæ est ante Legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi: in secunda, quæ sub Lege est, pugnamus, sed vincimur: in tertia pugnamus et vincimus: in quarta non pugnamus, sed perfecta et æterna pace requiescimus. Subditur enim nobis quod inferus nostrum est, quod propterea non subdebatur, quia superiorem nobis deserueramus Deum.

QUÆSTIO LXVII. — 1°. Hoc capitulum obscurum est; quia non satis hic apparet, quam nunc vocet creaturam. Dicitur autem secundum catholicam disciplinam creatura, quidquid fecit et condidit Deus Pater, per unigenitum Filium, in unitate Spiritus sancti. Ergo non solum corpora, sed etiam animæ nostræ ac spiritus creaturæ nomine continentur. Sic autem dictum est: « Ipsa creatura liberabitur » a servitute meritis, in libertatem gloriæ filiorum Dei: » quasi nos non sumus creatura, sed filii Dei, in quorum

¹ Rom. viii, 11.

gloriæ libertatem liberabitur a servitute creatura. Item dicit: « Scimus enim quia omnis creatura congemiscit et » dolet usque adhuc, non solum autem illa, sed et nos ipsi: » tanquam aliud simus nos, aliud omnis creatura. Totum ergo capitulum particulatim considerandum est.

2°. « Existimo enim, inquit, quod indignæ sint passionnes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur » in nobis¹: » hoc manifestum est. Dixerat enim superius: « Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis². » Quod fieri non potest sine molestia, cui patientia necessaria est. Quo pertinet et quod paulo ante ait, « Si tamen » compatimur, ut et conglorificemur. » Quod itaque ait: « Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat³: » hoc eum puto dicere. Nam et hoc ipsum quod in nobis dolet, cum facta carnis mortificamus, id est, cum esurimus aut sitimus per abstinentiam, dum frenamus delectationem concubitus per castitatem, dum injuriarum lacerationes et contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus, dum neglectis atque rejectis voluptatibus nostris pro fructu matris Ecclesiæ laboramus; quidquid in nobis in hac atque hujusmodi attritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus et anima, quæ utique creatura est, et expectat revelationem filiorum Dei; id est, expectat quando appareat quod vocatum est, in ea gloria ad quam vocatum est. Quia enim Filius Dei unigenitus non potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia quæcumque Deus fecit; distincte etiam nos vocamur creatura ante illam evidentiam gloriæ, et distincte vocamur filii Dei, quamvis hoc adoptione mereamur: nam ille unigenitus natura filius est. « Ergo expectatio creaturæ, id est, expectatio nostra, revelationem filiorum Dei expectat: » id est, expectat

¹ Rom. viii, 18. — ² Ibid 13. — ³ Ibid. 17 et 19.

quando appareat quod promissum est, quando re ipsa manifestum sit quod nunc spe sumus. Filii enim Dei sumus¹, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa est revelatio filiorum Dei, quam nunc expectat expectatio creaturæ: non quod creatura revelationem expectet alterius naturæ, quæ non sit creatura; sed ipsa qualis nunc est, expectat quando sit qualis futura est: tanquam si diceretur, Operante pictore subjectis sibi coloribus et ad opus ejus paratis, expectatio colorum manifestationem imaginis expectat: non quia tunc sunt alii, et alii erunt, aut non colores erunt; sed tantum quod aliam dignitatem habebunt.

3º. « Vanitati enim, inquit, creatura subjecta est². » Hoc est illud: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat » sub sole³? » Cui dictum est: « In labore manducabis » panem tuum⁴. Vanitati ergo creatura subjecta est, non » sponte. » Bene additum est, « non sponte. » Homo quippe sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. Peccatum itaque fuit spontaneum, contra præceptum facere veritatis: peccati autem pœna, subjici fallaciæ. Non ergo sponte creatura subjecta est vanitati: « sed propter eum qui » subjecit eam in spe, » id est, propter ejus justitiam atque clementiam, qui neque impunitum reliquit peccatum, neque insanabilem voluit esse peccantem.

4º. « Quia et ipsa creatura, » id est, ipse homo, cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura: « et ipsa itaque creatura, » id est, et ipsa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantum vocatur creatura⁵, « liberabitur a servitute interi-

¹ 1 Joan. III, 2. — ² Rom. VIII, 20. — ³ Eccle. I, 2. — ⁴ Gen. III, 19. — ⁵ Rom. VIII, 21.

» tus. Quod itaque ait, « et ipsa liberabitur; » facit intelligi, et ipsa, quemadmodum et nos, id est, et de ipsis non est desperandum, qui nondum vocantur filii Dei, quia nondum crediderunt, sed tantum creatura: quia et ipsi credituri sunt, et liberabuntur a servitute interitus, quemadmodum nos qui jam filii Dei sumus, quamvis nondum apparuerit quid erimus. Liberabuntur ergo a servitute interitus, « in libertatem gloriæ filiorum Dei, » id est, et ipsi erunt ex servis liberi, et ex mortuis gloriosi in vita perfecta, quam habebunt filii Dei.

5º. « Scimus enim quia omnis creatura congemiscit et » dolet usque adhuc¹. » Omnis creatura in homine numeratur, non quod in eo sint omnes Angeli, et superminentes Virtutes ac Potestates², aut cœlum, et terra, et mare, et omnia quæ in eis sunt; sed quia omnis creatura partim spiritalis est, partim animalis, partim corporalis. Quod ut ab inferioribus consideremus, corporalis creatura per loca tenditur, animalis autem vivificat corporalem, spiritalis animalem regit, et tunc bene regit, cum ipsa regendam se subjicit Deo: cum autem transgreditur præcepta ejus, laboribus et ærumnis per eadem ipsa quæ regere poterat implicatur. Qui ergo vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur: carnalis, quia carnalia sectatur; animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia animæ suæ, quam non regit spiritus, neque coërcet intra metas naturalis ordinis; quia et ipse se non subdit regendum Deo. Qui autem spiritu animam regit, et per animam corpus, (quod facere non potest, nisi Deum habeat et ipse rectorem, quoniam sicut caput mulieris vir, ita caput viri Christus est²,) vocatur spiritalis. Quæ vita cum aliqua molestia nunc agitur, post autem nullam patietur. Et quoniam summi Angeli spiritaliter vivunt, infimi autem animaliter,

¹ Rom. VIII, 22. — ² 1 Cor. XI, 3.

bestiæ vero et omnia pecora carnaliter, corpus autem non vivit, sed vivificatur; omnis creatura in homine est, quia et intelligit spiritu, et sentit anima, et localiter corpore movetur. Omnis itaque creatura in homine congemiscit et dolet. Non enim totam, sed omnem dixit: tanquam si quis dicat, quod solem omnes homines vident qui sunt incolumes, sed non toti vident, quia tantum oculis vident: ita in homine omnis creatura est, quia et intelligit et vivit et corpus habet; sed non tota creatura in ipso est, quia sunt præter ipsum et Angeli, qui intelligant et vivant et sint, et pecora quæ vivant et sint, et corpora quæ tantummodo sint; cum ipsum vivere magis sit, quam non vivere, et ipsum intelligere magis sit, quam sine intellectu vivere. Cum ergo miser homo congemiscit et dolet, omnis creatura congemiscit et dolet usque adhuc. « Usque adhuc » autem recte dixit: quia etiamsi sint aliqui jam in sinu Abrahæ, et latro ille cum Domino in paradiso constitutus, illo die quo credidit, dolore destiterit¹: tamen usque adhuc omnis creatura congemiscit et dolet, quia in iis qui nondum liberati sunt, omnis est, propter spiritum et animam et corpus.

6°. « Non solum autem, inquit, omnis creatura congemiscit et dolet, sed et nos ipsi²: » id est, non solum in homine corpus et anima et spiritus simul dolent ex difficultatibus corporis, sed et nos ipsi, exceptis corporibus, « In nobis ipsis congemiscimus, primitias habentes spiritus. » Et bene dixit, « Primitias habentes spiritus: » id est, quorum jam spiritus tanquam sacrificium oblatis sunt Deo, et divino charitatis igne comprehensi sunt. Hæ sunt primitiæ homini; quia veritas primum spiritum nostrum obtinet, ut per hunc cætera comprehendantur. Jam ergo

¹ Luc. XVI, 23 et XXIII, 43. — ² Rom. VIII, 23.

habet primitias oblatas Deo, qui dicit: « Mente servio » Legi Dei, carne autem legi peccati¹. » Et qui dicit, « Deus cui servio in spiritu meo². » Et de quo dicitur: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma³. » Sed quoniam adhuc dicit: « Infelix ego homo, quis me » liberabit de corpore mortis hujus⁴? » et adhuc talibus dicitur: « Vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum manentem in vobis⁵; » nondum est holocaustum: erit autem, cum absorbebitur mors in victoriam: cum ei dicitur: « Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, » aculeus tuus⁶? » Nunc ergo, inquit, non solum omnis creatura, id est, cum corpore, « sed etiam nos ipsi primitias habentes spiritus: » id est, nos animæ, quæ jam primitias mentes nostras obtulimus Deo « in nobis ipsis » congemiscimus, » id est, præter corpus, « adoptionem » expectantes, redemptionem corporis nostri, » id est, ut et ipsum corpus accipiens beneficium adoptionis filiorum, qua vocati sumus, totos nos liberatos, transactis omnibus molestiis, ex omni parte Dei filios esse manifestet. « Spes » enim salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est » spes⁷. » Tunc ergo erit res quæ nunc spes est, cum apparuerit quid erimus, id est, similes illi, quoniam videbimus eum sicuti est⁸.

7°. Hoc capitulum si hoc modo, ut tractatum est, aperiatur, non incidimus in illas molestias, quibus plerique homines dicere coguntur, omnes Angelos sublimesque Virtutes in dolore et gemitibus esse, antequam nos penitus liberemur, quoniam dictum est, « Omnis creatura congemiscit et dolet. » Quamvis enim adjuvent nos pro sua sublimitate, dum obtemperant Deo, qui pro nobis etiam unicum Filium suum dignatus est mittere: tamen sine

¹ Rom. VII, 25. — ² Id. I, 9. — ³ Matth. XXVI, 41. — ⁴ Rom. VII, 24. — ⁵ Id. VIII, 11. — ⁶ I Cor. XV, 55. — ⁷ Rom. VIII, 24. — ⁸ Joan. III, 2.

gemitu et doloribus id facere credendi sunt, ne miseri existimentur, feliciorque sit de numero nostro Lazarus ille¹, qui jam in Abrahæ sinu requiescit. Præsertim quia dixit, eandem creaturam quæ congemiscit et dolet, vanitati esse subjectam: quod de summis et excellentibus Virtutum Potestatumque creaturis nefas est credere. Deinde liberandam eam dixit a servitute interitus, quo illos cecidisse, qui in cœlis agunt vitam beatissimam, non possumus credere. Tamen nihil temere confirmandum est, sed pia diligentia etiam atque etiam verba tractanda sunt; ne forte quæ congemiscit et dolet et vanitati subjecta est, possit aliquo modo alio intelligi, ut de summis Angelis, quandiu nostræ infirmitati jussu Domini nostri opitulatur, non impie possit existimari. Sed sive illa quam executi sumus, sive alia aliqua hujus capituli expositio proferatur; id tantum cavendum est, ne violet aut vulneret catholicam fidem. Scio enim vanos hæreticos de hoc capitulo multa impia et inepta jactasse.

QUESTIO. LXVIII. — 1^o. Cum videatur Apostolus corripuisse curiosos, dicendo: « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo²? » de hoc ipso illi quæstionem movent, et in ea sententia non desinunt esse curiosi, qua objurgata est ipsa curiositas: et impii quidem cum contumelia, ut dicant Apostolum in solvenda quæstione defecisse, et objurgasse quærentes, quia non poterat quod quærebatur exponere. Nonnulli autem hæretici³, quia non decipiunt, nisi cum scientiam quam non exhibent pollicentur, et adversantes Legi et Prophetis, quæcumque de illis Apostolus sermoni suo inseruit, falsa et a corruptoribus immissa esse criminantur, etiam hoc inter ipsa quæ interpolata dicunt, numerare maluerunt, et negare Paulum dixisse: « O homo, tu quis es, qui respondeas

¹ Luc. xvi, 13. — ² Rom. ix, 20. — ³ Manichæi.

» Deo? » Quoniam si ipsis dicatur ad decipiendos homines calumniantibus, procul dubio tacebunt, nec cecidebunt ullam de voluntate omnipotentis Dei imperitis quos decipere cupiunt, scientiam polliceri. Quidam autem bona et pia mente Scripturas legentes quærent, quid hic possit vel maledicentibus vel calumniantibus responderi. Sed nos et auctoritati Apostolicæ salubriter inhærentes, et libros quos catholica disciplina custodit falsatos esse nequaquam existimantes, sentiamus quod verum est, indignos et infirmos esse ad intelligenda divina secreta, quibus ista clauduntur: et eis murmurantibus et indignantibus quod consilia Dei non discunt, cum dicere cœperint: « Ergo cujus vult » miseretur, et quem vult obdurat: quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus quis resistit⁴? » cum his ergo verbis aut calumniari Scripturas, aut latebram peccatorum suorum quærere cœperint, ut præcepta contemnant, quibus ad vitam bonam pervenitur, respondeamus fidentissime, « O homo, tu quis es, qui respondeas » Deo²: » Nec eos reveriti sanctum canibus demus³, aut projiciamus margaritas nostras ante porcos: si tamen jam ipsi canes et porci non sumus, et de meritis animarum revelante Spiritu sancto, sublime aliquid et a vulgati conjectura remotissimum, vel ex parte atque in ænigmate suspicemur.

2^o. Non enim Apostolus hoc loco sanctos prohibuit a quærendo, sed eos qui nondum sunt in charitate radicati et fundati, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, et cætera quæ in eodem loco exequitur⁴. Non ergo prohibuit a quærendo, qui dicit: « Spiritualis autem omnia » judicat, ipse autem a nemine judicatur⁵. » Et illud

¹ Rom. ix, 18, 19. — ² Ibid. 20. — ³ Matth vii, 6. — ⁴ Ephes. iii, 18. — ⁵ 1 Cor. ii, 15.

præcipue : « Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis¹. » Quos ergo prohibuit, nisi luteos atque terrenos qui nondum intrinsecus regenerati atque nutriti imaginem illius hominis portant, qui primus factus est de terra terrenus²? Et quia ei a quo factus est, noluit obtemperare, in id lapsus est unde factus est, meruitque post peccatum audire, « Terra es, et in terram ibis³. » Talibus igitur hominibus dicit Apostolus : « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quare sic me fecisti⁴? » Quandiu ergo figmentum es, nondum perfectus filius, quia nondum hausisti plenissimam gratiam, qua nobis data est potestas filios Dei fieri⁵, quo possis audire, « Jam non dicam vos servos, sed amicos⁶ : » tu quis es, qui respondeas Deo, et velis Dei nosse consilium? qui si hominis tibi æqualis nosse voluisses, impudenter faceres, nisi prius in amicitiam recipereris. Sicut ergo portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem coelestis⁷, exuentes nos veterem hominem et induentes novum⁸, ut non dicatur nobis quasi luteo figmento, « Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quare me sic fecisti? »

3^o. Et ut manifestum sit, non sanctificato spiritui, sed carnali luto ista dici, vide quid sequitur : « Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam⁹? » Ex quo ergo in Paradiso natura nostra peccavit, ab eadem divina providentia, non secundum cœlum, sed secundum terram, id est, non secundum spiritum, sed secundum carnem mortali generatione formamur, et omnes

¹ 1 Cor. II, 12. — ² Id. XV, 47. — ³ Gen. III, 19. — ⁴ Rom. IX, 20. — ⁵ Joan. I, 12. — ⁶ Id. VX, 15. — ⁷ 1 Cor. XV, 49. — ⁸ Coloss. III, 9. — ⁹ Rom. IX, 21.

una massa luti facti sumus, quod est massa peccati. Cum ergo meritum peccando amiserimus, et misericordia Dei remota nihil aliud peccantibus nisi æterna damnatio debeatur, qui sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat et dicat : « Quare me sic fecisti? » Si vis ista cognoscere, noli esse lutum, sed efficere filius Dei per illius misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus¹; non autem, quod tu cupis, antequam credant, divina nosse cupientibus. Merces enim cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur. Ipsa autem gratia quæ data est per fidem, nullis nostris meritis præcedentibus data est. Quod est enim meritum peccatoris et impij? Christus autem pro impiis et peccatoribus mortuus est², ut ad credendum non merito, sed gratia vocaremur, credendo autem etiam meritum collocarem. Peccatores igitur credere jubentur, ut a peccatis credendo purgentur. Nesciunt enim quid recte vivendo visuri sint. Quapropter cum videre non possint, nisi recte vivant, nec recte vivere valeant, nisi credant; manifestum est a fide incipiendum, ut præcepta quibus credentes a sæculo hoc avertuntur, cor mundum faciant, ubi videri Deus possit. « Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt³. » Et per prophetiam canitur, « In simplicitate cordis quærite illum⁴. » Quapropter recte dicitur hominibus in vetustate vitæ manentibus, et propterea tenebrosum oculum animæ gerentibus : « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quare me sic fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Expurga vetus fermentum⁵, ut sis nova conspersio; » et in ea ipsa non

¹ Joan. I, 12. — ² Rom. V, 6. — ³ Matth. V, 8. — ⁴ Sap. I, 1. — ⁵ 1 Cor. V, 7.

adhuc parvulus in Christo ut lacte potandus sis¹, sed perveni ad virum perfectum, ut sis inter illos de quibus dicitur: « Sapientiam loquimur inter perfectos². » Tum demum recte et non præpostere audies, si qua sunt de animarum occultissimis meritis; et de gratia vel iustitia secreta omnipotentis Dei.

4^o. Nam de Pharaone facile respondetur, prioribus meritis quibus afflixit in regno suo peregrinos, dignum effectum cui obduraretur cor³, ut nec manifestissimis iubentis Dei crederet. Ex eadem ergo massa, id est, peccatorum, et vasa misericordie protulit, quibus subveniret, cum eum deprecarentur filii Israël; et vasa iræ, quorum supplicio illos erudiret, id est, Pharaonem et populum ejus: quia quamvis essent utrique peccatores, et propterea ad unam massam pertinerent, aliter tamen tractandi erant qui uni Deo ingemuerant: « Pertulit ergo in multa » patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem⁴. » Et eo ipso quo ait, « in multa patientia: » satis significavit priora eorum peccata, in quibus eos pertulit; ut opportune tunc vindicaret, quando de illorum vindicta subveniendum erat his qui liberabantur. « Et ut notas faceret » divitias gloriæ suæ in vasa misericordie, quæ præparavit in gloriam⁵. » Hic fortasse conturbatus ad illam quæstionem rediis, « Cujus vult miseretur, et quem vult » obdurat: quid adhuc conqueritur? Voluntati enim ejus » quis resistit⁶: » Prorsus cujus vult miseretur, et quem vult obdurat: sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis: quia et ipsi peccatores cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum

¹ 1 Cor. iij, 2. — ² Id. ii, 6. — ³ Exod. vii, 6. — ⁴ Rom. ix, 22. — ⁵ Ibid. 23. — ⁶ Ibid. i8, 19.

sini justificati, digni efficiantur justificatione; et item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sint obtusione. Habes eundem Apostolum alibi dicentem: « Quoniam » non probaverunt Deum habere in notitia, dedit illos » Deus in reprobum sensum¹. » Quod eos dedit in reprobum sensum, hoc est, quod induravit cor Pharaonis²: quod autem illi non probaverunt Deum habere in notitia, hoc est, quod digni extiterunt qui darentur in reprobum sensum.

5^o. Tamen verum est, quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei³. Quia etiamsi levioribus quisque peccatis, aut certe quamvis gravioribus et multis, tamen magno gemitu et dolore poenitendi, misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur; sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit; quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis⁴. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive intrinsecus, per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia; efficitur ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis⁵. Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur⁶. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea et si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non

¹ Rom. i, 28. — ² Exod. iv, 21. — ³ Rom. ix, 16. — ⁴ Luc. ii, 14. — ⁵ Philip. ii, 13. — ⁶ Luc. xvi, 1.

sibi potest tribuere quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa : « Misericordiam et iudicium » cantabo tibi, Domine¹. » Ad misericordiam pertinet vocatio : ad iudicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, et supplicium eorum qui venire noluerunt. Numquid ergo latebat Pharaonem quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joseph²? Illius ergo rei gestæ cognitio, vocatio ejus fuit, ut populum Israël misericorditer tractans non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas et misericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor, et tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot et tantis tamque manifestis Dei signis non crederet³; quo posset ejus supplicio, sive obdurationis, sive ultimæ visibilis submersionis, erudiri populus, cujus afflictione ille, et occultæ obtusionis, et manifestæ submersionis meritum sibi compararet.

6^o. Hæc autem vocatio, quæ sive in singulis hominibus, sive in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ et profundæ ordinationis est. Quo pertinet etiam illud, « In utero sanctificavi te, » et cum esses in renibus patris tui, vidi te⁴. » Et, « Jacob » dilexi, Esau autem odio habui⁵. » cum dictum sit antequam nascerentur. Nec comprehendi potest, nisi forte ab eis qui diligunt Deum ex toto corde et ex tota anima, et ex tota mente sua, et diligunt proximos suos tanquam se ipsos⁶. Tanta enim charitate fundati possunt jam fortasse cum Sanctis comprehendere longitudinem, latitudinem, altitudinem, et profundum⁷. Illud tamen constantissima fide

¹ Psal. c, 1. — ² Gen. xli. — ³ Exod. v, 6, et vii, 28. — ⁴ Jerem. 1, 5. — ⁵ Malach. 1, 2 et 3. — ⁶ Deut. vi, 5, et Matth. xxii, 37. — ⁷ Ephes. iii, 18.

retinendum, neque quidquam Deum injuste facere, neque ullam esse naturam quæ non Deo debeat id quod est : quia Deo debetur omne decus et pulchritudo et congruentia partium ; quam si penitus persecutus fueris, et usque ad omnes reliquias de rebus detraxeris, remanet nihil.

QUÆSTIO LXIX. — 1^o. Qui Filium Dei Patri æqualem non esse contendunt, solent usurpare familiarius hoc testimonium, ubi ait Apostolus, « Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus » erit ei, qui illi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus¹. » Non enim posset eis error oboriri palliatus nomine christiano, nisi de Scripturis non intellectis. Dicunt enim, Si æqualis est, quomodo subjectus erit ei²? Quod utique simile est illi Evangelicæ quæstioni, Si æqualis est, quomodo major est Pater? Ipse enim Dominus ait, « Quoniam Pater major me est³. » Regula autem catholicæ fidei sic se habet, ut cum aliqua in Scripturis dicuntur de Filio quod sit minor Patre, secundum susceptionem hominis intelligantur : cum vero ea dicuntur quibus demonstratur æqualis, secundum id quod Deus est accipiantur. Apparet ergo quemadmodum dictum sit : « Pater major me est⁴. » Et, « Ego et Pater unum » sumus. » Et, « Deus erat Verbum. » Et Verbum caro » factum est⁵. » Et, « Non rapinam arbitratus est esse » æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi » accipiens⁶. » Sed quoniam multa etiam secundum proprietatem personæ, excepto quod attinet ad susceptionem hominis, de illo ita dicuntur, ut Patrem non aliud quam Patrem, et Filium non aliud quam Filium intelligi oporteat, putant hæretici in iis quæ ita dicuntur atque intelliguntur, æqualitatem esse non posse. Scriptum est enim,

¹ 1 Cor. xv, 28. — ² Vide lib. 1 de Trinit. cap. 8. — ³ Joan. xiv, 18. — ⁴ Id. x, 30. — ⁵ Id. 1, 1 et 14. — ⁶ Philip. ii, 6.

« Omnia per ipsum facta sunt¹, » utique per Filium, hoc est per Verbum Dei : a quo, nisi a Patre? Nusquam autem scriptum est, quod Filius per Patrem aliquam creaturam operatus sit. Item scriptum est, quod imago Patris sit Filius² : nusquam autem scriptum est, quod imago Filii sit Pater. Deinde quod ille genitor, ille genitus; et cætera hujuscemodi, quæ non ad æqualitatem substantiæ, sed ad proprietatem pertinent personarum : in quibus illi æqualitatem cum dicunt esse non posse, quoniam ad hæc penetranda crassiores mentes adhibent, pondere auctoritatis urgendi sunt. Si enim in his non posset intelligi æqualitas ejus per quem facta sunt omnia et ejus a quo facta sunt, imaginis et ejus cujus imago est, geniti et genitoris; nullo modo Apostolus contentiosorum hominum ora concludens ipsum etiam verbum poneret, dicens, « Non rapinam arbitratus est esse » æqualis Deo³. »

2^o. Cum ergo ea quæ ad distinctionem Patris et Filii scripta sunt, partim propter personarum proprietates, partim propter susceptionem hominis, ita scripta sint; dum tamen divinæ substantiæ Patris et Filii deitas et unitas et æqualitas maneat : recte quæritur in hoc loco, utrum secundum personarum proprietates, an secundum hominis susceptionem Apostolus dixerit, « Tunc et » ipse Filius subjectus erit ei, qui subjectus omnia⁴. » Solet circumstantia Scripturæ illuminare sententiam, cum ea quæ circa scripta sunt, præsentem quæstionem contingit, diligenti discussione tractantur. Invenimus itaque ita ventum esse ad hunc locum, ut supra diceret, « Nunc » autem Christus surrexit a mortuis, primitiæ dormientium⁵. » Agebat enim de resurrectione mortuorum, quod in Domino secundum susceptionem hominis factum

¹ Joan. 1, 3. — ² Coloss. xv. — ³ Philip. II, 6. — ⁴ 1 Cor. xv, 28. — ⁵ Ibid. 20.

est : quanquam apertissime sequatur et dicat, « Quoniam » quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio » mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic » et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem » in suo ordine : initium Christus; deinde ii qui sunt » Christi, in¹ præsentia ejus; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem postestatem et virtutem. Oportet » enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos » sub pedibus suis. Novissima inimica destruetur mors. » Omnia enim subjecta sub pedibus ejus. Cum autem dixerit, quod omnia subjecta sunt, manifestum est quia » præter eum qui subjectus illi omnia. Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjectus erit » ei, qui illi subjectus omnia, ut sit Deus omnia in omnibus². » Manifestum est ergo hoc secundum susceptionem hominis dictum.

3^o. Sed alia in hoc capitulo, cujus totum textum commemoravi, solent habere quæstionem : primo quod dictum est, « Cum tradiderit regnum Deo et Patri³ : » quasi nunc non teneat regnum Pater. Deinde quod dictum est, « Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis⁴ : quasi postea non sit regnaturus, et ad hoc valeat quod supra dictum est, « Deinde » finis. » Quod sacrilega opinione sic accipiunt, quasi finem dixerit consummationem regni ejus : cum scriptum sit in Evangelio, « Et regni ejus non erit finis⁵. » Postremo quod dictum est, « Cum autem ei omnia subjecta fuerint, » tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjectus omnia : sic voluit intelligi, quasi nunc aut aliquid Filio non sit subjectum, aut Patri non sit ipse subjectus.

¹ Παρουσία. — ² 1 Cor. xv, 21 et seqq. — ³ 1 Cor. xv, 24. — ⁴ Vide lib. de Trinit. cap. 8 et 10. — ⁵ Luc. 1, 33.

4^o. Genere igitur locutionis solvitur quæstio. Sic enim plerumque Scriptura loquitur, ut quod semper est, tunc fieri dicatur in aliquo, cum in eo cognosci cœperit. Ita enim dicimus in oratione, « Sanctificetur nomen tuum¹: » quasi aliquando sanctum non sit. Ergo sicut sanctificetur, est sanctum esse innotescat: ita quoque, « Cum tradiderit » regnum Deo et Patri, » id est, cum Patrem regnare monstraverit, ut per speciem manifestationemque clarescat, quod nunc a fidelibus creditur et ab infidelibus non putatur. Evacuabit autem omnem principatum et potestatem, manifestando utique regnum Patris, ut omnibus notum sit, nullum principum et potestatum, sive cœlestium, sive terrestrium, per se habuisse aliquid principatus et potestatis, sed ab illo ex quo sunt omnia, non solum ut sint, verum etiam ut ordinata sint. In illa enim manifestatione nulli spes aliqua remanebit in quoquam principe, aut in quoquam homine. Quod etiam nunc propheticè canitur: « Bonum est sperare in Domino, quam sperare in homine; » bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus²: » ut ista meditatione anima jam in regnum Patris assurgat, nec cujusquam potestatem præter illam magni faciens, nec sua sibi ipsi perniciosissime blandiens. Tradet ergo regnum Deo et Patri, cum per illum per speciem cognoscetur Pater. Regnum enim ejus sunt in quibus nunc regnat per fidem. Aliter enim dicitur regnum Christi secundum potestatem divinitatis, secundum quod ei cuncta creatura subjecta est, et aliter regnum ejus dicitur Ecclesia, secundum proprietatem fidei quæ in illo est, secundum quod orat qui dicit, « Posside nos³. » Neque enim non ipse possidet omnia. Secundum quod dicitur etiam illud, « Cum servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ⁴. »

¹ Matth. vii, 6 et 12. — ² Psal. cxvii, 8 et 9. — ³ Isai. xxvi, 13, juxta LXX. — ⁴ Rom. vi, 20.

Evacuabit ergo omnem principatum et omnem potestatem et virtutem, ut nulli Patrem intuenti per Filium opus sit aut libeat in cujusquam creaturæ vel in sua conquiescere potestate.

5^o. « Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes » inimicos suos sub pedibus suis¹: » id est, oportet regnum ejus in tantum manifestari, donec omnes inimici ejus ipsum regnare fateantur. Hoc enim intelligitur, sub pedibus ejus futuros inimicos. Quod si de justis accepimus, ideo dictum est « inimicos, » quia ex injustis justificantur, et ei credendo subduntur. De injustis autem qui ad justorum beatitudinem futuram non pertinent, sic accipiendum est, quoniam et ipsi eum regnare ipsa regni ejus manifestatione confusi fatebuntur: « Ergo oportet eum » regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus » suis; » non ita dictum est, quasi cum posuerit inimicos suos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus: sed, « Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos » suos sub pedibus suis, » oportet eum, inquit, ad tantam evidentiam regnum suum perducere, donec inimici ejus nullo modo audeant negare quod regnet. Nam scriptum est: « Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, » donec misereatur nostri². » Nec ideo tamen, cum misertus nostri fuerit, oculos ab eo debemus avertere. In tantum enim est beatitudo nostra, in quantum ejus contemplatione perfruimur. Sic ergo et hoc dictum est. Oculorum nostrorum intentio ad Dominum non porrigitur, nisi usque ad impetrationem misericordiæ ipsius, non ut postea inde avertatur, sed ut nihil inde amplius requirat. Donec ergo pro eo positum est, ut non amplius, intelligas. Quo enim amplius, id est, usque ad quam majorem manifestationem manifestabitur regnum Christi, nisi quo

¹ 1 Cor. xv, 25. — ² Psal. cxvii, 2.

usque omnes inimici eum regnare fateantur? Aliud est ergo non amplius manifestari, aliud non amplius permanere. Non amplius manifestari, est non fieri manifestus: non amplius permanere, non fieri perseverantius. Quando autem manifestus erit regnum Christi, quam cum omnibus claruerit inimicis?

6^o. « Novissima inimica destruetur mors¹. » Non enim erit aliud quod destruat, postea quam mortale hoc induerit immortalitatem. « Omnis enim subiecit sub pedibus ejus: » hoc est, ut etiam mortem destruat. « Cum » autem dixerit, quia omnia subjecta sunt: » dixit utique Propheta in Psalmis: « manifestum est quia præter eum » qui subiecit illi omnia²: » Patrem vult intelligi omnia Filio subiecisse, sicut multis locis idem Dominus in Evangelio commendat et prædicat, non solum propter formam servi, sed etiam propter principium de quo est, et quo æqualis est ei de quo est. Amat enim ad unum principium referre omnia, tanquam imago ejus, sed in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis³.

7^o. « Cum autem ei omnia subjecta fuerint, tunc et » ipse Filius subjectus erit ei, qui illi subiecit omnia⁴. » Non quasi modo non ita sit, sed tunc manifestum erit, secundum locutionem superius tractatam. « Ut sit Deus » omnia in omnibus. » Ipse est finis, quem superius commemoravit, cum totum primo breviter vellet concludere, deinde quasi membratim explicare et exponere. Loquebatur enim de resurrectione, ubi ait, « Initium Christus, » deinde ii qui sunt Christi in præsentia ejus, deinde » finis⁵. » Ipse scilicet finis est, « ut sit Deus omnia in » omnibus. » Aliter enim dicitur finis qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem.

¹ Cor. xv, 26. — ² Psal. viii, 8. — ³ Coloss. ii, 9. — ⁴ I Cor. xv, 28. — ⁵ Ibid. 23.

Aliter enim finitur tunica texendo, aliter cibus comedendo. Deus autem omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum qui ei cohærent, amet adversus eum suam propriam voluntatem, manifestumque sit omnibus quod idem Apostolus alio loco dicit: « Quid autem habes quod non » accepisti¹? »

8^o. Sunt item qui sic intelligant hunc locum, « Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub » pedibus suis², » ut sub alia significatione positum hic dicant « regnare; » non sub ea qua positum est regnum, de quo ait, « Cum tradiderit regnum Deo et Patri³: » ut illud sic appellaverit regnum, quo universam creaturam Deus regit; hoc autem si appellaverit regnare, ut intelligatur tanquam adversus hostem exercitum ducere, vel defendere civitatem: ut ideo dixerit: « Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus » suis; » quia talis regni, quale habent principes armorum, nulla erit causa, hoste ita subjecto ut rebellare non possit. Nam utique dictum est in Evangelio, « Et regni » ejus non erit finis, secundum quod regnat in æternum⁴: » secundum autem id quod adversus diabolum sub eo militatur, tandiu erit utique ista militia, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis: postea vero non erit, cum pace perpetua perfruemur.

9^o. Hæc autem ita dicta sint, ut noverimus diligentius etiam illud considerari oportere, secundum quid regnet nunc Dominus dispensatione sacramenti sui per incarnationem atque passionem. Nam secundum id quod Verbum Dei est, tam sine fine quam sine initio et sine intermissione est regnum ejus. Secundum id autem quod Verbum caro factum est⁵, cœpit regnare in credentibus per fidem in-

¹ I Cor. iv, 7. — Id. xv, 25. — ² Ibid. 24. — ³ Luc. i, 33. — ⁴ Joan. i, 24.

carnationis suæ. Unde est etiam illud : « Dominus regna-
» vit a ligno ¹. » Hinc autem evacuavit omnem principa-
tum et omnem potestatem et virtutem, dum non per cla-
ritatem ejus, sed per humilitatem salvi fiunt credentes in
eum. Hoc est absconditum a sapientibus et prudentibus,
et revelatum parvulis ²; quoniam placuit Deo per stulti-
tiam prædicationis salvos facere credentes ³. Neque quid-
quam se inter parvulos scire dicit Apostolus, nisi Jesum
Christum, et hunc crucifixum ³. Qua prædicatione tandiu
opus est, donec ponantur omnes inimici sub pedibus
ejus : id est, ipsi humilitati ejus, quam pedum nomine
significari arbitror, cedat atque subdatur omnis su-
perbia sæcularis; sicut ex maxima parte jam factum
est, et quotidie fieri videmus. Sed quo fine ista fiunt? Ut
tradat regnum Deo et Patri, id est, ut nutritos fide incar-
nationis suæ, perducatur ad speciem qua æqualis est Patri.
Jam enim eis qui crediderant, loquebatur, cum diceret :
« Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, et
» cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos ⁴. » Reg-
num enim tradet Patri, cum per id regnabit in contem-
plentibus veritatem, quo æqualis est Patri, et per se uni-
genitum per speciem faciet videri Patrem. Nunc enim per
hoc regnat in credentibus, quo se ipsum exinanivit for-
mam servi accipiens ⁵. Tunc autem tradet regnum Deo et
Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem
et virtutem. Unde evacuabit, nisi humilitate et patientia
et infirmitate? Quis enim principatus non evacuetur, cum
Filius Dei propterea regnat in credentibus, quia eum
principes sæculi judicaverunt? Quæ potestas non eva-
cuetur, cum ipse per quem facta sunt omnia, propterea
regnat in credentibus, quia ita subjectus est potestatibus,

¹ Matth. xi, 25. — ² 1 Cor. i, 21. — ³ Id. ii, 2. — ⁴ Joan. viii, 31. —
⁵ Philip. ii, 7.

ut diceret homini : « Non haberes in me potestatem, nisi
» data tibi esset desuper ¹? » Quæ virtus non evacuetur,
cum ipse per quem cœli solidati sunt, ideo regnat in cre-
dentibus, quia usque ad crucem mortemque infirmatus
est? Hoc autem modo Filius proprie regnat in fide creden-
tium. Non enim Pater dici aut credi potest vel incarnatus,
vel judicatus, vel crucifixus. Per speciem autem, qua
æqualis est Patri, cum Patre regnat in contemplantibus
veritatem. Quod autem tradet regnum Deo et Patri, a
fide incarnationis suæ ad speciem deitatis perducens eos
qui sibi nunc credunt, non ipse amittit, sed uterque se
unum ad fruendum contemplantibus præbet. Tandiu au-
tem opus est, ut in hominibus nondum valentibus æqua-
litate Patris et Filii perspicua mentis luce contueri, per hoc
regnet Christus, quod tales capere possunt, et quod pro-
prie ipse suscepit, id est, incarnationis humilitatem, donec
ponat omnes inimicos sub pedibus suis : id est, donec omnis
superbia sæcularis incarnationis ejus humilitati subdatur.

10^o. Sane quod dictum est : « Tunc et ipse Filius sub-
» jectus erit ei, qui illi subjecit omnia ²; » quamvis se-
cundum susceptionem hominis dicatur, quia inde est
quæstio nata, cum ageret de resurrectione mortuorum ³ :
tamen recte quæritur utrum secundum ipsum tantum
dictum sit, quod est caput Ecclesiæ, an secundum uni-
versum Christum, annumerato corpore et membris ejus.
Cum enim ait ad Galatas : « Non dicit, Et seminibus,
» tanquam in multis, sed tanquam in uno, Et semini tuo,
» quod est Christus ⁴ : » ne ipsum hoc loco solum intelli-
geremus Christum, qui de Maria virgine est natus; postea
dicit : « Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si
» autem vos Christi, ergo Abraham semen estis ⁵. » Et ad

¹ Joan. xii, 11. — ² 1 Cor. xv, 28. — ³ Ephes. v, 23. — ⁴ Gal. iii, 16.
— ⁵ Ibid. 28 et 29.

Corinthios cum de charitate diceret, de membris corporis similitudinem ducens: « Sicut enim corpus unum est, » inquit, et membra habet multa, omnia autem membra » corporis cum sint multa, unum est corpus, ita et Christus¹. » Non dixit, ita et Christi, sed, ita et Christus, ostendens Christum recte appellari etiam universum, hoc est, caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. Et multis Scripturarum locis invenimus Christum etiam hoc modo appellari, ut cum omnibus suis membris intelligatur, quibus dictum est: « Vos estis corpus Christi et membra². » Non ergo absurde sic intelligimus, « Tunc et ipse Filius » subjectus erit ei, qui illi subiecit omnia; » ut Filium non solum caput Ecclesiae, sed et omnes cum eo sanctos intelligamus, qui sunt unum in Christo, unum semen Abrahamae: subjectum autem secundum contemplationem sempiternae veritatis, ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte corporis resistente, ut, in illa vita nemine amante propriam potestatem, « sit Deus omnia in omnibus. »

QUESTIO LXX. — Morte significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quae resistit bonae voluntati delectatione temporalium fruendorum. Non enim diceretur: « Ubi est, mors, contentio tua³? » si non restitisset et repugnasset. Ipsius contentio etiam illo loco describitur: « Caro » concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem⁴. Haec enim invicem sibi resistunt et adversantur, » ut non quae vultis illa faciatis. » Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnalis appetitus spiritui nostro illuminato et vivificato, id est, bonae voluntati subiciatur. Et sicut nunc videmus multis puerilibus delectationibus nos carere, quae nos pueros, si denegarentur, acerrime cruciabant: ita credendum est de omni carnali

¹ 1 Cor. xii, 12. — ² Ibid. 27. — ³ 1 Cor. xv, 54. — ⁴ Gal. v, 17.

delectatione futurum esse, cum perfecta sanctitas totum hominem reparaverit. Nunc autem quandiu est in nobis quod resistat bonae voluntati, auxilio Dei per bonos homines et bonos Angelos indigemus, ut donec sanetur vulnus nostrum, non ita molestat, ut perimat etiam bonam voluntatem. Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat ante omni modo in libero arbitrio, cum in paradiso nullus dolor denegatae delectationis voluntati bonae hominis resistebat, sicuti nunc. Verbi gratia, si quisquam existat, quem nunquam delectavit venatio, omni modo liber est utrum venari velit, an nolit, nec eum cruciat quisquis hoc prohibet. At si ista libertate male usus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim subrepens delectatio, mortificat animam, ut si se abstinere velit, absque molestia et sine angore non possit, cum id ante tota sanitate non ageret. « Ergo aculeus mortis peccatum est; » quia peccato facta est delectatio, quae jam possit resistere bonae voluntati, et cum dolore cohiberi. Quam delectationem, quia in defectu est animae deterioris effectae, jure mortem vocamus. « Virtus » autem peccati lex est; » quia multo sceleratius et flagitiosius quae lex prohibet committuntur, quam si nulla lege prohiberentur. Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfecta delectatione spiritalium delectatio carnalis obruetur.

QUESTIO LXXI. — 1°. Quia Veteris Testamenti custodia timorem habebat, non potuit apertius significari Novi Testamenti donum esse charitatem, quam hoc loco, ubi Apostolus dicit: « Invicem onera vestra portate, et sic » adimplebitis Legem Christi¹. » Hanc enim Christi Legem dicere intelligitur, qua ipse Dominus praecepit ut nos invicem diligamus, tantum in ea sententia praecepti pondus

¹ Gal. vi, 2.

constituens, **ut** diceret: « In hoc cognoscetur, quoniam » discipuli mei estis, si vos invicem diligatis ¹. » Hujus autem dilectionis officium est, invicem onera nostra portare. Sed hoc officium, quod sempiternum non est, perducet sane ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt nostra onera, quæ invicem portare jubeamur. Nunc vero cum in hac vita, id est, in hac via sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam quæ caret omni onere pervenire possimus. Sicut enim de cervis nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt², cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum quæ gestant in cornibus super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem cervice projecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse, qui cæteros præcedens, non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; ut lassatus sui capitis onere ille qui præcedit, post omnes recedat, et ei succedat cujus ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Istam fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait, « Cervus amicitiae et pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum ³. » Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.

2º. Nec tamen invicem onera nostra portaremus, si unum tempus esset infirmitatis amborum, qui onera sua sustinent, aut unum infirmitatis genus: sed diversa tempora et diversa genera infirmitatis faciunt ut onera nostra portare invicem valeamus. Verbi gratia, iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris; ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate sua supportet. Hoc exemplum ad id pertinet, cum diversa sunt tempora portantium onera sua, quamvis

¹ Joan. xiii, 34. — ² Plin. lib. viii, cap. 32. — ³ Prov. v, 19 juxta LXX.

ipsa diversa non sit infirmitas: in ambobus enim ab invicem ira portatur. Ad diversum autem infirmitatis genus aliud exemplum videndum est: veluti si quis loquacitatem in se vicerit, et pertinaciam nondum vicerit, alius vero adhuc loquax, sed jam pertinax non sit; debet ille hujus loquacitatem et iste illius pertinaciam, donec illud in illo et hoc in isto sanetur, charitate portare. Par quippe infirmitas in duobus si uno accidat tempore, tolerare se invicem non valent, cum adversum se intenditur. Nam adversus aliquem tertium, et duo irati sibi conveniunt, et se tolerant: quanquam nec tolerare se invicem dicendi sunt, sed potius se invicem consolari. Sicut et tristes de re una, magis se portant et quasi incumbunt sibi, quam si unus tristis esset et alius gauderet: si autem adversus se tristes sint, prorsus se tolerare non possunt. Et ideo in hujusmodi affectionibus suscipienda est aliquantulum ipsa ægritudo; de qua vis alium per te liberari; et sic suscipienda, ut ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat: quemadmodum se inclinat, qui manum jacenti porrigit. Non enim se projicit, ut ambo jaceant; sed incurvant tantum, ut jacentem erigat.

3º. Neque ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Hinc enim admonens Apostolus ait: « Hoc sentite in vobis, quod et in Christo » Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, » et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis¹. » Superius enim dixerat: « Non quæ sua sunt unusquisque » intendens, sed ea quæ aliorum². » Huic sententiæ con-

¹ Philip. ii, 5 et seqq. — ² Ibid. 4.

texuit quod dictum est ; nam ita sequitur : « Hoc sentite » in vobis , quod et in Christo Jesu. » Ad hoc duntaxat , ut quemadmodum ille in eo quod Verbum caro factum est , et habitavit in nobis ¹ , et sine peccato cum esset , peccata nostra suscepit , non attendit sua , sed nostra ; ita et nos libenter , ad ejus imitationem , invicem onera nostra portemus.

4°. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio , quia ille suscepit hominem , nos autem homines sumus : et considerare debemus , quod ægritudinem sive animi , sive corporis , quam in alio homine videmus , etiam nos habere potuimus , aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi , cujus infirmitatem portare volumus , quod ab illo nobis vellemus exhiberi , si forte nos in ea essemus , et ipse non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait : « Omnibus omnia » factus sum , ut omnes lucrificarem ² : » cogitando scilicet in eo vitio etiam se esse potuisse , unde cupiebat alium liberare. Compatiendo enim potius id agebat , non mentiendo , sicut quidam suspicantur , et hi maxime qui suis mendaciis defendendis , quæ negare non possunt , alicujus magni exempli patrocinium quærunt.

5°. Deinde etiam illud cogitandum , nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum , quod tu nondum habes , etiamsi lateat , in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque superbiam valet , ne arbitraris quoniam tua quædam bona eminent et apparent , ideo alterum nulla habere quæ lateant , et fortassis majoris ponderis bona quibus te superat nescientem. Non enim falli nos , aut adulatione potius uti , Apostolus jubet , cum dicit : « Nihil per contentionem , » neque per inanem gloriam , sed in humilitate mentis » alter alterum existimantes superiorem sibi ³. » Non hoc

¹ Joan. 1, 14. — ² 1 Cor. ix, 22. — ³ Philip. ii, 3.

ita debemus existimare , ut non existimemus , sed nos existimare fingamus ; sed vere existimemus aliquid occultum esse posse in alio , quo nobis superior sit , etiamsi bonum nostrum , quo illo videmur superiores esse non sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam , et acuentes charitatem , faciunt onera fraterna invicem , non solum æquo animo , sed etiam libentissime sustineri. Nullo modo autem de quoquam homine incognito ferenda sententia est : et nemo nisi per amicitiam cognoscitur. Et ideo amicorum mala firmiter sustinemus , quia bona eorum nos delectant et tenent.

6°. Nullius itaque repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam ; non ut statim recipiatur , sed ut recipiendus optetur , atque ita tractetur , ut recipi possit. Illum enim receptum in amicitiam possumus dicere , cui omnia consilia nostra refundere audeamus. Et si quisquam est qui se non audet ingerere ad amicitiam faciendam , cum aliquo nostro temporali honore aut dignitate revocetur ; descendendum est ad eum , et offerendum illi quædam comitate et submissione animi , quod petere per se ipse non audet. Sane quamvis rarius , tamen aliquoties accidit , ut ejus quem volumus in amicitiam recipere , prius nobis innotescant mala quam bona , quibus offensi et quodam modo repercussi relinquimus eum , et ad bonorum ejus , quæ forte occultiora sunt , indagacionem non pervenimus. Admonet itaque Dominus Jesus Christus , qui nos vult effici imitatores suos , ut ejus infirma toleremus , ut ad quædam sana , in quorum delectatione acquiescamus , per charitatis tolerantiam perducamur. Ait enim : « Non » est opus sanis medicus , sed ægrotantibus ¹. » Ideoque , si propter Christi charitatem etiam eum qui omni ex parte fortassis ægrotat , repellere ab animo non debemus , quo-

¹ Matth. ix, 12.

niam sanari potest per verbum Dei; quanto minus eum, qui propterea nobis videri potest totus ægrotus, quia quædam ejus saucia in primo ingressu amicitiae non potuimus sustinere, et quod est gravius, cum offensione animi de toto homine ausi sumus temerariam præjudicii ferre sententiam, non timentes quod dictum est: « Nolite » *judicare ut non judicemini*, » et, « In qua mensura » *mensi fueritis, in eadem remetietur vobis*¹. » Sæpe autem illa quæ bona sunt, prius apparent: in quibus etiam temerarium benevolentiae iudicium cavendum est, ne cum totum bonum putaveris, ea quæ postea mala apparuerint, securum et imparatum te inveniant, et gravius offendant, ut eum quem temere dilexeras, acerbius oderis, quod nefas est. Quia etiamsi nulla ejus bona præcederent, et hæc quæ postea apparuerunt mala, prius eminent, toleranda tamen erant, donec omnia cum illo ageres, quibus talia sanari solent: quanto magis cum ea bona præcesserunt, quæ tanquam pignora nos debent ad posteriora toleranda constringere.

7^o. Ipsa est ergo Lex Christi, ut invicem onera nostra portemus. Christum autem diligendo, facile sustinemus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter bona sua diligimus. Cogitamus enim quia ille, quem diligimus, Dominus propter eum mortuus est. Quam charitatem apostolus Paulus nobis ingessit, cum diceret: « Et peribit » *infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*². » Ut si illum infirmum, propter quem vitium, quo infirmus est, minus diligimus, illum in eo consideremus, qui mortuus est propter illum. Christum autem non diligere, non infirmitas, sed mors est. Quapropter ingenti cura, et implorata Dei misericordia cogitandum est, ne Christum negligamus propter infirmum,

¹ Matth. vii, 1 et 2. — ² 1 Cor. viii, 11.

cum infirmum debeamus diligere propter Christum.

QUÆSTIO LXXII. — Quæri potest quomodo ab ipso apostolo Paulo dictum sit: « Ante tempora æterna¹. » Si enim tempora, quomodo æterna? Nisi forte ante omnia tempora intelligi voluit². Quia si dixisset, « ante tempora, » neque addidisset, « æterna: » posset accipi, ante quædam tempora, quæ ante se haberent alia tempora. Æterna autem maluit dicere, quam omnia, fortassis ideo, quia tempus non cœpit ex tempore. An tempora æterna ævum significavit; inter quod et tempus, hoc distat, quod illud stabile est, tempus autem mutabile?

QUÆSTIO LXXIII. — 1^o. Multis modis habitum dicimus: vel habitum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ perceptio, usu roborata atque firmata³; vel habitum corporis, secundum quem dicimus alium alio esse succulentiorum et validiorum, quæ magis proprie habitudo dici solet: vel habitum eorum quæ membris nostris accommodantur extrinsecus, secundum quem dicimus vestitum, calceatum, armatum, et si quod ejusmodi est. In quibus omnibus generibus (siquidem nomen hoc ductum est ab illo verbo, quod est habere) manifestum est in ea re dici habitum, quæ accidit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Nam et doctrina accidit animo, et succus ac robor corpori; et vestis atque arma non dubium est quin accidant membris nostris: ita ut et imperitus possit esse animus, si ei doctrina non accideret; et exile atque languidum corpus sine succo viscerum et robore; et nudus sine veste, et inermis sine armis, et pede nudo sine calceamentis esse homo potest. Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Verumtamen hoc interest, quod quædam eorum quæ accidunt nobis, ut habitum faciant, non mutantur a nobis, sed ipsa nos mutant in se,

¹ Tit. 1, 2. — ² Vide lib. xii de Civit. Dei, cap. 16. — ³ Philip. ii, 7.

ipsa integra et inconcussa manentia : sicuti sapientia, cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam vero sic accidunt, ut et mutant et mutantur : sicuti cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur ; et nos reffecti cibo, ab exilitate atque languore in robor atque valentiam commutamur. Tertium vero genus est, cum ipsa quæ accidunt, mutantur ut habitum faciant, et quodam modo formantur ab eis, quibus habitum faciunt, sicuti est vestis : nam cum reposita vel projecta est, non habet eam formam, quam sumit cum induitur atque inducitur membris. Ergo induta accipit formam, quam non habebat exuta : cum ipsa membra, et cum exuuntur, et cum induuntur, in suo statu maneant. Potest esse et quartum genus, cum ea quæ accidunt, ad faciendum habitum, nec ea mutant quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur : sicuti annulus digito, si non nimis subtiliter attendatur. Verumtamen hoc genus aut nullum est, si diligenter discutias, aut omnino rarissimum.

2º. Cum ergo Apostolus de unigenito Dei Filio loqueretur, quantum pertinet ad ejus divinitatem, secundum id quod verissimus Deus est, « æqualem dixit esse Patri, » quod non ei fuit tanquam rapinam, id est, quasi alienum appetere, si semper manens in ea æqualitate, nollet homine indui, et hominibus ut homo apparere : sed « se » metipsum exinanivit, » non formam suam mutat, sed « formam servi accipiens ; » neque conversus aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed quanquam verum hominem suscipiendo, ipse susceptor « in similitudinem hominum factus, » non sibi, sed eis quibus in homine apparuit, « habitu inventus est ut » homo ¹ ; » id est, habendo hominem, inventus est ut

¹ Philip. II, 6 et 7.

homo. Non enim poterat inveniri Deus ab iis, qui cor immundum habebant, et Verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo quod possent videre, et per quod ad illud lumen interius ducerentur. Iste autem habitus non est ex primo genere ; non enim manens in se natura hominis naturam Dei commutavit : neque ex secundo ; non enim et mutavit homo Deum, et mutatus est ab illo : neque ex quarto ; non enim sic assumptus est homo, ut neque ipse mutaret Deum, nec ab illo mutaretur : sed potius ex tertio ; sic enim assumptus est, ut commutaretur in melius, et ab eo formaretur ineffabiliter excellentius atque conjunctius quam vestis, cum ab homine induitur. Hoc ergo habitus nomine satis significavit Apostolus quemadmodum dixerit, « in similitudinem hominum factus : » quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est homine, quem sibi uniens quodam modo atque conformans, immortalitati æternitatisque sociaret. Sed illum habitum, qui est in perceptione sapientiæ et disciplinæ. Græci *εἶδος* vocant : hunc autem, secundum quem dicimus vestitum vel armatum, *σχιζμα* potius vocant. Ex quo intelligitur de isto genere habitus locutum Apostolum ; quandoquidem in Græcis exemplaribus *σχιζματι* scriptum est, quod nos in Latinis « habitu » habemus. Quo nomine oportet intelligi non mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicuti nec membra veste induta mutantur : quanquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit : sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ne mutatus intelligatur Deus humanæ fragilitatis assumptione, electum est ut græce *σχιζμα*, et latine diceretur habitus illa susceptio.

QUÆSTIO LXXIV. — Imago et æqualitas et similitudo distinguenda sunt. Quia ubi imago, continuo similitudo,

non continuo æqualitas : ubi æqualitas , continuo similitudo , non continuo imago ¹ : ubi similitudo , non continuo imago , non continuo æqualitas . Ubi imago , continuo similitudo , non continuo æqualitas : ut in speculo est imago hominis , quia de illo expressa est ; est etiam necessario similitudo , non tamen æqualitas ; quia multa desunt imagini , quæ tamen insunt illi rei , de qua expressa est . Ubi æqualitas , continuo similitudo , non continuo imago : velut in duobus ovis paribus , quia inest æqualitas , inest et similitudo ; quæcumque enim adsunt uni , adsunt et alteri ; imago tamen non est , quia neutrum de altero expressum est . Ubi similitudo , non continuo imago , non continuo æqualitas : omne quippe ovum omni ovo , in quantum ovum est , simile est : sed ovum perdicis , quamvis in quantum ovum est , simile sit ovo gallinæ , nec imago tamen ejus est , quia de illo expressum non est ; nec æquale , quia brevius est , et alterius generis animantium . Sed ubi dicitur , non continuo , utique intelligitur quia esse aliquando potest . Potest ergo esse aliqua imago , in qua sit etiam æqualitas : ut in parentibus et filiis inveniretur imago et æqualitas et similitudo , si intervallum temporis defuisset ; nam et de parente expressa est similitudo filii , ut recte dicatur imago , et potest esse tanta , ut recte etiam dicatur æqualitas , nisi quod parens tempore præcessit . Ex quo intelligitur et aliquando æqualitatem non solum similitudinem habere , sed etiam imaginem : quod in superiori exemplo manifestum est . Potest etiam aliquando similitudo esse et æqualitas , quamvis non sit imago : ut de duobus ovis paribus dictum est . Potest etiam similitudo et imago esse , quamvis non sit æqualitas : ut in speculo ostendimus . Potest et similitudo esse , ubi et æqualitas et imago sit : sicut de filiis commemoravimus , excepto

¹ Coloss. 1, 14 et 15.

tempore , quo præcedunt parentes . Sic enim æqualem syllabam syllabæ dicimus ; quamvis altera præcedat , altera subsequatur . In Deo autem , quia conditio temporis vacat ; non enim potest recte videri Deus in tempore generasse Filium , per quem condidit tempora : consequens est , ut non solum sit imago ejus , quia de illo est , et similitudo , quia imago ; sed etiam æqualitas tanta , ut nec temporis quidem intervallum impedimento sit .

QUÆSTIO LXXV. — 1^o. Sicut Apostolus ad Hebræos dicit : « Testamentum testatoris morte firmatur ¹. » Propterea mortuo pro nobis Christo , Novum Testamentum firmatum esse asserit : cujus similitudo Vetus Testamentum erat , in quo mors testatoris per victimam præfigurabatur . Si ergo quæretur quomodo simus , secundum ejusdem Apostoli verba , « cohæredes Christi , et filii atque hæredes Dei ² ; cum etiam hæreditas morte decessoris firma teneatur , nec ullo alio modo possit hæreditas intelligi : respondetur , ipso quidem mortuo factos nos esse hæredes , quoniam filii ejus etiam dicti sumus . « Non jejunant , inquit , filii sponsi , quandiu cum illis est sponsus ³. » Hæredes ergo ejus dicimur , quia reliquit nobis pacis Ecclesiasticæ possessionem per fidem temporalis dispensationis , quam in hac vita possidemus , quod testatus est dicens : « Pacem meam do vobis , pacem relinquo » vobis ⁴. » Cohæredes autem ejus efficiemur , cum in fine sæculi mors absorbebitur in victoriam ⁵. Tunc enim similes ei erimus , quando videbimus eum sicuti est ⁶. Quam hæreditatem non ejus Patris morte adipiscimur , qui mori non potest ; quandoquidem ipse fit hæreditas nostra , secundum illud quod scriptum est : « Dominus » pars hæreditatis meæ ⁷ : » sed quoniam , cum vocati

¹ Hebr. ix, 17. — ² Rom. viii, 17. — ³ Matth. ix, 15. — ⁴ Joan. xiv, 27. — ⁵ 1 Cor. xv, 54. — ⁶ 1 Joan. iii, 2. — ⁷ Psal. xiii, 5.

sumus adhuc parvuli, et ad spiritalia contemplanda minus idonei, usque ad humillimas nostras cogitationes se divina miseratio porrexit, ut quomodocumque cernere niteremur, quod non evidenter atque perspicue cernebamus, id ipsum moritur quod in ænigmate cernebamus, cum facie ad faciem cernere cœperimus. Convenienter ergo dicitur moriturum esse quod auferetur: « Cum autem venerit » quod perfectum est, auferetur quod ex parte est¹. » Ita nobis quodam modo moritur pater in ænigmate, et idem ipse fit hæreditas, cum facie ad faciem videtur: non quia ipse moritur, sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione perimitur: et tamen nisi illa prior nos nutriret, ad aliam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei.

2^o. Quod si etiam de Domino Jesu Christo, non secundum Verbum in principio Deum apud Deum², sed secundum puerum, qui proficiebat ætate ac sapientia pius intellectus admittit³, propria illa susceptione servata, quæ communis ei cum cæteris hominibus non est, cujus tanquam morte possideat hæreditatem, manifestum est. Non enim nos cohæredes ejus esse possumus, nisi et ipse hæres sit. Si autem pietas hoc non admittit, ut primo ex parte videret homo Dominicus, deinde ex toto, quanquam in sapientia proficere dictus sit; in corpore suo intelligatur hæres, id est, Ecclesia, cujus cohæredes sumus: quemadmodum filii ejus matris dicimur, quamvis ex nobis constet.

3^o. Sed rursus quæri potest, cujus morte facti simus etiam nos hæreditas Dei, secundum illud, « Dabo tibi » gentes hæreditatem tuam⁴: » nisi forte hujus mundi, quo prius tanquam dominante tenebamur. Post autem cum dicimus, « Mihi mundus crucifixus est, et ego

¹ 1 Cor. xiii, 10. — ² Joan. 1, 1. — ³ Luc. 11, 40. — ⁴ Psal. 11, 8.

» mundo¹; » possidet nos Christus, mortuo illo, qui nos possidebat: cum ei renuntiamus, morimur illi, et ipse nobis.

QUÆSTIO. LXXVI. — 1^o. Quoniam Paulus apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiamsi male operarentur, et facinorose flagitioseque viverent, salvos se esse posse per fidem²: locus iste hujus epistolæ eundem sensum Pauli apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit. Ideoque magis Abrahæ utitur exemplo, vacuam esse fidem, si non bene operetur; quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus apostolus usus est, ut probaret justificari hominem per fidem sine operibus legis³. Cum enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit Paulum apostolum non ita per Abraham docere justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari; sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum operum arbitretur se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide. In hoc enim se Gentibus in Christum credentibus Judæi præferre cupiebant, quod dicebant se meritis bonorum operum quæ in lege sunt, ad Evangelicam gratiam pervenisse: ideoque scandalizabantur multi, qui ex eis crediderant, quod incircumcisis Gentibus Christi gratia traderetur. Unde apostolus Paulus dicit, posse hominem sine operibus, sed præcedentibus, justificari per fidem. Nam justificatus per fidem quomodo potest nisi juste deinceps operari, quamvis antea nihil operatus juste, ad fidei justificationem pervenerit non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quæ in illo jam vacua esse non potest, cum jam per dilectionem bene operatur?

¹ Gal. v, 18. — ² Jacob. 19. — ³ Rom. xiv, 6.

Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam sed gratia pervenit; nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur. Unde manifestum est, quod Paulus apostolus dicit, « Ar- » bitramur enim hominem justificari per fidem sine ope- » ribus¹, » non ita intelligendum esse, ut accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum, etiamsi male vixerit. Ideo exemplo Abrahæ et apostolus Paulus utitur, quia sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem justificatus est; et Jacobus, quia fidem ipsius Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, ostendens quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus apostolus prædicavit.

2^o. Nam qui putant istam Jacobi apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium, quia dicit alio loco: « Non enim auditores legis justi sunt apud » Deum, sed factores legis justificabuntur². » Et alio loco: « Sed fides quæ per dilectionem operatur³. » Et iterum: « Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem » spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis⁴. » Quæ sint autem facta carnis, quæ operibus spiritalibus mortificanda sunt, alio loco demonstrat, dicens, « Manifesta autem » sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, » impudicitiae, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, » contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, » hæreses, invidiæ, ebrietates: comessiones, et his simi- » lia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui ta- » lia agunt, regnum Dei non possidebunt⁵. » Et ad Corinthios ait, « Nolite errare, neque fornicatores, neque ido- » lis servientes, neque adulteri, neque molles, neque

¹ Rom. iii, 28. — ² Id. ii, 13. — ³ Gal. v, 6. — ⁴ Rom. viii, 13. — ⁵ Gal. v, 19 et seqq.

» masculorum concubitores, neque fures, neque avari, » neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum » Dei possidebunt¹. Et hæc quidem fuistis, sed abluti » estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine » Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri. » Quibus sententiis manifestissime docet, non eos præterito bono opere ad fidei justificationem pervenisse; nec meritis eorum istam gratiam datam, quando dicit, « Et hæc quidem fuistis. » Sed cum dicit, « Qui talia agunt, regnum » Dei non possidebunt: » satis ostendit, jam ex quo crediderunt, bene operari debere. Quod et Jacobus dicit, et multis omnino locis idem apostolus Paulus satis aperteque prædicat, recte vivendum omnibus qui in Christo crediderunt, ne ad poenas perveniant. Quod et ipse Dominus commemorat, dicens, « Non omnis qui dicit mihi, Domine, » Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in » regnum cælorum²: » Et alibi: « Ut quid dicitis mihi, » Domine, Domine, et non facitis quæ dico vobis? » Et, « Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, similabo » eum viro prudenti, qui ædificavit domum suam supra » petram, etc. Et qui audit verba mea hæc, et non facit » ea, similabo eum viro stulto, qui ædificavit domum » suam super arenam³, » etc. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli et Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur: sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.

QUÆSTIO LXXVII. — Omnis perturbatio, passio: om-

¹ 1 Cor. vi, 9 et seqq. — ² Matth. vii, 21, et Luc. vi, 46. — ³ Matth. vii, 24 et seqq.

nis cupiditas, perturbatio : omnis igitur cupiditas, passio. Omnis autem passio, cum est in nobis, ipsa passione patimur; et in quantum passio est, patimur : omnis igitur cupiditas, cum est in nobis, ipsa cupiditate patimur; et in quantum cupiditas est, patimur. Omnis autem passio, in quantum ipsa passione patimur, non est peccatum : sic et si patimur timorem, non est peccatum. Tanquam si diceretur, Si bipes est; non es pecus. Si ergo propterea hoc non est consequens, quia multa sunt pecora bipedia : propterea et illud non est consequens, quia multa sunt peccata quæ patimur. Hoc enim contra dicitur, non esse consequens, ut si patimur timorem, ideo non sit peccatum. Tu autem dicis consequens esse, ut si patimur timorem, non sit peccatum : cum tamen concedas aliqua esse peccata quæ patimur.

QUESTIO LXXVIII. — Ars illa summa omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta sunt omnia, quæ etiam sapientia ejus dicitur, ipsa operatur etiam per artifices, ut pulchra atque congruentia faciant; quamvis non de nihilo, sed de aliqua materia operentur, velut ligno, aut marmore, aut ebore, et si quod aliud materiæ genus manibus artificis subditur. Sed ideo isti non possunt de nihilo aliquid fabricare, quia per corpus operantur : cum tamen eos numeros, et lineamentorum convenientiam, quæ per corpus corpori imprimunt, in animo accipiant ab illa summa sapientia, quæ ipsos numeros et ipsam convenientiam longe artificiosius universo mundi corpori impressit, quod de nihilo fabricatum est : in quo sunt etiam corpora animalium, quæ jam de aliquo, id est, de elementis mundi fabricantur; sed longe potentius excellentiusque, quam cum artifices homines easdem figuras corporum et formas in suis operibus imitantur. Non enim omnis numerositas humani corporis invenitur in statua :

sed tamen quæcumque ibi invenitur, ab illa sapientia per artificis manum trajicitur, quæ ipsum corpus humanum naturaliter fabricat. Nec ideo tamen pro magno habendi sunt, qui talia opera fabricant, aut diligunt : quia minoribus rebus intenta anima, quas per corpus corporaliter facit, minus inhæret ipsi summæ sapientiæ, unde istas potentias habet : quibus male utitur, dum foris eas exercet : illa enim, in quibus eas exercet diligens, interiorum earum formam stabilem negligit, et inanior infirmiorque efficitur. Qui vero talia opera etiam coluerunt, quantum deviaverint a veritate, hinc intelligi potest quia si ipsa animalium corpora colerint, quæ multo excellentius fabricata sunt, et quorum sunt illa imitamenta quid eis infelicius dicemus?

QUESTIO LXXIX. — 1^o. Omnis anima partim privati cujusdam juris sui potestatem gerit, partim universitatis legibus sicut publicis coërcetur et regitur. Quia ergo unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur¹, de ea re cui præposita est, aliter quasi privato jure agit, aliter tanquam publice agere cogitur. Potentior est enim parte universitas; quoniam illud quod ibi privatim agit, tantum agere sinitur, quantum lex universitatis sinit. Sed unaquæque anima tanto est pietate purgator, quanto privato suo minus delectata, legem universitatis intuetur, eique devote ac libenter obtemperat. Est enim lex universitatis divina sapientia. Quanto autem amplius privato suo gaudet, et neglecto Deo, qui omnibus animis utiliter ac salubriter præsidet, ipsa sibi, vel aliis quibus potuerit, vult esse pro Deo, suam potius in se vel in alios, quam illius in omnes diligens potestatem, tanto est sordior, tantoque magis pœnaliter divinis legibus, tanquam

¹ Exod. vii. 11. *Et ait dominus ad moysen et aaron dicens ad filios israel dicens*

publicis servire cogitur. Quanto igitur etiam humana anima deserto Deo, suis honoribus vel sua potestate fuerit delectata, tanto magis subditur talibus potestatibus, quæ privato suo gaudent, et honorari ab hominibus sicut dii cupiunt: quibus divina lege sæpe conceditur, ut eis quos sibi secundum eorum merita subjugaverint, privato illo jure etiam miraculorum aliquid præsentent, in his rebus exhibendorum, quibus sunt infimo, sed tamen ordinatissimo potestatum gradu præpositæ. Sed ubi divina tanquam publica lex jubet, vincit utique privatam licentiam: quamquam et ipsa privata licentia, nisi universalis potestatis divinæ permissione, nulla esset. Ideoque fit, ut sancti Dei servi, quando hoc donum eos habere utile est, secundum publicam et quodam modo imperialem legem, hoc est, summi Dei potestatem imperent infimis potestatibus ad quædam visibilia miracula facienda: in illis enim Deus ipse imperat, cujus templum sunt, et quem contempta sua privata potestate ardentissime diligunt. In magicis autem imprecationibus, ad illecebram deceptionis, ut sibi subjungent eos quibus talia concedunt, præstant effectum precibus et ministeriis eorum, privato illo jure largientes, quod sibi licet largiri honorantibus se, sibi que servientibus, et quædam secum in sacramentis suis pacta servantibus. Et quando videntur imperare magi, per sublimiorum nomina inferiores terrent; et nonnulla visibilia, quæ propter infirmitatem carnis magna videntur hominibus non valentibus æterna contueri, quæ per se ipsum præstat dilectoribus suis verus Deus, mirantibus exhibent. Hæc autem permittit Deus juste omnia morderans, ut pro cupiditatibus et electionibus suis servitutes eorum libertatesque distribuat. Et si quando invocatione summi Dei, aliquid pro suis malis cupiditatibus impetrant, vindicta est illa, non gratia. Non enim frustra dicit Apostolus,

« Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum¹. » Quorundam enim peccatorum perpetratorum facilitas pœna est aliorum præcedentium.

2^o. Quod autem Dominus dicit: « Non potest Satanas » Satanam excludere²: » ne forte quisquam utens nominibus aliquarum infimarum potestatum, cum dæmonium excluserit, falsam putet esse istam Domini sententiam; ad hoc intelligat dictum, quia hoc modo Satanas, etiamsi corpori aut corporis sensibus parcat, ideo parcat, ut ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majore dominetur. Hoc autem modo non exit Satanas, sed potius in intima ingreditur, ut in eo sic operetur, quemadmodum dicit Apostolus: « Secundum principem potestatis æris » hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae³. » Non enim sensus corporis eorum turbabat atque torquebat, aut eorum corpora collidebat, sed in eorum voluntate, vel potius cupiditate regnabat.

3^o. Quod autem dicit pseudopphetas multa signa et prodigia facturos, ita ut fallant etiam, si fieri potest, electos⁴; admonet utique ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum esse arbitrandi sunt. Non enim acceptiores erant Deo, quam populus Israël, magi Ægyptiorum, quia non poterat ille populus facere quo illi faciebant⁵: quamvis Moyses in virtute Dei majora potuerit. Sed ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere discipulos, cum ait: « Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis

¹ Rom. 1, 26. — ² Marc. 11, 23. — ³ Ephes. 11, 2. — ⁴ Matth. xxiv, 24. — ⁵ Exod. vii.

» subjiciuntur ; sed in hoc gaudete , quoniam nomina
» vestra scripta sunt in cœlis ¹. »

4^o. Cum ergo talia faciunt magi , qualia nonnunquam
sancti faciunt , talia quidem visibiliter esse apparent , sed
et diverso fine et diverso jure fiunt. Illi enim faciunt
querentes gloriam suam , isti quærentes gloriam Dei : et
illi faciunt per quædam potestates concessa in ordine
suo , quasi privata commercia vel veneficia , isti autem
publica administratione , jussu ejus cui cuncta creatura
subjecta est. Aliter enim cogitur possessor equum dare
militi , aliter eum tradit emptori , vel cuilibet donat aut
commodat. Et quemadmodum plerique mali milites ,
quos imperialis disciplina condemnat , signis imperatoris
sui nonnullos possessores territant , et ab eis aliquid , quod
publice non jubetur , extorquent : ita nonnunquam mali
Christiani , vel schismatici , vel hæretici per nomen Christi
aut verba aut sacramenta christiana exigunt aliquid a
potestatibus , quibus honori Christi cedere indictum est.
Cum autem malis jubentibus cedunt , voluntate ad sedu-
cendos homines cedunt , quorum errore lætantur. Qua-
propter aliter magi faciunt miracula , aliter boni Christiani ,
aliter mali Christiani : magi per privatos contractus , boni
Christiani per publicam justitiam , mali Christiani per
signa publicæ justitiæ. Nec mirum est , quod hæc signa
valent , cum ab eis adhibentur ; quando etiam cum usur-
pantur ab extraneis , qui omnino suum nomen ad istam
militiam non dederunt , propter honorem tamen excellen-
tissimi Imperatoris valent. Ex quibus fuit ille , de quo
Discipuli Domino nuntiaverunt , quod in nomine ejus
ejiceret dæmonia , quamvis cum eis eum non sequeretur.
Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestates ,
Deus ipse prohibet occultis modis , cum id justum atque

¹ Luc. ii, 20.

utile judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent hæc
signa contemnere : contremiscunt enim hæc , ubicumque
illa conspexerint. Sed nescientibus hominibus aliud jube-
tur divinitus , vel ad confundendos malos , cum eos oportet
confundi ; sicut de Scevæ filiis in Actibus Apostolorum
legimus , quibus ait immundus spiritus : « Jesum scio , et
» Paulum novi , vos autem qui estis ¹ ? » vel ad admonen-
dos bonos , ut proficiant in fide , atque ista non jactanter ,
sed inutiliter possint : vel ad discernenda dona membrorum
Ecclesiæ ; sicut Apostolus ait : « Numquid omnes virtu-
» tes ? numquid omnes habent dona curationum ² ? »
Propter has igitur causas plerumque , ut dictum est , nes-
cientibus hominibus jubetur divinitus , id est , ut his signis
adhibitis hujusmodi potestates voluntati hominum non
obtemperent.

5^o. Ut autem mali bonis sæpe temporaliter noceant ,
potestatem in eos accipiunt , ad majorem bonorum utili-
tatem , propter exercitationem patientiæ. Itaque anima
christiana semper invigilet in tribulationibus suis sequi
voluntatem Domini sui , ne ordinationi Dei resistendo
acquirat sibi gravius judicium. Quod enim ipse Dominus
agens hominem Pontio Pilato dixit , hoc et Job diabolo
posset dicere : « Non haberes in me potestatem , nisi data
» esset tibi desuper ³. » Non ergo ejus voluntas cujus ma-
litiæ potestas in bonos datur , sed ejus voluntas a quo hæc
potestas datur , debet nobis esse charissima. « Quoniam
» tribulatio patientiam operatur , patientia probationem ,
» probatio vero spem , spes autem non confundit ; quia
» charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum
» sanctum , qui datus est nobis ⁴. »

QUÆSTIO LXXX. — 1^o. Cum quidam hæretici , qui Apolli-

¹ Act. xix , 14 et 15. — ² 1 Cor. xii , 30. — ³ Joan. xix , 11. — ⁴ Rom. v ,
3 et seqq.

naristæ ex Apollinari quodam auctore suo dicti esse perhibentur, asserent Dominum nostrum Jesum Christum, in quantum homo fieri dignatus, non habuisse humanam mentem, inhærentes eis nonnulli, et eos studiose audientes, delectati sunt quidem ea perversitate, qua ille hominem in Deo minuebat, dicens eum non habuisse mentem, hoc est rationalem animam, qua homo a pecoribus secundum animum differt. Sed cum secum ipsi cogitarent, fatendum esse, si ita est, ut unigenitus Dei Filius, Sapientia et Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, belluam quamdam cum figura humani corporis suscepisse credatur, displicuerunt sibi, non tamen ad correctionem, ut redirent ad veritatis viam, totumque hominem a Sapientia Dei susceptum esse confiterentur, nulla diminutione naturæ: sed ampliore usi audacia, ipsam etiam animam totumque utile hominis alienantes ab eo, solam carnem humanam eum suscepisse dixerunt, adhibentes etiam testimonium ex Evangelio; imo illam sententiam non intelligendo: perversi conflare audent adversus catholicam veritatem, dicentes scriptum esse: « Verbum caro » factum est, et habitavit in nobis¹. » Sub his enim verbis ita Verbum volunt carni esse copulatum atque concretum², ut nulla ibi non solum mens, sed nec anima humana intersistat.

2^o. Quibus primo respondendum est, ideo sic esse illud in Evangelio positum, quia usque ad visibilem carnem assumptio illa humanæ naturæ a Domino facta est, atque in tota illa unitate susceptionis principaliter Verbum est, extrema autem atque ultima caro. Volens itaque Evangelista commendare pro nobis dejectionem humilitatis Dei, qui sese humiliaverit, et quo usque humiliaverit exprimens, Verbum carnemque nominavit, prætermittens

¹ Joan. 1, 14. — ² Vide lib. xiv de Civit. Dei, cap. 2.

animæ naturam, quæ Verbo inferior est, carne vero præstantior. Magis enim commendat humilitatem, quia dictum est, « Verbum caro factum est, » quam si diceretur, Verbum homo factum est. Nam si nimis hæc intuentur verba, potest alius non minus perversus ex istis verbis ita calumniari fidei nostræ, ut dicat ipsum Verbum conversum et commutatum esse in carnem, et Verbum esse destitisse; quia scriptum est: « Verbum caro factum est: » sicut caro humana, cum fit cinis, non est caro et cinis, sed ex carne cinis. Et secundum loquendi modum consuetudinemque celebriorem, quidquid fit quod non erat, desinit esse quod erat. Nec tamen ita hæc verba intelligimus; sed etiam ipsi nobiscum ita intelligunt, ut manente Verbo quod est, ex eo quod accepit formam servi, non ex eo quod in illam formam aliqua mutatione conversum est, dictum sit: « Verbum caro factum est. » Deinde si ubicumque caro fuerit nominata et anima tacita, sic intelligendum est, ut anima ibi non esse credatur, nec illi habebunt animam de quibus dictum est: « Et videbit » omnis caro salutare Dei¹. » Et illud in Psalmo: « Exaudi » preces meas, ad te omnis caro veniet². » Et illud in Evangelio: « Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut » omne quod dedisti ei, non pereat, sed habeat vitam » æternam³. » Unde intelligitur, solere homines per nominationem solius carnis significari, ut secundum hanc locutionem etiam illud possit intelligi; ut, quod dictum est: « Verbum caro factum est, » nihil sit dictum, nisi Verbum homo factum est. Sicut enim a parte totum plerumque nominata sola anima homo intelligitur, sicut est illud: « Tot animæ descenderunt in Ægyptum⁴: » sic rursus

¹ Luc. 11, 6. — ² Psal. 141, 3. — ³ Joan. xvii, 2. — ⁴ Gen. xlvi, 22, et Exod. 1, 5.

a parte totum, etiam nominata sola carne homo intelligitur, sicut sunt ista quæ posuimus¹.

3^o. Proinde quemadmodum nos huic objectioni eorum, quam ex Evangelio proponunt, ita respondemus, ut nullus hominum ita desipiat, ut putet nos per hæc verba cogi ad credendum et confitendum, quod Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus² animam humanam non habuit; sic quære quomodo ipsi respondeant tam manifestis objectionibus nostris, quibus ostendimus per innumerabiles locos evangelicæ Scripturæ narratum de illo ab Evangelistis, quod in his affectionibus fuerit, quæ sine anima esse non possunt. Non enim ea profero, quæ ipse Dominus tam multa commemorat: « Tristis est anima mea » usque ad mortem³: « et, » Potestatem habeo ponendi » animam meam, et iterum sumendi eam⁴: « et, » Major rem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam » ponat quis pro amicis suis⁵: » Quæ mihi prævicax contradictor potest dicere figurate a Domino dicta; sicut multa in parabolis cum locutum esse manifestum est. Nam etsi ista non ita sunt, non tamen opus est pugnaciter agere, ubi habemus Evangelistarum narrationes, per quas eum et natum de Maria virgine cognovimus, et comprehensum a Judæis, et flagellatum, et crucifixum atque interfectum, et sepultum in monumento: quæ omnia sine corpore intelligere facta nemo potest. Nec fecte aut figurate accipienda quisquam vel dementissimus dixerit; cum dicta sint ab eis, qui res gestas, ut meminerant, narrauerunt. Sicut ergo ista corpus eum habuisse testantur, sic eum indicant habuisse animam affectiones illæ, quæ non possunt esse nisi in anima: quas nihilo minus eis-

¹ Vide lib. II de Civit. Dei, cap. 40. — ² I Tim. II, 5. — ³ Matth. xxvi, 18. — ⁴ Joan. x, 18. — ⁵ Id. xv, 23.

dem Evangelistis narrantibus legimus. Et miratus est Jesus, et iratus, et contristatus, et exhilaratus¹, et multa talia innumerabilia. Sicut etiam illa quæ conjuncta simul officia et corporis et animæ ostendunt: sicut sunt quod esurivit, quod dormivit, quod fatigatus ab itinere sedit, et alia hujusmodi². Non enim possunt dicere, etiam in veteribus libris dictam esse iram Dei et lætitiā, et nonnullos hujus generis motus, nec ideo tamen esse consequens, ut Deum habuisse animam credendum sit. Dicta sunt enim illa propheticis imaginationibus, non narratoria manifestatione. Nam et membra Dei dicta sunt, et manus, et pedes, et oculi, et facies, et similia, et quemadmodum ista non indicant eum habere corpus, sic nec illa animam. Quemadmodum autem narratum aliquid, ubi nominata sunt manus Christi et caput, et cætera quæ indicant ejus corpus: ita etiam quæ de animæ affectionibus eodem narrationis tenore nominata sunt, indicant ejus animam. Stultum est autem credere narranti Evangelistæ quod manducaverit, et non ei credere quod esurierit. Etsi enim non est consequens, ut omnis qui manducat esuriant; nam et Angelum legimus manducasse, sed esurisse non legimus³: neque ut omnis qui esurit manducet, si aut officio aliquo se cohibeat, aut desit ei cibus facultasque manducandi: tamen cum utrumque narrat Evangelista, utrumque credendum est⁴, quia utrumque sicut rerum gestarum index factum gestumque conscripsit. Sicut autem quia manducavit, sine corpore intelligi non potest: sic quia esurivit, sine anima fieri non potuit.

4^o. Nec illa nos terret inanis atque inepta calumnia, qua invidiose resistentes aiunt: Ergo sub necessitate positus fuit, si has affectiones animi veras habuit. Facile

¹ Matth. vii, 10; Marc. iii, 3. — ² Matth. iv, 5, et viii, 4; Joan. iv, 6. — ³ 2 Gen. xviii, 8; Tobie, xii, 19. — ⁴ Matth. iv, 2, et ix, 11.

quippe respondemus : Ergo sub necessitate positus fuit, quia comprehensus, flagellatus, crucifixus et mortuus est : ut tandem sine pertinacia, si volunt, intelligant, sic eum passiones animi, hoc est affectiones voluntate dispensationis, veras tamen, ut placuit, suscepisse, quemadmodum passiones corporis eadem dispensationis voluntate sine ulla necessitate suscepit¹. Quemadmodum nos non voluntate morimur, sic et non voluntate nascimur : ille autem voluntate utrumque, ut oportebat, exhibuit, et tamen verissime exhibuit. Sicut ergo necessitatis nomine nec nos nec illos quisquam avellit a fide verissimæ passionis, per quam corpus ejus ostenditur : sic et nos ipso nomine necessitatis nemo deterret a fide verissimæ affectionis, perquam animam ejus agnoscimus : nec ipsos debet detertere a consentiendo catholicæ fidei, si non eos deterret exitiabilis pudor mutandæ, quamvis falsæ, diu tamen et cum temeritate defensæ sententiæ.

QUÆSTIO. LXXXI. — 1^o. Omnis sapientiæ disciplina, quæ ad homines erudiendos pertinet, est creatorem creaturamque dignoscere, et illum colere dominantem, istam subjectam fateri. Est autem creator Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia² : et ideo Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Creatura vero partim est invisibilis, sicut anima; partim visibilis, sicut corpus. Invisibili ternarius numerus tribuitur; quare diligere Deum tripliciter jubemur, ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente³ : corpori quaternarius numerus propter evidentissimam naturam ejus, id est, calidam et frigidam, humidam et siccam. Universæ ergo creaturæ tribuitur septenarius. Quapropter omnis disciplina dignoscens et discernens creatorem atque creaturam, denario

¹ Vide lib. iv de Civit. Dei, cap. 9. — ² Rom. xi, 36. — ³ Matth. xxii, 37, et Deut. vi, 5.

numero insinuat : quæ disciplina, quandiu corporeis motibus temporaliter significatur, credendo constat, et rerum gestarum venientium atque transeuntium auctoritate quasi lacte parvulos nutrit; ut idoneos faciat contemplationi, quæ non venit et transit, sed semper manet : in qua quisque narratis sibi rebus divinitus temporaliter pro salute hominum gestis, sive gerendis quæ adhuc futura prædicantur, si permanserit in fide et promissa speraverit, et quæ divina auctoritas præcipit infatigabili charitate implere curaverit, recte aget vitam hujus necessitatis et temporis, quæ numero quadragenario commendatur. Quoniam denarius numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus, id est, numero qui corpori tribuitur multiplicatus, quia per motum corporalis administratio geritur, qua dictum est fidem constare, quadragenarium numerum conficit. Ita impetrat etiam stabilem et nullius temporis indigentem sapientiam, quæ denario numero commendatur, ut ad quadraginta addantur decem : quia et partes æquales quadragenarii numeri simul ductæ ad quinquaginta perveniunt. Partes autem æquales habet quadragenarius numerus, primo quadraginta in singulis, deinde viginti in binis, decem in quaternis, octo in quinque, quinque in octonis, quatuor in denis, duas in vicenis. Unum ergo et duo et quatuor et quinque et octo et decem et viginti simul ducta efficiunt quinquaginta. Quapropter sicut quadragenarius numerus æqualibus suis partibus computatis parit amplius denarium, et fit quinquagenarius : sic tempus fidei rerum pro salute nostra gestarum et gerendarum cum æquitate vitæ actum, impetrat intellectum stabilis sapientiæ; ut non solum credendo, sed etiam intelligendo disciplina firmetur.

2^o. Et ideo ea quæ nunc est Ecclesia, quamvis « filii » Dei simus, ante tamen quam « appareat quid erimus, »

in laboribus et afflictionibus agit, et in ea justus ex fide vivit. « Nisi enim credideritis, inquit, non intelligetis. » Et hoc est tempus, quo ingemiscimus et dolemus, expectantes redemptionem corporis nostri, quod Quadragesima celebratur. « Scimus autem quoniam cum apparuerit, si- » miles ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est¹: » cum addetur denarius quadragenario, ut non solum credere quæ pertinent ad fidem, sed etiam perspicuam veritatem intelligere mereamur. Talis Ecclesia, in qua nullus erit mœror, nulla permixtio malorum hominum, nulla iniquitas, sed lætitia et pax et gaudium, Quinquagesimæ celebratione præfiguratur. Propterea posteaquam Dominus noster resurrexit a mortuis, quadraginta diebus peractis cum Discipulis suis², eadem ipsa scilicet per hunc numerum insinuata temporali dispensatione, quæ ad fidem pertinet, ascendit in cœlum, et decem aliis diebus peractis misit Spiritum sanctum: id est, ut non ad humana et temporalia³, sed ad divina et æterna contuenda quodam amoris et charitatis spiramento et incendio quadragenario denarius adderetur. Et ideo jam hoc totum, id est, quinquagenarius numerus dierum, lætitiæ celebratione signandus est.

3^o. Hæc autem duo tempora, id est, unum laboris et sollicitudinis, alterum gaudii et securitatis, etiam retibus missis in mare Dominus noster significat⁴. Nam ante passionem de reticulo dicitur misso in mare; quia tantum piscium cœperunt, ut vix ad littus trahendo perducerent, et ut retia rumperentur. Non enim missa sunt in dexteram partem; habet enim multos malos Ecclesia hujus temporis: neque in sinistram, habet enim etiam bonos: sed passim, ut permixtionem bonorum malorumque signi-

¹ Joan. III, 2; Habac. II, 4; Rom. I, 17; Isai. VII, 9; Rom. VIII, 23.
² Act. I, 3. — ³ Id. II, 1. — ⁴ Luc. V, 6.

ficaret. Quod autem rupta sunt retia, charitate violata multas hæreses exiisse significat. Post resurrectionem vero, cum vellet Ecclesiam futuri temporis præmonstrare, ubi omnes perfecti atque sancti futuri sunt, jussit mitti retia in dexteram partem¹: et capti sunt ingentes pisces centum-quinquaginta-tres, mirantibus Discipulis quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta. Horum magnitudo magnitudinem sapientiæ justitiæque significat; numerus vero ipsam disciplinam et temporali dispensatione et æterna regeneratione perfectam, quam diximus quinquagenario numero commendari. Quia enim tunc non erit opus corporalibus adjumentis, et animo continebitur fides atque sapientia; quia animo ternarium numerum tributum diximus, quinquaginta ducimus ter et fiunt centum-quinquaginta; cui numero trinitas additur, quia omnis illa perfectio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti consecrata est: ita fiunt centum-quinquaginta-tres, qui numerus piscium ad dexteram partem captorum invenitur.

QUÆSTIO LXXXII. — 1^o. Multi murmurantes sub disciplina Dei, quæstionem movent, cum vident justos sæpe graves molestias secundum hanc vitam pati²: quasi propterea nihil eis prosit quod Deo serviunt, quia vel communes labores, atque indifferenter corporum atque damnorum et contumeliarum cæterorumque omnium, quæ mala mortales putant, vel etiam cæteris ampliores patiuntur propter verbum Dei atque justitiam, quæ onerosa peccantibus in ejus prædicatores tumultuosas seditiones aut insidias aut odia concitat. Quibus respondetur, quia si vita ista sola esset hominum, aut nihil prodesse, aut etiam nocere justa vita non usquequaque absurde videretur. Quanquam non defuerint, qui justitiæ suavitatem et internum ejus gaudium cum corporalibus omnibus labori-

¹ Joan. XXI, 6. — ² Hebr. XII, 6.

bus et molestiis, quas genus humanum pro conditione suæ mortalitatis patitur, cum omnibus etiam quæ propter ipsam justitiam in eos qui juste vivunt, injuriosissime cogitantur, ita compensarent, ut sequestrata spe futuræ vitæ jucundius et lætius præ amore veritatis torquerentur, quam luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur.

2^o. Sed iis tamen qui putant injustum Deum, cum justos in doloribus et laboribus vident, aut certe si non audent injustum Deum dicere, vel res humanas non curare arbitrantur, vel semel statuisse necessitates fatorum, contra quas nec ipse aliquid facit, ne ordinem rerum a se dispositum inconstantia turbare credatur, aut aliquid aliud opinantur, quod Deus in aliquo invalidus non possit a justis ista mala prohibere: dicendum est, nullam fuisse futuram justitiam in hominibus, si res humanas non curaret Deus. Quia omnis ista hominum justitia, quam et tenere animus humanus recte faciendo potest, et peccando amittere, non imprimeretur animæ, nisi esset aliqua incommutabilis justitia, quæ integra inveniretur a justis, cum ad eam converterentur; integra relinqueretur a peccantibus, cum ab ejus lumine averterentur. Quæ justitia incommutabilis utique Dei est, nec eam porrigeret ad illustrandos ad se conversos, si res humanas non curaret.

Si vero propterea gravia perpeti justos sineret, quia contra ordinem rerum a se dispositum nollet venire, nec ipse justus esset; non quia dispositionem suam servare vult, sed quia ita disposuit ipsum ordinem rerum, ut immeritis pœnis justis affligantur. In aliquo autem Deum esse invalidum ad repellenda mala quæ justis patiuntur, quisquis opinatur, ideo desipit, quia non intelligit, sicut nefas est injustum Deum dicere, ita nefas esse omnipotentem negare.

3^o. Quibus pro tempore susceptæ quæstionis breviter constitutis, quia et ipsum Deum et justum atque omnipo-

tentem esse, perniciosissime iniquitatis est dubitare; nulla causa probabilior occurrit, cur justii homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit. Alia est enim quæ nunc est justitia hominum ad recipiendam sempiternam salutem; alia tunc in paradiso constituti hominis esse debuit ad retinendam et non amittendam eandem sempiternam salutem. Sicut enim justitia Dei est, utilia præcipere, et inobedientibus pœnas, obedientibus autem præmia distribuere: ita justitia est hominis, præceptis utilibus obedire. Sed quoniam sic est in animo beatitudo, ut in corpore sanitas: quamadmodum in ipso corpore alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia vero, ut amissa recuperetur; sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur, ut eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis medici, quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut sanari possit, quæ sæpe non sufficiunt, si talis est morbus, nisi adhibeantur a medico quædam adjutoria, plerumque aspera et dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam salutem; unde fit ut homo, quamvis jam obtemperans medico patiatur tamen adhuc dolores, non solum de ipso morbo nondum sanato, verum etiam de adjutorio medicinæ: ita homo per peccatum lapsus in hujus vitæ morbidam et calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accepit, quibus obtemperans jam quidem non absurde dicitur juste vivere, sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur quod scriptum est, « Quem » enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem


» filium quem recipit¹. » Qui vero non obtemperantes præceptis saluberrimis inique vivunt, augent etiam atque etiam morbos suos : et aut ex ipsis patiuntur innumera- biles miseriarum labores doloresque etiam in hac vita; aut pœnis quoque adhibitis, ut quod sanum non est, tan- gatur et doleat, in quo malo sint, misericorditer admo- nentur, ut ad medicinam conversi per gratiam Dei sani fiant. Quæ omnia si contempserint, id est, præcepta ver- borum et dolorum, justam post hanc vitam sempiternam damnationem merebuntur. Ideoque ille potest dicere in- juste ista fieri, qui solam vitam mortalem, quam nunc agimus, esse existimans, quæ divinitus prædicta sunt fu- tura non credit, pensurus gravissima supplicia perseveran- tiæ peccatorum atque infidelitatis suæ.

QUÆSTIO LXXXIII. — Si Dominus dimittendæ conju- gis solam causam fornicationis admittit, et paganum con- jugium dimitti non prohibet, consequens est ut paganis- mus fornicatio deputetur¹. Solam autem fornicationis causam exceptam facere Dominum, cum de dimittenda conjugē loquitur in Evangelio, manifestum est². Paga- num vero conjugium hinc nan prohibetur dimitti, quia cum Apostolus de hac re consilium daret, ut fidelis volen- tem secum esse conjugem infidelem non dimittat, ait, « Ego dico, non Dominus³ : » ut Dominus intelligatur, non quidem jubere ut dimittatur, ne contra jussum ejus consilium dare videatur Apostolus, sed tamen permittere; ut nemo in ea re jussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat. Verumtamen ei quisquam as- serat solam illam fornicationem Dominum admittere ad causam relinquendæ conjugis, quæ vulgo dicitur fornicatio, id est, quæ concubitu illicito perpetratur, hoc potest dicere, Dominum, cum de hac re loqueretur, de utroque

¹ Hebr. xii, 6. — ² Matth. v, 32. — ³ 1 Cor. vii, 10.

fideli dixisse, et marito et uxore, ut si ambo fideles sint, neutri liceat alterum relinquere, nisi causa fornicationis; ubi non potest paganismus intelligi, quia uterque fidelis est. Sic enim et Apostolus videtur distinguere, cum ait : « His autem qui in conjugio sunt præcipio, non ego, » sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si re- cesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari¹. » Ubi etiam intelligitur, quod si una illa causa, qua sola relictio conjugii permittitur, mulier a viro recesserit, in- nupta perseverare debet : aut si se non continet, viro po- tius reconciliari vel correcto vel certe tolerando, quam alteri nubere. Sequitur autem, et dicit, « Et vir uxorem » non dimittat² : » breviter eandem formam intimans in viro quam præcipiebat in fœmina. Quibus ex præcepto Domini insinuatis ita sequitur : « Cæteris autem ego dico, » non Dominus. Si quis frater habet uxorem infidelem, » et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam : » et mulier si habet virum infidelem, et hic consentit ha- bitare cum illa, non dimittat virum³. » Ubi dat intelligi Dominum de his locutum, ut neuter alterum dimitteret, si fideles ambo essent.

¹ 1 Cor. vii, 11. — ² Ibid. — ³ Ibid. 12 et 13.



S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS

AD SIMPLICIANUM

LIBRI II¹.

LIBER I².

In quo Simpliciani quæstiones ex Epistola Pauli ad Romanos duæ tractantur.

PREFATIO. — Gratissimam plane atque suavissimam interrogationum tuarum dignationem mihi, pater Simpliciane, misisti: quibus nisi respondere conarer, non solum contumax, verumetiam ingratus existerem. Et illa quidem quæ de Paulo apostolo dissolvenda proposuisti, jam a nobis erant utcumque discussa litterisque mandata. Sed tamen eadem ipsa verba Apostolica tenoremque sententiarum, non contentius inquisitione atque explicatione præterita, ne quid in ea negligentius

¹ Scripti circiter annum 397. — ² Vide *Retract.* lib. II, cap. 1.

præterissem, cautius attentiusque rimatus sum. Non enim tu ea percontanda censes, si eorum intellectus facilis atque expeditus foret.

QUÆSTIO I. — 1^o. Nam ex eo loco ubi scriptum est : « Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ? Absit : » usque ad eum locum, ubi ait : « Igitur Lex volenti mihi bonum » est ; » et cætera, credo usque ad illud : « Miser ego » homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum ¹ : » primam nos voluisti enodare quæstionem. Quo loco videtur mihi Apostolus transfigurasse in se hominem sub Lege positum, cujus verbis ex persona sua loquitur. Et quia paulo ante dixerat : « Evacuati sumus a lege mortis, » in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ : » atque ita per hæc verba quasi reprehensisse legem posset videri, subjecit statim : « Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ? Absit. » Sed peccatum non cognovi nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret : Non concupisceret ². »

2^o. Hic rursus movet : Si lex non est peccatum, sed insinuatix peccati, nihilominus his verbis reprehenditur. Quare intelligendum est, legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, neque ut extirparetur, sed tantum ut demonstraretur, quo animam humanam quasi de innocentia securam ipsa peccati demonstratione ream faceret ; ut quia peccatum sine gratia Dei vinci non posset, ipsa reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur. Itaque non ait : Peccatum non feci nisi per legem : sed, « Peccatum non cognovi nisi per legem. » Neque rursus ait : Nam concupiscentiam non habebam, nisi lex diceret : Non concupisces : sed ait : « Concupiscentiam

¹ Rom. vii, 7. — ² Ibid. 6.

» nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces ¹. » Unde apparet concupiscentiam per legem non insitam, sed demonstratam.

3^o. Consequens autem erat, ut quoniam nondum accepta gratia concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam : quia majores vires habet concupiscentia crimine prævaricationis adjuncto, cum etiam contra legem facit, quam si nulla lege prohiberetur. Consequenter itaque subjungit : « Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam ². » Erat enim et ante legem, sed non omnis erat, quando crimen prævaricationis adhuc deerat. Unde alio loco dicit : « Ubi enim non est lex, nec prævaricatio ³. »

4^o. Quod autem adjungit : « Sine lege enim peccatum » mortuum est ⁴ : » pro eo positum est, ac si diceret, latet, hoc est, mortuum putatur : quod paulo post evidentius dicturus est. « Ego autem, inquit, vivebam sine » lege aliquando ⁵ : » id est, nulla peccato morte terrebar ; quia non apparebat, cum lex non esset. « Adveniente autem » mandato, peccatum revixit ; » hoc est, apparuit. « Ego » autem mortuus sum ⁶ : » id est, mortuum me esse cognovi ; vel quia reatus prævaricationis certum mortis supplicium comminatur. Sane quod ait : « Peccatum » revixit adveniente mandato, » satis significavit hoc modo aliquando vixisse peccatum, id est, notum fuisse, sicut arbitror, in prævaricatione primi hominis, quia et ipse mandatum acceperat ⁷. Nam et alio loco dicit : « Mulier » autem seducta in prævaricatione facta est ⁸. » Et iterum : « In similitudine prævaricationis Adæ, qui est forma » futuri ⁹. » Non enim potest reviviscere, nisi quod vixit aliquando. Sed mortuum fuerat, id est, occultatum, cum

¹ Rom. vii, 7. — ² Ibid. 8. — ³ Id. iv, 15. — ⁴ Id. vii, 8. — ⁵ Ibid. 9. — ⁶ Ibid. 10. — ⁷ Gen. ii, 17. — ⁸ 1 Tim. ii, 14. — ⁹ Rom. v, 14.

mortales nati sine mandato legis homines viverent, sequentes concupiscentias carnis sine ulla cognitione, quia sine ulla prohibitione. Ergo, « Ego, inquit, vivebam sine » lege aliquando. » Unde manifestat, non ex persona sua proprie, sed generaliter ex persona veteris hominis se loqui. « Adveniente autem mandato peccatum revixit. » Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem. » Mandato enim si obediatur, utique vita est. Sed inventum est esse in mortem, dum fit contra mandatum, ut non solum peccatum fiat, quod etiam ante mandatum fiebat, sed hoc abundantius et perniciosius, ut jam a sciente et prævaricante peccetur.

5^o. « Peccatum enim, inquit, occasione accepta per » mandatum, fefellit me, et per illud occidit ¹. » Peccatum non legitime utens ² lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcius factum est, et ideo fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines consequuntur. Quia ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suavius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine. Quia vero etiam accedit reatus prævaricationis, occidit.

6^o. « Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, » et justum et bonum ³. » Jubenda enim jubet, et prohibenda prohibet. « Quod ergo bonum est, mihi factum est » mors? Absit ⁴. » In male utente quippe vitium est, non in mandato ipso, quod bonum est. Quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur ⁵. Male autem utitur lege, qui non se subdit Deo pia humilitate, ut per gratiam lex possit impleri. Itaque ad nihil aliud accipit legem, qui non ea legitime utitur, nisi ut peccatum ejus quod latebat

¹ Rom. vii, 8. — ² Forte utenti. — ³ Rom. vii, 12. — ⁴ Ibid. 13. — ⁵ 1 Tim. 1, 8.

ante prohibitionem, apparere incipiat per prævaricationem. Et hoc « supra modum; » quia jam non solum peccatum fit, sed etiam contra mandatum. Sequitur ergo, et adjungit: « Sed peccatum, ut appareat peccatum, per » bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum » peccator aut peccatum per mandatum ¹. » Unde manifestat quo sensu dixerit superius: « Sine lege enim peccatum mortuum est ²; » non quia non erat, sed quia non apparebat: et quomodo dictum sit: « Peccatum » revixit; » non ut esset quod erat et ante legem, sed ut appareret, quoniam fiebat contra legem: quandoquidem hoc loco ait: « Sed peccatum, ut appareat peccatum, per » bonum mihi operatum est mortem ³. » Non enim ait, ut sit peccatum: sed, « ut appareat peccatum. »

7^o. Deinde subjungit causam, cur ita sit: « Scimus » enim, inquit, quia lex spiritalis est, ego autem carnalis » sum ⁴. » In quo satis ostendit, non posse impleri legem nisi a spiritalibus, qui non fiunt nisi per gratiam. Spiritali enim legi quanto fit quisque similior, id est, quanto magis et ipse in spiritalem surgit affectum, tanto eam magis implet; quia tanto magis ea delectatur, jam non sub ejus onere afflicto, sed ejus lumine vegetatus: « Quia præceptum Domini lucidum est illuminans oculos, et lex » Domini immaculata convertens animas ⁵; » gratia donante peccata, et infundente spiritum charitatis, quo et non sit molesta, et sit etiam jucunda justitia. Sane cum dixisset: « Ego autem carnalis sum: » contextuit etiam qualis carnalis. Appellati sunt enim ad quemdam modum carnales, jam etiam sub gratia constituti, jam redempti sanguine Domini, et renati per fidem, quibus idem Apostolus dicit: « Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi

¹ Rom. vii, 13. — ² Ibid. 8. — ³ Ibid. 9. — ⁴ Rom. vii, 14. — ⁵ Psal. xviii, 8.

» spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in
» Christo lac vobis potum dedi, non escam¹. » Quod di-
cens, utique ostendit jam renatos fuisse per gratiam, qui
erant parvuli in Christo et lacte potandi, et tamen eos
adhuc carnales vocat. Qui autem nondum est sub gratia,
sed sub lege, ita carnalis est, ut nondum sit renatus a
peccato, sed venundatus sub peccato: quoniam pretium
mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam, qua
fallitur, et delectatur etiam contra legem facere, cum
tanto magis libet, quanto minus licet. Qua suavitate frui
non potest quasi pretio conditionis suæ, nisi cogatur tan-
quam emptum mancipium servire libidini. Sentit enim se
servum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, et se recte
prohiberi cognoscit, et tamen facit.

8º. « Quod enim operor, ait, ignoro². » Non ita hic
dictum est, « ignoro, » quasi peccare se nesciat. Nam con-
trarium erit quod dixit, « Sed peccatum, ut appareat
» peccatum, per bonum mihi operatum est mortem³. » Et
illud superius, « Sed peccatum non cognovi nisi per
» legem⁴. » Quomodo enim apparet, aut quomodo cogno-
vit quod ignorat? Sed ita dictum est, quomodo dicturus
est Dominus impiis, « Non novi vos⁵. » Neque enim ali-
quid Deum latet, quando vultus Domini super facientes
mala⁶, ut perdat de terra memoriam eorum. Sed dicimur
aliquando ignorare quod non approbamus. Ita ergo ait,
« Quod enim operor, ignoro: » id est, non approbo. Quod
consequenter ostendit, dicens: « Non enim quod volo, hoc
» ago; sed quod odi, illud facio. » Quod ergo ait, « odi; »
hoc ait, « ignoro: » quia et quibus dicturus est Dominus,
« Non novi vos; » de his illi dicitur, « Odisti, Domine,
» omnes qui operantur iniquitatem⁷. »

¹ Cor. III, 1 et 2. — ² Rom. VII, 15. — ³ Ibid. 13. — ⁴ Ibid. 7. —
⁵ Matth. XXV, 12. — ⁶ Psal. XXXIII, 7. — ⁷ Id. III, 7.

9º. « Si autem quod nolo, hoc facio; consentio legi,
» quoniam bona est¹. » Hoc enim non vult, quod et lex:
nam hoc vetat lex. Consentit ergo legi, non in quantum
facit quod illa prohibet, sed in quantum non vult quod
facit. Vincitur enim nondum per gratiam liberatus, quam-
vis jam per legem et noverit se male facere, et nolit. Quod
vero sequitur, et dicit, « Nunc autem jam non ego operor
» illud, sed id quod in me habitat peccatum²: » non ideo
dicit, quia non consentit ad faciendum peccatum, quam-
vis legi consentiat ad hoc improbandum. Loquitur enim
adhuc ex persona hominis sub lege constituti, nondum
sub gratia, qui profecto trahitur ad male operandum
concupiscentia dominante atque fallente dulcedine pec-
cati prohibiti, quamvis ex parte notitiæ legis hoc impro-
bet. Sed propterea dicit, « Non ego operor illud, » quia
victus operatur. Cupiditas quippe id operatur, cui supe-
ranti ceditur. Ut autem non cedatur, sitque mens hominis
adversus cupiditatem robustior, gratia facit, de qua post
dicturus est.

10º. « Scio enim, inquit, quia non habitat in me, hoc
» est in carne mea, bonum³. » Ex eo quod scit, consentit
legi: ex eo autem quod facit, cedit peccato. Quod si quæ-
rit aliquis unde hoc scit, quod dicit habitare in carne sua
non utique bonum, id est, peccatum: unde, nisi ex tra-
duce mortalitatis et assiduitate voluptatis? Illud est ex
pœna originalis peccati, hoc est ex pœna frequentati pec-
cati. Cum illo in hanc vitam nascimur, hoc vivendo addi-
mus. Quæ duo, scilicet, tanquam natura et consuetudo,
conjuncta, robustissimam faciunt et invictissimam cupi-
ditatem, quod vocat peccatum, et dicit habitare in carne
sua, id est, dominatum quemdam et quasi regnum obti-
nere. Unde est illud in Psalmo: « Elegi abjici in domo

¹ Rom. VII, 16. — ² Ibid. 17. — ³ Ibid. 18.

» Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum¹ : » quasi non habitet, quamvis ibi sit, qui abjectus ibi est, ubicumque sit : unde insinuat habitationem cum quodam principatu intelligendam. Sit autem per gratiam fiat in nobis quod alio loco dicit : « Ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, jam nec habitare proprie dicitur². »

11^o. « Velle enim, inquit, adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio³. » His verbis videtur non recte intelligentibus velut auferre liberum arbitrium. Sed quomodo aufert, cum dicat : « Velle adjacet mihi ? » Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet nobis : sed quod perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non enim est hæc prima natura nominis, sed delicti pœna, per quam facta est ipsa mortalitas, quasi secunda natura, unde nos gratia liberat conditoris subditos sibi per fidem. Sed istæ nunc voces sunt sub lege hominis constituti, nondum sub gratia. Non enim quod vult facit bonum, qui nondum est sub gratia ; sed quod non vult malum, hoc agit, superante concupiscentia, non solum vinculo mortalitatis, sed mole consuetudinis roborata. Si autem quod non vult, hoc facit, jam non ipse operatur illud, sed quod habitat in eo peccatum : sicut superius dictum est et expositum.

12^o. « Invenio ergo, inquit, legem mihi volenti facere bonum, quoniam mihi malum adjacet⁴ : » id est, invenio legem bonum mihi esse, cum volo facere quod lex habet⁵ ; quoniam mihi malum adjacet, ad facile faciendum. Quia superius quod ait, « Velle adjacet mihi : » ad facilitatem dixit. Quid enim facilius homini sub lege constituto, quam velle bonum et facere malum ? Nam et illud difficultate

¹ Psal. lxxxiii, 11. — ² Rom. vi, 12. — ³ I. vii, 18. — ⁴ Ibid. 21. — ⁵ Forte jubet.

vult, quamvis non tam facile faciat, quam facile vult ; et hoc quod odit facile habet, quamvis id nolit : sicut præcipitatus sine difficultate venit in profundum, quamvis id nolit atque oderit. Hoc dixi propter verbum quod ait, « adjacet. » Perhibet igitur testimonium legi, quod bona sit, homo sub ea positus et nondum gratia liberatus : perhibet omnino eo ipso quod se reprehendit facere contra legem : et invenit eam bonum sibi esse, volens facere quod illa jubet, et concupiscentia superante non valens : atque ita se prævaricationis reatu implicatum videt, ad hoc ut gratiam liberatoris imploret.

13^o. « Condelector enim, inquit, legi Dei secundum interiorem hominem : » ei utique legi, quæ dicit : « Non concupisces¹. Video autem, inquit, legem aliam in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis². » Legem appellat in membris suis, onus ipsum mortalitatis, in quo ingemiscimus gravati³. « Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam⁴. » Per quod fit etiam sæpe, ut invicte delectet quod non licet. Quam sarcinam prementem et urgentem ideo legem appellat, quia jure supplicii divino judicio tributa et imposita est ab eo qui præmonuit hominem, dicens : « Qua die manducaveritis, morte moriemini⁵. » Hæc lex repugnat legi mentis dicenti : « Non concupisces : » cui condelectatur homo secundum interiorem hominem : et antequam sit quisque sub gratia, ita repugnat, ut et captivet eum sub lege peccati, id est, sub semetipsa. Cum enim dicit, « quæ est in membris meis : » hanc ostendit eandem esse de qua superius ait : « Video aliam legem in membris meis. »

¹ Rom. vii, 22, et Exod. xx, 17. — ² Rom. vii, 23. — ³ 2 Cor v, 4. — ⁴ Sap. ix, 15. — ⁵ Gen. ii, 17.

14^o. Hoc autem totum ideo dicitur, ut demonstraret homini captivo non esse præsumendum de viribus suis. Unde Judæos arguebat tanquam de operibus legis superbe gloriantes, cum traherentur concupiscentia ad quidquid illicitum est, cum lex de qua gloriabantur, dicat, « Non » concupisces. » Humiliter ergo dicendum est homini victo, damnato, captivo, et nec saltem accepta lege victori, sed potius prævaricatori, humiliter exclamandum est, « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum » nostrum¹. » Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cum voluerit, sed ut se supplicii pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.

15^o. In hac ergo tota, quam tractavimus, apostolici contextione sermonis, quisquis putat sensisse Apostolum quod mala sit lex, quoniam dicit, « Lex subintravit, ut abundaret delictum²: » et, « Ministratio mortis in litteris » figurata lapideis³: » et, « Virtus peccati lex: » et, « Mortui estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit⁴: » et, « Passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabuntur in membris nostris, ut fructum ferrent morti; nunc vero evacuati sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ⁵: » et alia si qua hujusmodi Apostolum dixisse invenimus, attendat ideo esse ista dicta, quia lex auget concupiscentiam ex prohibitione, et reum obligat ex prævaricatione, jubendo quod implere homines ex infirmitate non possunt, nisi se ad Dei gratiam pietate convertant. Et ideo sub illa esse dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur, quos punit: punit

¹ Rom. vii, 23 et 25. — ² Id. v, 20. — ³ 2 Cor. iii, 7. — ⁴ 1 Cor. xv, 56. — ⁵ Rom. vii, 4, 5.

autem prævaricatores omnes. Porro qui acceperunt legem, prævaricant eam, nisi per gratiam consequantur posse quod jubet. Ita fit, ut non dominetur eis qui jam sub gratia sunt, implentibus eam per charitatem, qui erant sub ejus timore damnati.

16^o. Nam si illa quæ dicta sunt, movent, ut putetur Apostolus legem reprehendere; quid agimus de eo quod dicit: « Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem? » Hoc enim dicens, legem utique laudat. Quod cum illi audiunt, respondent, hoc loco Apostolum de alia lege dicere, id est, de lege Christi, non de illa quæ data est Judæis. Quærimus ergo ab eis, de qua lege dicat, « Lex » autem subintravit ut abundaret delictum¹? » Respondent, de illa procul dubio, quam Judæi acceperunt. Vide ergo utrum ipsa sit, de qua dicitur: « Occasione accepta » peccatum per mandatum operatum est in me omnem » concupiscentiam. » Quid est enim aliud, « operatum » est in me omnem concupiscentiam; » quam id quod ibi est, « ut abundaret delictum? Vide quoque utrum consonet etiam illa sententia, « ut fiat supra modum peccator » aut peccatum per mandatum. » Hoc est enim, « ut fiat » supra modum peccatum, » quod est, « ut abundaret delictum. » Si Igitur ostenderimus bonum esse mandatum, unde occasione accepta peccatum operatum est omnem concupiscentiam, ut fieret supra modum; simul ostendimus bonam esse legem, quæ subintravit ut abundaret delictum, id est, ut operaretur peccatum omnem concupiscentiam, et fieret supra modum. Audiant ergo eundem Apostolum dicentem: « Quid ergo dicemus? Lex peccatum » est? Absit². » Hoc, inquit, de lege Christi dictum est: hoc est, de lege gratiæ. Respondeant itaque de qua intelligant illud, quod sequitur: « Sed ego peccatum non

¹ Rom. v, 20. — ² Id. vii, 7.

» cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. » Ecce verborum ipsa contextio satis indicat de qua lege dixerit: « Lex peccatum est? Absit. » De illa scilicet, per cujus mandatum occasio fuit peccato, ut operaretur omnem concupiscentiam. De illa ergo, quæ subintravit ut abundaret delictum, quam putant illi malam. Sed quid apertius, quam id quod paulo post ait, « Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum? » Hoc rursus dicunt non de illa lege, quæ Judæis dicta est, sed de Evangelio dictum est. Manichæorum est enim tam ineffabiliter cæca ista perversitas. Non enim attendunt quod apertissimum et manifestissimum sequitur: « Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum: » hoc est, per mandatum sanctum et justum et bonum; quod tamen subintravit ut abundaret peccatum, hoc est, ut fieret supra modum.

17^o. Cur ergo « ministratio mortis » dicitur, si bona est lex? Quia « peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem¹. » Nec mireris, cum de ipsa prædicatione Evangelii dictum sit: « Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem². » Ad Judæos enim dicta est lex ministratio mortis, ad quos et in lapide scripta est ad eorum duritiam figurandam; non ad eos qui legem per charitatem implent. « Plenitudo enim legis, charitas³. » Ipsa enim lex, quæ in litteris est figurata lapideis, dicit:

¹ 2 Cor. iii, 7. — ² Id. ii, 15 et 16. — ³ Rom. xiii, 10.

« Non adulterabis: Non homicidium facies: Non furaberis: Non concupisces¹, » etc. Quam legem dicit Apostolus impleri per charitatem, ita loquens: Qui enim diligit alterum, legem implevit. « Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, » et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam te ipsum²: » quia et hoc in eadem lege scriptum est. Cur « virtus peccati lex³, » si lex bona est? Quia peccatum per bonum operatum est mortem, ut fiat supra modum, hoc est, majores vires ex prævaricatione concipiat. Cur « mortui sumus legi per corpus Christi⁴, » si bona est lex? Quia mortui sumus legi damnanti, liberati ab eo affectu quem lex punit et damnat. Usitatus enim vocatur lex, quando minatur et terret et vindicat. Itaque idem præceptum timentibus lex est, amantibus gratia est. Inde est illud in Evangelio: « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est⁵. » Eadem quippe lex quæ per Moysen data est, ut formidaretur, gratia et veritas per Jesum Christum facta est, ut impleretur. Sic ergo dictum est: « Mortui estis legi, » ac si diceretur, Mortui estis supplicio legis, « per corpus Christi, » per quod sunt delicta donata, quæ legitimo supplicio constrangebant. Cur « passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti, » si lex bona est? Quia illas hic voluit intelligi peccatorum passiones, de quibus jam sæpe dictum est, augmentum concupiscentiæ de prohibitione, et reatum pœnæ de prævaricatione: hoc est, quia per bonum operatum est mortem, ut fiat supra modum peccator aut peccatum per mandatum. Cur « liberati sumus a lege mortis,

¹ Deut. v, 17. — ² Rom. xiii, 8. — ³ 1 Cor. xv, 56. — ⁴ Rom. vii, 4. — ⁵ Joan. i, 17.

» in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ, » si lex bona est? Quoniam lex littera est eis, qui non eam implent per spiritum charitatis, quo pertinet Testamentum novum. Itaque mortui peccato liberantur a littera, qua detinentur rei qui non implent quod scriptum est. Lex enim quid aliud quam sola littera est eis, qui eam legere noverunt, et implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conscripta est: sed quoniam in tantum nota est, in quantum scripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil est aliud talibus nisi littera; quæ littera non est adjutrix legentium, sed testis peccantium. Ab ejus ergo damnatione liberantur, qui per spiritum innovantur, ut jam non sint obligati litteræ ad pœnam, sed intellectui per justitiam copulati. Inde est et illud; « Littera occidit, » spiritus autem vivificat¹. » Lex enim tantummodo lecta et non intellecta vel non impleta, utique occidit: tunc enim appellatur littera. Spiritus autem vivificat²; quia plenitudo legis est charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis³.

QUESTIO II. — 1^o. Sed jam, ut arbitror, tempus est ad aliam transire quæstionem, quam sic proposuisti, ut ab eo quod scriptum est, « Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati essent, neque aliquid egissent bonum aut malum⁴: » usque ad id quod scriptum est, « Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissimus⁵: » tota ipsa contextio disseratur; et profecto est latebrosior. Sed certe, qualem te erga me novi, jubere mihi ut aperirem ista non posses, nisi a Domino depreca-

¹ 2 Cor. iii, 6. — ² Rom. xiii, 10. — ³ Id. v, 5. — ⁴ Id. ix, 10 et seqq. — ⁵ Ibid. 29.

ris ut possem. Quo adjutorio fidentior factus, aggredior.

2^o. Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo, quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo gloriatur, de quibus audebant Israëlita gloriari, quod datæ sibi legi servissent, et ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant eandem gratiam dari Gentibus, tanquam indignis nisi Judaïca sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio in Apostolorum Actibus solvitur¹. Non enim intelligebant, quia eo ipso quo gratia est Evangelica, operibus non debetur. « Alioquin gratia jam non est gratia². » Et multis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præponens operibus, non ut opera extinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: ut scilicet non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est; sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione sacramentorum gratia plenior et evidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum elemosinis et orationibus dignum se præberet cui Angelus mitteretur: sed nullo modo ista operaretur³, nisi ante credidisset: nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum; sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdam vero tanta est, ut jam

¹ Act. xv, 7. — ² Rom. xi, 9. — ³ Act. x, 1.

corpori Christi et sancto Dei templo deputentur. « Tem-
» plum enim Dei sanctum est, inquit Apostolus, quod
» estis vos¹. » Et ipse Dominus, « Nisi quis renatus fuerit
» ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœ-
» lorum². » Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, con-
ceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed etiam
nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil
tamen horum sine gratia misericordiæ Dei: quia et opera
si qua sunt bona, consequuntur, ut dictum est, illam
gratiam, non præcedunt.

3^o. Quam rem persuadere Apostolus volens, quia sicut
alio loco dicit, Gratia enim Dei salvi facti sumus, et non
ex nobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte
quis extollatur³: de his nondum nati erant, documentum
dedit. Nemo enim posset dicere, quod operibus prome-
ruerat Deum Jacob nondum natus, ut divinitus dicere-
tur: « Et major serviet minori⁴. » Ergo, « Non solum⁵, »
inquit, Isaac promissus est, cum dictum est, Ad hoc
tempus veniam, et erit Saræ filius⁶: qui utique nullis
operibus promeruerat Deum, ut nasciturus promittere-
tur, ut in Isaac vocaretur semen Abrahæ⁷, id est, illi
pertinerent ad sortem sanctorum quæ in Christo est, qui
se intelligerent filios promissionis, non superbientes de
meritis suis, sed gratiæ vocationis deputantes quod cohæ-
redes essent Christi; cum enim promissum est ut essent,
nihil utique meruerant qui nondum erant: « sed et Re-
» becca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. »
Vigilantissime ait, « ex uno concubitu: » gemini enim
concepti erant, ne vel paternis meritis tribueretur, si
quisquam forte diceret, Ideo talis natus est filius, quia
pater ita erat affectus illo in tempore, quo eum sevit in

¹ Cor. III, 17. — ² Joan. III, 5. — ³ Ephes. II, 8. — ⁴ Gen. XXV, 23. —
⁵ Rom. IX, 10. — ⁶ Gen. XVII, 10. — ⁷ Id. XXI, 12.

utero matris: aut ita erat mater affecta, cum eum conce-
pit. Simul enim ambos uno tempore ille sevit, eodem
tempore illa concepit. Ad hoc commendandum ait, « Ex
» uno concubitu: » ut nec astrologis daret locum, vel
eis potius quos Genethliacos appellaverunt, qui de natali-
bus nascentium mores et eventa coniectant. Quid enim
dicant, cur una conceptione sub uno utique temporis
puncto, eadem dispositione cœli et siderum, ut diversa
singulis annotari omnino non possent, tanta in illis ge-
minis diversitas fuerit, prorsus non inveniunt: et facile
animadvertunt, si volunt, responsa illa quæ miseris ven-
ditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione
proferri. Sed ut de re quæ agitur potius loquamur, ad
frangendam atque dejiciendam superbiam hominum in-
gratorum gratiæ Dei, et audentium gloriari de meritis
suis, ista commemorantur. « Cum enim nondum nati
» fuissent, neque aliquid egissent bonum vel malum, non
» ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major
» serviet minori¹. » Vocantis est ergo gratia; percipientis
vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ
gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut
ferveat calefacit ignis, sed quia fervet: nec ideo bene
currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo
propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia ac-
cepit. Quomodo enim potest juste vivere, qui non fuerit
justificatus? quomodo sancte vivere, qui non fuerit sanc-
tificatus? vel omnino vivere, qui non fuerit vivificatus?
Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere juste.
Prima est igitur gratia, secunda opera bona, sicut alio
loco dicit: « Ei autem qui operatur, merces non impu-
» tatur secundum gratiam, sed secundum debitum². »
Sicut illa immortalitas post opera bona, si tamen vel ipsa

¹ Rom. IX, 11 et seqq. — ² Id. IV, 4.

ex debito poscitur: sicut **idem** ait, « Bonum certamen » certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero » superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex¹. » Forte enim quia dixit, reddet, jam sit ex debito. **Cum** vero ascendens in altum captivavit captivitatem², non reddidit, sed dedit dona hominibus. Unde enim ipse **Apostolus** tanquam debitum reddi sibi præsumeret: nisi prius indebitam gratiam præcepisset, qua justificatus bonum agonem certaret? Fuit enim blasphemus et persecutor et injuriosus; sed misericordiam consecutus est, ut ipse testatur³: credens utique in eum qui justificat non pium, sed impium⁴ ut justificando pium faciat.

4^o. « Non ex operibus, inquit, sed ex vocante dictum est » ei, Quia major serviet minori⁵. » Ad hoc pertinet quod ait, « Cum enim nondum nati fuissent, neque aliquid » egissent bonum aut malum: ut posset dici, Non ex » operibus, sed ex vocante. » Unde occurrit animo quærere, cur dixerit, « Ut secundum electionem propositum » Dei maneret? » Quomodo est enim justa, aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est **Jacob** nondum natus et nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla existente differentia, qua eligeretur. Item si nullo merito improbatu est **Esau**, quia et ipse nondum natus et nihil operatus erat, cum diceretur, « Et major serviet minori; » quomodo ejus improbatio justa dici potest? Qua ergo discretionem, quo æquitatis examine quod sequitur intelligimus, « **Jacob** dilexi, **Esau** autem odio habui⁶? » Quod quidem scriptum est in Propheta, qui longe posterior prophetavit, quam illi nati et mortui sunt: sed tamen illa sententia videtur

¹ 1 Tim. iv, 7 et 8. — ² Ephes. iv, 8. — ³ 1 Tim. i, 13. — ⁴ Rom. iv, 5. — ⁵ Id. ix, 12. — ⁶ Malach. i, 2 et 3.

commemorata, qua dictum est, « **Et** major serviet minori: » et ante quam nati et aliquid operati essent. Unde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis nondumque aliquid operatis nulla sunt momenta meritorum? An forte sunt aliqua naturarum? Quis hoc intelligat, ex uno patre, ex una matre, ex uno concubitu, ex uno creatore? An quemadmodum ex eadem terra idem creator produxit diversa animantium atque signentium genera, ita ex eodem hominum conjugio atque complexu produxit in geminis diversam prolem, unam quam diligeret, alteram quam odisset? Nulla ergo electione, ante quam esset quod eligeretur. Si enim bonus factus est **Jacob**, ut placeret; unde placuit ante quam fieret, ut bonus fieret? Non itaque electus est ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.

5^o An ideo « secundum electionem, » quia omnium **Deus** præscius etiam futuram fidem vidit in **Jacob** nondum nato? ut quamvis non ex operibus suis justificari quisque mereatur, quandoquidem bene operari nisi justificatus non potest, tamen quia ex fide justificat gentes **Deus**, nec credit aliquis nisi libera voluntate¹, hanc ipsam fidei voluntatem futuram prævidens **Deus**, etiam nondum natum præscientia, quem justificaret, elegerit. Si igitur electio per præscientiam, præscivit autem **Deus** fidem **Jacob**; unde probas quia non etiam ex operibus elegit eum? Si propterea quia nondum nati erant, et nondum aliquid egerant bonum seu malum; ita etiam nondum crediderat aliquis eorum. Sed præscientia vidit crediturum? Ita præscientia videre poterat operaturum: ut quomodo dicitur electus propter fidem futuram, quam præsciebat **Deus**, sic alius possit dicere, propter futura opera potius electum, quæ nihilominus præsciebat **Deus**, Quapropter

¹ Gal. iii, 8.

unde ostendit Apostolus, non ex operibus dictum esse, « Major serviet minori? » Si quoniam nondum nati erant: non solum non ex operibus, sed nec ex fide dictum est; quia utrumque, deerat nondum natis. Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret. Volens enim ostendere non ex operibus factam, propterea intulit, dicens, « Cum enim non dum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum seu » malum. » Alioquin poterat ei dici, Sed jam sciebat Deus, quis quid esset acturus. Quamobrem unde illa electio facta quæritur: quia si non ex operibus, quæ non erant in nondum natis; nec ex fide, quia nec ipsa erat; unde igitur?

6^o An dicendum est quod nulla electio fuerit non existente aliqua diversitate in utero matris vel fidei, vel operum, vel quorumlibet omnino meritorum? Sed dictum est, « Ut secundum electionem propositum Dei maneret¹. » Et ideo quærimus, quia dictum est. Nisi forte sic est distinguenda sententia, non ut intelligamus tanquam ideo « non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori, ut secundum electionem propositum Dei » maneret: » sed ita potius, ut ad hoc de nondum natis et nondum aliquid operatis exemplum datum accipiatur, ne aliqua electio hic possit intelligi. » Cum enim nondum » nati fuissent, neque aliquid egissent sive bonum sive » malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret; » id est, neque aliquid egissent bonum aut malum, ut propter ipsam actionem electio aliqua fieret ejus qui bene egerat: cum ergo nulla esset electio bene agentis, secundum quam maneret propositum Dei, « non ex » operibus, sed ex vocante, » id est, ex eo qui vocando ad fidem gratia justificat impium, « dictum est ei, Quia ma-

¹ Rom. ix, 11.

» jor serviet minori. » Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur, « Quis accusabit » adversus electos Dei¹? » Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Unde quod dictum est, « Quia eligit nos Deus ante mundi constitu- » tionem²: » non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, « Non ex operibus, sed ex » vocante dictum est ei, Quia major serviet minori: » non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. « Gratia enim Dei salvi » facti sumus; et hoc non ex nobis, sed Dei donum est: » non ex operibus, ne forte quis extollatur³. »

7^o Quæritur autem, utrum vel fides mereatur hominis justificationem; an vero nec fidei merita præcedant misericordiam Dei, sed et fides ipsa inter dona gratiæ numeretur. Quia et hoc loco cum dixisset, « Non ex operibus; » non ait, sed ex fide « dictum est ei, Quia major serviet » minori: ait autem, sed ex vocante » Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens; quia merita fidei sequuntur vocationem potius, quam præcedunt. « Quomodo enim cre- » dent, quem non audierunt? Et quomodo audient sine » prædicante⁴? » Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari, et accipere facultatem bene operandi. Ergo ante

¹ Rom. viii, 33. — ² Ephes. I, 4. — ³ Id. ii, 8. — ⁴ Rom. x, 14.

omne meritum est gratia : « Etenim Christus pro impiis » mortuus est¹. » Ex vocante igitur minor accepit, non ex ullis meritis operum suorum, ut major ei serviret : ut etiam quod scriptum est, Jacob dilexi, ex vocante sit Deo, non ex operante Jacob.

8^o. Quid deinde Esaü, quod servit minori, et quod scriptum est, « Esaü autem odio habui, » quibus malis suis hoc meruit, cum et ipse nondum natus fuisset, neque aliquid egisset boni aut mali, quando dictum est, « Et major serviet minori? » An forte quemadmodum illud de Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esaü nullis meritis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit ut serviret minori; propterea prædestinavit et Jacob ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est jam quod ait, « Non ex operibus. » Si autem verum est, quod non ex operibus, et inde hoc probat, quia de nondum natis nondumque aliquid operatis hoc dictum; unde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat: quo merito Esaü odio habetur antequam nascatur? Quod enim fecit Deus ea quæ diligeret, nulla quæstio est. Si autem dicamus eum fecisse quæ odisset, absurdum est, occurrente alia Scriptura et dicente, « Neque enim odio habens aliquid constituisses, et nihil odisti horum quæ fecisti². » Quo enim merito sol factus est sol, aut quid offendit luna ut tanto illo inferior, vel quid promeruit ut sideribus cæteris tanto clarior crearetur? Sed hæc omnia bona creata sunt quæque in genere suo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi, lunam autem odio habui; aut, Lunam dilexi, stellas autem odio habui: sicut dixit, « Jacob dilexi, Esaü autem » odio habui. » Sed illa omnia dilexit, quamvis excellen-

¹ Rom. v, 6. — ² Sap. xi, 25.

tiæ diversis gradibus ordinata; quoniam vidit Deus quia bona sunt¹, cum dicto ejus sunt instituta: ut autem odisset Esaü, nisi injustitiæ merito, injustum est. Quod si concedimus; incipit et Jacob justitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est quod non ex operibus. An forte ex justitia fidei? Quid ergo te adjuvat, « Cum enim nondum » nati fuissent? » Quandoquidem in nondum nato nec justitia fidei poterat esse.

9^o. Vidit itaque Apostolus quid ex his verbis posset animo audientis vel legentis occurrere, statimque subjecit: « Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud » Deum? Absit². » Et quasi docens quomodo absit: « Moysi enim dicit, inquit, Miserebor cui misertus ero, » et misericordiam præstabo cui misericors fuero³. » Quibus verbis solvit quæstionem, an potius arctius colligavit? Idipsum est enim quod maxime movet, si miseretur cui misertus erit, et misericordiam præstabit cui misericors fuerit, cur hæc misericordia defuit Esaü, ut etiam ipse per illam esset bonus, quemadmodum per illam bonus factus est Jacob. An ideo dictum est, « Miserebor cui » misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors » fuero; » quia cui misertus erit Deus ut eum vocet, miserebitur ejus ut credat; et cui misericors fuerit ut credat, misericordiam præstabit, hoc est, faciet eum misericordem, ut etiam bene operetur? Unde admonemur, nec ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari et extolli, quod eis quasi suis Deum promeruerit: quandoquidem ut haberet ipsam misericordiam, ille præstitit, qui misericordiam præstabit cui misericors fuerit. Quod si eam credendo se meruisse quis jactat, noverit eum sibi præstitisse ut crederet, qui miseretur inspirando fidem, cujus misertus est, ut adhuc infideli vocationem imperti-

¹ Gen. i, 31. — ² Rom. ix, 14 et 15. — ³ Exod. xxxiii, 19.

ret. Jam enim discernitur fidelis ab impio, « Quid enim » habes, inquit, quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis¹? »

10^o. Recte quidem hoc : sed cur hæc misericordia subtracta est ab Esaü, ut non sic vocaretur, ut et vocato inspiraretur fides, et credens misericors fieret ut bene operaretur? An forte quia noluit? Si ergo Jacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, et habuit aliquid quod non accepit. An quia nemo potest credere nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare ut vocetur, vocando Deus præstat et fidem? quia sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus. « Quo- » modo enim credent, quem non audierunt? Aut quomodo » audient sine prædicante²? » Nemo itaque credit non vocatus : sed non omnis credit vocatus. « Multi enim sunt » vocati, pauci vero electi³ : » utique ii qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt; volentes autem sine dubio crediderunt. Quid est ergo quod sequitur : « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis » est Dei⁴? » An quia nec velle possumus nisi vocati, et nihil valet velle nostrum, nisi ut perficiamus adjuvet Deus? Opus est ergo velle et currere. Non enim frustra diceretur, « Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis⁵. » Et, « Sic currite ut comprehendatis. Non tamen volentis » neque currentis, sed miserentis est Dei, ut quod volumus adipiscamur, et quo volumus perveniamus⁶. » Noluit ergo Esaü et non cucurrit : sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut velimus, aliter

¹ 1 Cor. iv, 7. — ² Rom. x, 14. — ³ Matth. xx, 16. — ⁴ Rom. ix, 16. — ⁵ Luc. ii, 14. — ⁶ 1 Cor. ix, 24.

præstat quod voluerimus. Ut velimus enim et suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere, et semper beate vivere. Verumtamen Esaü nondum natus, nihil horum posset velle seu nolle. Cur ergo in utero positus improbatus est? Reditur enim ad illas difficultates, non solum sua obscuritate, sed etiam nostra tam multa repetitione molestiores.

11^o. Cur enim est improbatus Esaü nondum natus, qui nec credere poterat vocanti, nec contemnere vocationem, nec boni vel mali aliquid operari? Si præsentia Dei futuræ malæ voluntatis ejus, cur non et Jacob præscientia Dei approbatus est bonis futuræ voluntatis ejus? Quod si semel concesseris, potuisse quemquam vel approbari vel improbari ex eo quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat; conficitur eum potuisse etiam ex operibus approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quamvis nondum esset aliquid operatus; et omnino te nihil adjuvabit quod nondum nati erant, cum dictum esset, « Et major serviet minori, » ut hinc ostendas non ex operibus dictum, quia nondum quidquam erat operatus.

12^o. Illa etiam verba si diligenter attendas, « Igitur » non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei¹ : » non hoc Apostolus propterea tantum dixisse videbitur, quod adjutorio Dei ad id quod volumus perveniamus; sed etiam ex illa intentione, qua et alio loco dicit, « Cum » timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; » Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari » pro bona voluntate². » Tibi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam si propterea solum dictum est, « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; » quia voluntas hominis

¹ Rom. ix, 16. — ² Philip. ii, 12 et 13.

sola non sufficit ut juste recteque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei: potest et hoc modo dici, Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus; Deus enim est qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate. Nam si quæramus, utrum Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod vocamur. Non igitur ideo dictum putandum est, « Non volentis neque currentis, » sed miserentis est Dei, » quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus: sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione non volumus.

13^o. Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatur sequatur, quomodo verum erit: « Multi vocati, pauci electi¹? » Quod si verum est, et non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut non obtemperet in ejus est positum voluntate, recte etiam dici potest: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit, Multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur

¹ Matth. xxii, 14.

idonei; et illud non minus verum sit: « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, » qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem? Ad alios autem vocatio quidem pervenit: sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: et non jam similiter verum est, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: » quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.

14^o. Hic dicit aliquis, Cur ergo Esaü non sic est vocatus, ut vellet obedire? Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moveri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostram Jesum Christum adhuc infantem parvulum credidit, Spiritu ei revelante cognoscens¹; Nathanaël ad unam sententiam, quam ab illo audivit, « Prius quam te Philippus vocaret, cum » esses sub arbore ficu vidi te; respondit, Rabbi, tu es Fi-

¹ Luc. ii, 25.

» lius Dei, tu es rex Israël¹. » Quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire, quod beatus sit, et quod ei darentur claves regni cœlorum². Miraculo facto in Cana Galilææ, quod initium signorum Jesu Joannes evangelista commemorat, aqua in vinum conversa, crediderunt in eum discipuli ejus³. Multos loquendo incitavit ad fidem: multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce atque morte ejus conterriti etiam Discipuli titubarunt; et tamen latro tunc credidit⁴, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. Unus etiam de numero Discipulorum post ejus resurrectionem, non tam viventibus membris, quam recentibus cicatricibus credidit⁵: multi ex eorum numero a quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserant, Discipulis eum prædicantibus et in nomine ejus talia facientibus crediderunt⁶. Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esaü ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat mentis aversio; quæritur utrum de divina pœna sit ipsa duritia, cum Deus deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moveri potest, Quis enim dicat modum, quo ei persuaderetur ut crederet, etiam omnipotenti defuisse?

15^o. Sed quid hoc quærimus? cum ipse subjungat Apostolus, « Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia ad hoc te » excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut an-

¹ Joan. 1, 48. — ² Matth. xvi, 16. — ³ Joan. 11, 11. — ⁴ Luc. xxiii, 40. — ⁵ Joan. xx, 27. — ⁶ Act. xxxvii, et iv, 4.

» nuntietur nomen meum in universa terra¹. » Hoc autem subjecit Apostolus documentum, quo probaret quod supra dixerat: « Igitur non volentis neque currentis, sed » miserentis est Dei. » Tanquam enim ei diceretur, Unde hoc doces? « Dicit enim Scriptura, inquit, Pharaoni, » Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam » meam, et ut annuntietur nomen meum in universa » terra. » Utique hinc ostendens quod non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Concluditque ita; « Ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat²: » cum superius non utrumque dictum sit. Neque enim quomodo dictum est: « Non volentis neque currentis, sed » miserentis est Dei; » sic etiam dictum est, Non nolentis neque contemnentis, sed obdurantis est Dei. Unde datur intelligi, quod infra utrumque posuit: « Ergo cujus » vult miseretur, et quem vult obdurat, » ita sententiæ superiori posse congruere, ut obduratio Dei sit nolle misereri ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur. Quod si fit nulla distinctione meritorum, quis non erumpat in eam vocem, quam sibi ipse objecit Apostolus? « Dicis itaque » mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati ejus » quis resistit³? » Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, sicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos, quod nolint credere et recte vivere. Unde fideles et facientes voluntatem Dei, conversari dicuntur sine querela, quod de illis non queratur Scriptura⁴. Sed, « Quid » conqueritur, ait? Nam voluntati ejus quis resistit, » quando cujus vult miseretur, et quem vult obdurat? » Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus.

¹ Rom. v, 14, et Exod. ix, 16. — ² Rom. ix, 18. — ³ Ibid. 19. — ⁴ Luc. 1, 6.

16°. Ait enim paulo ante, « Quid ergo dicemus? » Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. » Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente sobria pietate atque stabili in fide, quod nulla est iniquitas apud Deum: atque ita tenacissime firmissimeque credatur, id ipsum quod Deus cuius vult miseretur et quem vult obdurat, hoc est, cuius vult miseretur et cuius non vult non miseretur, esse alicujus occultæ atque ab humano modulo investigabilis æquitatis, quæ in ipsis rebus humanis terrenisque contractibus animadvertenda est; in quibus nisi supernæ justitiæ quædam impressa vestigia teneremus, nunquam in ipsum cubile ac penetrabile sanctissimum atque castissimum spiritalium præceptorum nostræ infirmitatis suspiceret atque inhiaret intentio. « Beati qui esuriunt et » sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur¹. » In ista igitur siccitate vitæ conditionisque mortalis, nisi aspergeretur desuper velut tenuissima quædam aura justitiæ, citius aresceremus, quam sitiremus. Quapropter cum dando et accipiendo inter se hominum societas connectatur, dentur autem et accipiantur vel debita vel non debita; quis non videat iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur, exegerit? nec eum certe, qui quod ei debetur, donare voluerit? hoc autem non esse in eorum qui debitores sunt, sed in ejus cui debetur arbitrio? Hæc imago, vel, ut supra dixi, vestigium negotiis hominum de fastigio summo æquitatis impressum est. Sunt igitur omnes homines, (quandoquidem, ut Apostolus ait. In Adam omnes moriuntur², a quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei,) una quædam massa peccati, supplicium debens divinæ summæque justitiæ, quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, et quibus donandum sit, su-

¹ Matth. v, 6. — ² 2 Cor. xv, 22.

perbe judicant debitores: quemadmodum conducti ad illam vineam injuste indignati sunt¹, cum tantumdem aliis donaretur, quantum illis redderetur. Itaque hujus impudentiam quæstionis ita retundit Apostolus: « O homo, tu » quis es, qui respondeas Deo²? » Sic enim respondet Deo, cum ei displicet quod de peccatoribus conqueritur Deus, quasi quemquam Deus peccare cogat, si tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam justificationis suæ non largiatur, et ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent. Eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam, æquitate occultissima et ab humanis sensibus remotissima judicat. « Inscrutabilia » enim sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius³. » Conqueritur autem juste de peccatoribus, tanquam de his quos peccare ipse non cogit. Simul etiam ut hi quorum miseretur, hanc quoque habeant vocationem, ut dum conqueritur Deus de peccatoribus, compungantur corde, atque ad ejus gratiam convertantur. Juste ergo conqueritur, et misericorditer.

17°. Sed si hoc movet, quod voluntati ejus nullus resistit, quia cui vult subvenit, et quem vult deserit; cum et ille cui subvenit, et ille quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum, et quamvis debeat uterque supplicium, ab uno tamen exigatur, alteri donetur: si hoc ergo movet; « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? » Arbitror enim sub eadem significatione positum, quod dictum est⁴, homo, sub qua et illud dicitur: « Nonne homines estis, et secundum hominem ambulatis⁵: » Ibi enim carnales et animales notantur hoc nomine, quibus dicitur: « Non potui loqui » vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus⁶. » Et illud:

¹ Matth. xx, 11. — ² Rom. ix, 20. — ³ Id. xi, 33. — ⁴ Vide lib. Quæst. octog. tribus, quæst. lxxviii. — ⁵ 1 Cor. iii, 3. — ⁶ Ibid. 7 et 2.

« Nondum enim poteratis, sed neque adhuc potestis; ad-
 » huc enim estis carnales. » Et illud: « Animalis autem
 » homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei¹. » His ergo
 dicitur: « O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?
 » Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic
 » fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti, ex eadem
 » conspersione facere aliud quidem vas in honorem, aliud
 » in contumeliam²: » Eo ipso fortasse satis ostendit se
 homini carnali loqui; quoniam hoc limus ipse significat,
 unde primus homo formatus est: et quia omnes, ut jam
 commemoravi, secundum eundem Apostolum, in Adam
 moriuntur³, unam dicit esse conspersionem omnium. Et
 quamvis aliud vas fiat in honorem, aliud in contumeliam;
 tamen et illud quod fit in honorem, necesse est ut car-
 nale esse incipiat, atque inde in spiritalem consurgat æta-
 tem. Quandoquidem jam in honorem facti erant, et in
 Christo jam nati erant: sed tamen quoniam parvulos ad-
 huc alloquitur, etiam ipsos carnales appellat, dicens:
 « Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi car-
 » nalibus; quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi,
 » non escam: neque enim poteratis, sed nec adhuc qui-
 » dem potestis; adhuc enim estis carnales⁴. » Quamvis
 ergo carnales eos esse dicat; tamen jam in Christo natos,
 et in illo parvulos, et lacte potandos. Et quod adjungit,
 Nec adhuc quidem potestis; ostendit proficientes futurum
 esse ut possint: quia jam in eis spiritualiter renatis gratia
 fuerat inchoata. Ergo jam vasa erant in honorem facta,
 quibus adhuc tamen recte diceretur: « O homo, tu quis
 » es, qui respondeas Deo? » Et si talibus recte dicitur,
 multo rectius eis qui vel nondum ita regenerati sunt, vel
 etiam in contumeliam facti. Illud tantummodo inconcussa
 fide teneatur, quod non sit iniquitas apud Deum: qui sive

¹ 1 Cor. II, 14. — ² Rom. IX, 21. — ³ 1 Cor. XV, 22. — ⁴ Id. II et III.

donet, sive exigat debitum, nec ille a quo exigat, recte
 potest de iniquitate ejus conqueri, nec ille cui donat, de-
 bet de suis meritis gloriari. Et ille enim, nisi quod debe-
 tur, non reddit: et ille non habet, nisi quod accepit.

18^o. Sed enitendum est hoc loco, si Dominus adjuret,
 videre quemadmodum et illud verum sit, quod scriptum
 est, « Nihil odisti eorum quæ fecisti¹: » et illud, « Jacob
 » dilexi, Esau autem odio habui². » Si enim propterea
 Esau odio habuit, quia vas factum erat in contumeliam,
 et aliud vas in honorem, aliud in contumeliam idem figu-
 lus fecit, quomodo « nihil odisti eorum quæ fecisti? »
 Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in contumeliam.
 Qui nodus ita solvitur, si intelligamus omnium creatura-
 rum esse artificem Deum. « Omnis autem creatura Dei
 » bona est³; » et omnis homo in quantum homo est;
 creatura est, non in quantum peccator est. Est ergo crea-
 tor Deus et corporis et animi humani. Neutrum horum
 malum, et neutrum odit Deus: nihil enim odit eorum
 quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore; Deus
 vero et animo et corpore, utriusque effector et conditor,
 nec odit in homine nisi peccatum. Est autem peccatum
 hominis inordinatio atque perversitas, id est, a præstan-
 tiore conditore aversio, et ad condita inferiora conversio.
 Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau
 peccatorem. Sicut dicitur de Domino: « In sua propria
 » venit, et sui eum non receperunt⁴. » Quibus item ipse
 dicit: « Vos propterea non auditis, quia non estis ex
 » Deo⁵. » Quomodo sui, quomodo non ex Deo? Nisi quia
 illud dictum est de hominibus, quos ipse Dominus fece-
 rat; illud de peccatoribus, quos ipse Dominus arguebat:
 iidem tamen ipsi et homines et peccatores; sed homines

¹ Sap. VI, 7. — ² Malach. II, 16. — ³ 1 Tim. XII, 31. — ⁴ Joan. I, 11. —
⁵ Id. VIII, 47.

Dei conditione, peccatores propria voluntate. Quod ergo Jâcob dilexit, numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo, non culpam quam debebat, sed gratiam quam donabat. Nam et Christus pro impiis mortuus est¹; non tamen ut impij permanerent, sed ut justificati ab impietate converterentur, credentes in eum qui justificat impium². Odit enim Deus impietatem. Itaque in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per justificationem, quemadmodum ipse judicat esse faciendum illis judiciis inscrutabilibus. Et quod ex numero impiorum, quos non justificat, facit vasa in contumeliam, non hoc in eis odit quod facit: quippe in quantum impij sunt execrabiles sunt; in quantum autem vasa fiunt, ad aliquem usum fiunt, ut per eorum ordinatas pœnas vasa quæ fiunt in honorem proficiant. Non itaque odit Deus, nec in quantum homines sunt, nec in quantum vasa sunt, id est, nec quod in eis facit creando, nec quod in eis facit ordinando: nihil enim odit eorum quæ fecit. Sed tamen quod vasa eos facit perditionis, ad usum correctionis aliorum facit. Odit enim in eis impietatem; quam ipse non fecit. Sicut enim judex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum; illud enim fur, hoc judex facit: ita Deus quod ex conspersione impiorum facit vasa perditionis, non odit quod facit, id est, opus ordinationis suæ in pœna debita pereuntium, in qua occasionem salutis illi quorum miseretur, inveniant. Sic Pharaoni dictum est: « Ad hoc te excitavi, ut ostendam » in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum » in universa terra³. » Hæc demonstratio potentiæ Dei, et annuntiatio nominis ejus in universa terra prodest eis ut timeant, et vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit. Sic consequenter dicit: « Si autem volens Deus os-

¹ Rom. v, 6. — ² Id. iv, 5. — ³ Id. ix, 17, et Exod. ix, 16.

» tendere iram, et demonstrare potentiam suam; attulit » in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: » subauditur, « Tu quis es, qui respondeas » Deo¹? » ut recurrente sententia ad verba supericra, iste sit sensus: Si volens Deus ostendere iram, attulit vasa iræ; tu quis es, qui respondeas Deo? « Non autem solum » volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam » attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in » perditionem; » sed etiam quod sequitur, « ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. » Quid enim prodest vasis perfectis in perditionem, quod ea patienter Deus sustinet, ut ordinate disperdat, utaturque illis ad instrumentum salutis aliorum, quorum miseretur? Sed illis utique prodest, ad quorum salutem istis sic utitur; ut sicut scriptum est; justus manus lavet in sanguine peccatoris², id est, mundetur ab operibus malis per timorem Dei, cum videt supplicia peccatorum. Quod ergo « volens ostendere iram attulit vasa iræ, » valet ad utilem aliis præstandum timorem, « et ut notas faceret » divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. » Etenim obduratio illa impiorum utrumque demonstrat, et quid timendum sit, ut quisque pietate convertatur ad Deum; et quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna quid aliis donet ostendit. Si autem illa, quam de aliis exigit, non est justa pœna; nihil donat aliis, a quibus eam non exigit. Quia vero illa justa est, et nulla est iniquitas apud vindicantem Deum, quis sufficiat agere gratias ei, qui hoc remittit, quod si vellet exigere, nemo se recte diceret non debere?

19^o. « Quos et vocavit nos, inquit, non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus³: » id est, vasa misericor-

¹ Rom. ix, 22. — ² Psal. lviij, 11. — ³ Rom. ix, 24.

diæ quæ præparavit in gloriam. Non enim omnes Judæos, sed ex Judæis : nec omnes omnino homines Gentium, sed ex Gentibus. Una est enim ex Adam massa peccatorum et impiorum, in qua et Judæi et Gentes remota gratia Dei ad unam pertinent conspersionem. Si enim figulus luti ex eadem conspersione facit aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam; manifestum est autem quod et ex Judæis sunt alia vasa in honorem alia in contumeliam, sicut ex Gentibus : sequitur ut ad unam conspersionem omnes pertinere intelligantur. Deinde incipit reddere attestations Prophetæ singulis generibus converso ordine. Prius enim dixit « ex Judæis, posterius ex Gentibus : » prius autem reddit testimonium pro Gentibus, deinde pro Judæis. « Etenim sicut Osee dicit, Vocabo non plebem meam, » plebem meam, et non dilectam, dilectam : et erit in » loco ubi dictum est, Non populus meus vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi¹ : » de Gentibus intelligitur dictum, quia non habebant destinatum unum sacrificiorum locum, sicut Judæi in Jerusalem. Missi sunt autem ad Gentes Apostoli, ut in loco suo quique crederent, et ubicumque credidissent, ibi sacrificium laudis offerrent, quibus dedit potestatem filios Dei fieri². « Isaias autem, inquit, clamavit pro Israël³. » Ne rursus omnes Israëlitæ in perditionem isse credantur, docet et inde facta alia vasa in honorem, alia in contumeliam. « Si fuerit, inquit, numerus » filiorum Israël quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient. » Cætera ergo turba, vasa perfecta ad perditionem. « Verbum enim consummans et brevians, inquit, faciet Dominus super terram⁴ : » id est, ut compendio fidei per gratiam salvos faciat credentes, non per innumerabiles observationes, quibus illa multitudo serviliter one-

¹ Rom. ix, 25 et 26, et Osee, ii, 23, et i, 10. — ² Joan. i, 1. — ³ Rom. ix, 27. — ⁴ Isai. x, 22.

rata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans et brevians fecit super terram, dicens; « Jugum meum leve est, et sarcina mea levis est¹. » Quod et paulo post hic dicitur. « Prope te est verbum in ore » tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo quia Dominus est » Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem². » Hoc est verbum consummans et brevians, quod fecit Deus super terram, qua consummatione atque breviatione latro justificatus est, qui defixus in cruce omnibus membris, et habens libera hæc duo, corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem; statimque audire meruit, « Hodie mecum eris in paradiso³. » Consequerentur enim bona opera ejus si percepta gratia diu inter homines viveret. Sed tamen non ea præcesserant, ut eandem gratiam mereretur, ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradysum translatus. « Et sicut prædixit, inquit, Isaias, Nisi » Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma » facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuisset⁴. » Quod hic ait, « reliquisset nobis semen; hoc ibi, reliquiæ » salvæ fient. » Cæteri autem tanquam perditionis vasa debito supplicio perierunt. Et ut non omnes perissent sicut in Sodoma et Gomorrha, non meritum eorum fecit; sed gratia Dei relinquentis semen, unde alia messis toto orbe consurgeret. Hoc et paulo post : « Sic ergo, inquit, » et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ » factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo quærebat Israël, hoc non est consecutus, electio autem conse-

¹ Matth. xii, 30. — ² Rom. x, 8 et seqq. — ³ Luc. xxiii, 43. — ⁴ Rom. ix, 29, et Isai. i, 9.

» cuta est, cæteri vero excæcati sunt¹. » Consecuta sunt vasa misericordiæ, excæcata sunt vasa iræ : ex eadem tamen conspersione, sicut in plenitudine Gentium.

20^o. Est locus quidam Scripturæ ad rem, de qua nunc agimus, maxime necessarius, eadem quæ tractata sunt, mira contestatione confirmans, in eo libro qui ab aliis Jesus Sirach, ab aliis Ecclesiasticus dicitur, in quo ita scriptum est : Et omnes homines de solo, et ex terra Adam creatus » est. In multitudine diciplinæ Dominus separavit eos, et » immutavit vias eorum. Et ex ipsis benedixit et exaltavit, » et ex his sanctificavit et ad se applicavit, et ex ipsis ma- » ledixit et humiliavit : et convertit illos ad dissensionem » illorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare » illud et disponere, omnes viæ ejus secundum dispositio- » nem ejus ; sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet » illi secundum judicium suum. Contrarium malo bonum » est, et contra mortem vita est ; sic et contra virum jus- » tum peccator. Et sic intueri in omnia opera Altissimi : » duo, duo ; unum contra unum². » Primo hic commen- data est disciplina Dei : « In multitudine, inquit, disci- » plinæ Dominus separavit eos : » unde, nisi a beatitudine paradisi ? « Et immutavit vias eorum, » ut jam tanquam mortales viverent. Tunc facta est una massa omnium, veniens de traduce peccati et de pœna mortalitatis, quamvis Deo formante et creante quæ bona sunt. In omnibus est enim species et compago corporis in tanta membro- rum concordia, ut inde Apostolus ad charitatem obtinen- dam similitudinem duceret³. In omnibus est etiam spiri- tus vitalis terrena membra vivificans, omnisque natura hominis dominatu animæ et famulatu corporis conditione mirabili temperata : sed concupiscentia carnalis de pec- cati pœna jam regnans, universum genus humanum tan-

¹ Isai. xi, 5 et seqq. — ² Eccli. xxxiii, 10-16. — ³ 1 Cor. xii, 12.

quam totam et unam conspersionem originali reatu in om- nia permanente confuderat. Et tamen sequitur, « Ex ipsis » benedixit et exaltavit, et ex ipsis sanctificavit et ad se ap- » plicavit, et ex ipsis maledixit et humiliavit, et convertit » illos in dissensionem ipsorum. » Tanquam Apostolo dicente, « An non habet potestatem figulus luti ex eadem » conspersione facere aliud vas in honorem, aliud in con- » tumeliam ? » Ideoque illud quod contextitur, nec ab ipsa similitudine vacat : Quasi lutum, inquit, figuli in manu » ipsius plasmare illud et disponere, omnes viæ ejus secun- » dum dispositionem ejus ; sic homo in manu illius qui se » fecit. » Sed quia dicit Apostolus, « Numquid iniquitas » apud Deum ? » vide et hic quid adjungat : » Reddet illi, » inquit, secundum judicium suum. » Sed cum damnatis justa tribuuntur supplicia ; tamen quia hoc ipsum in usum convertitur, quo illi proficiant quibus præbetur misericor- dia, attende reliqua : « Contrarium, inquit, malo bonum » est, et contra mortem vita : sic et contra virum justum » peccator. Et sic intueri in omnia opera Altissimi : duo, » duo ; unum contra unum : » utique ut ex deteriorum comparatione emineant proficiantque meliora. Quæ tamen quoniam per gratiam meliora sunt, tanquam diceret, « Reliquiæ salvæ fient², » sequitur et dicit ex persona reli- quiarum, « Et ego novissimus vigilavi, et quasi qui race- » matur post vindemiatores. » Et unde probat, quia non ex meritis suis, sed ex misericordia Dei ? « In benedictione, » inquit, Domini et ipse speravi, et quasi qui vindemiat, » replevi torcular³. » Quamvis enim novissimus vigilave- rit ; tamen quia erunt, ut dictum est, novissimi primi, in benedictione Domini sperans ex reliquiis Israël racematus populus implevit torcular ex ubertate vindemiæ, quæ toto orbe terrarum provenit.

¹ Rom. ix, 21. — ² Ibid. 27. — ³ Matth. xx, 16.

21^o. Nulla igitur intentio tenetur Apostoli, et omnium justificatorum per quos nobis intellectus gratiæ demonstratus est, nisi ut qui gloriatur, in Domino gloriatur¹. Quis enim discutiet opera Domini, ex eadem conspersione unum damnantis, alterum justificantis? Liberum voluntatis arbitrium plurimum valet; imo vero, est quidem, sed in venundatis sub peccato quid valet? « Caro, inquit, » concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis². » Præcipitur ut recte vivamus, hac utique mercede proposita, ut in æternum beate vivere mereamur: sed quis potest recte vivere et bene operari, nisi justificatus ex fide³? Præcipitur ut credamus, ut dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus: sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur. Petere jubemur ut accipiamus³, et quæ rere ut inveniamus, et pulsare ut aperiatur nobis⁴. Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si vel hoc dolemus, jam oramus. Quid ergo aliud ostendit nobis, nisi quia et petere et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus, jubet? « Igitur non volentis neque cur-

¹ 2 Cor. x, 17. — ² Rom. vii, 14. — ³ Gal. v, 17. — ⁴ Matth. vii, 7.

» rentis, sed miserentis est Dei¹: » quandoquidem nec velle nec currere, nisi eo movente atque excitante, poterimus.

22^o. Quod si electio hic fit aliqua, ut sic intelligamus quod dictum est, « Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ » factæ sunt¹; » non ut justificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur quiificentur: certe ita occulta est hæc electio, ut in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit; aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus, etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus, (Nam nullis quis potest?) et acer ingenio, et liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, et stulta mundi, ut confundat sapientes, ut eum intuens et pudore correctus, ego irrideam multos et præ quibusdam peccatoribus castiores et præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne advertimus multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorundam hæreticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, et tamen vel hæreticos vel paganos, vel etiam in vera fide et vera Ecclesia sic tepidos, ut eos miremur meretricum et histrionum subito conversorum, non solum patientia et temperantia, sed etiam fide, spe, charitate superari? Restat ergo ut voluntates eligantur. Sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurre-

¹ Rom. xi, 5. — ² 1 Cor. i, 27.

rit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest : hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi invadere, trahere, vincere, necare Christianos¹? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cæca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est. Et tamen quid dicemus? « Numquid iniquitas est apud Deum², » exigentem a quo placet, donantem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. « Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. » Quare tamen huic ita, et huic non ita? « O homo, tu quis es? » Debitum si non reddis, habes quod gratuleris : si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantum (et si capere non valemus) quoniam qui universam creaturam et spiritalem et corporalem fecit et condidit, omnia in numero et pondere et mensura disponit³. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus⁴. Dicamus alleluia et collaudemus canticum, et non dicamus, Quid hoc? vel quid hoc? Omnia enim in tempore suo creata sunt⁵.

¹ Act. viii, 3 et ix, 1. — ² Rom. ix, 14. — ³ Sap. xi, 21. — ⁴ Rom. xi, 33. — ⁵ Eccli. xxix, 19 et 26.

LIBER II.

In cæteras quæstiones quinque vel sex a Simpliciano propositas ex libris Regum.

PRÆFATIO.

Satis jam de Apostolo me ad proposita respondisse existimo : nunc ad ea quæ de libris Regnorum requisisti aliud volumen aggrediar ; quæ, sicut multa et prope omnia veterum librorum, figuratiora sunt, et mysteriorum velaminibus involuta. Quamvis autem ex eo quod transierimus ad Christum, auferatur velamen¹ : tamen videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Velamen quippe omni modo intercludit aspectum ; ænigma vero, tanquam per speculum, sicut idem Apostolus ait, « Videmus nunc per speculum in ænigmate², » nec evidentissimam detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem. Aggrediar ergo et ista, duce Domino, tuis potius sublevatus orationibus, quam jussionibus aggravatus. Præsertim quia ex epistola tua non hoc te intellexi quærere, quid hæc in prophetia significant : in quo re vera obtemperare mihi esset difficillimum ; quia et de tota eorundem contextione librorum ducenda esset intentio, et si esset promptior intellectus, magnitudo tamen operis impediret ; quæ si subeunda est, prolixius otium tem-

¹ 2 Cor. iii, 16. — ² 1 Cor. xiii, 12.

rit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest : hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi invadere, trahere, vincire, necare Christianos¹? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cæca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est. Et tamen quid dicemus? « Numquid iniquitas est apud Deum², » exigentem a quo placet, donantem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. « Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. » Quare tamen huic ita, et huic non ita? « O homo, tu quis es? » Debitum si non reddis, habes quod gratuleris : si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantum (et si capere non valemus) quoniam qui universam creaturam et spiritalem et corporalem fecit et condidit, omnia in numero et pondere et mensura disponit³. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus⁴. Dicamus alleluia et collaudemus canticum, et non dicamus, Quid hoc? vel quid hoc? Omnia enim in tempore suo creata sunt⁵.

¹ Act. viii, 3 et ix, 1. — ² Rom. ix, 14. — ³ Sap. xi, 21. — ⁴ Rom. xi, 33. — ⁵ Eccli. xxix, 19 et 26.

LIBER II.

In cæteras quæstiones quinque vel sex a Simpliciano propositas ex libris Regum.

PRÆFATIO.

Satis jam de Apostolo me ad proposita respondisse existimo : nunc ad ea quæ de libris Regnorum requisisti aliud volumen aggrediar ; quæ, sicut multa et prope omnia veterum librorum, figuratiora sunt, et mysteriorum velaminibus involuta. Quamvis autem ex eo quod transierimus ad Christum, auferatur velamen¹ : tamen videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Velamen quippe omni modo intercludit aspectum ; ænigma vero, tanquam per speculum, sicut idem Apostolus ait, « Videmus nunc per speculum in ænigmate², » nec evidentissimam detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem. Aggrediar ergo et ista, duce Domino, tuis potius sublevatus orationibus, quam jussionibus aggravatus. Præsertim quia ex epistola tua non hoc te intellexi quærere, quid hæc in prophetia significant : in quo re vera obtemperare mihi esset difficillimum ; quia et de tota eorundem contextione librorum ducenda esset intentio, et si esset promptior intellectus, magnitudo tamen operis impediret ; quæ si subeunda est, prolixius otium tem-

¹ 2 Cor. iii, 16. — ² 1 Cor. xiii, 12.

pusque flagitat : sed nunc ipsas rerum proprietates gestarum, quæ his verbis quorum a te facta commemoratio est, significantur, quomodo intelligerem nosse dignatus es et meis litteris aperiri.

QUESTIO I. — 1^o. Et primum quidem quod de primo Regnorum libro iussisti ut exponerem, quomodo dictum sit, « Et insiluit spiritus Domini in Saül¹ : » cum alibi dicat : « Et spiritus Domini malus in Saül. » Ita enim scriptum est : « Et factum est cum converteret humerum » suum, ut iret a Samuël, convertit Deus in Saül cor » aliud, et venerunt omnia signa illa die : et venit inde in » collem, et ecce chorus prophetarum in obviam illi, et » insiluit in illum spiritus Dei, et prophetavit in medio » eorum². » Prædixerat enim hæc illi Samuël, cum eum iussus unxisset. Et hoc quidem non puto habere aliquid quæstionis. « Spiritus enim ubi vult spirat³ : » et spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus. Attingit enim ubique propter suam munditiam⁴. Afficit autem non omnes eodem modo, sed alios per informationem spiritus eorundem hominum, ubi rerum demonstrantur imagines; alios per fructum⁵ mentis ad intelligentiam; alios utraque inspiratione; alios etiam nescientes. Sed per informationem spiritus duobus modis, aut per somnium, sicut non solum plerique sancti, sed et Pharaon⁶ et Nabuchodonosor⁷ rex vidit quod nemo eorum intelligere valebat, sed tamen videre uterque potuerat : aut per demonstrationem in extasi, quod nonnulli Latini stuporem interpretantur; mirum si proprie, sed vicine tamen, cum sit mentis alienatio a sensibus corporis, ut spiritus hominis divino spiritu assumptus capiendis atque intuendis imaginibus vacet; sicut Danieli demonstratum

¹ Reg. x, 10. — ² Id. xvi, 14-18. — ³ Joan iii, 8. — ⁴ Sap. vii, 24. — ⁵ Forte ductum vel proeductum. — ⁶ Gen. xli, 11. — ⁷ Dan. ii, 1, et iv, 1.

est quod non intelligebat, et Petro illud vas submissum de cælo quatuor lineis¹ : nam et ipse quid illa demonstratio figuraret postea cognovit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam uno modo, cum hæc ipsa quæ demonstrantur imaginibus quid significant et quo pertineant revelatur; quæ certior prophetia est; nam magis ipsam vocat Apostolus prophetiam² : sicut Joseph meruit intelligere, quod Pharaon non nisi videre; et Daniel exponit regi, quod ille cernit et nescit. Cum vero ita mens afficitur, ut non rerum imagines conjecturali examinatione intelligat, sed res ipsas intueatur, sicut intelligitur sapientia et justitia omnisque incommutabilis et divina species, ad prophetiam de qua nunc agimus non pertinet. Utroque autem munere prophetiæ donantur hi, qui et rerum imagines in spiritu vident, et quid valeant simul intelligunt, aut certe manifestis locutionibus in ipsa demonstratione informantur, sicut in Apocalypsi quædam exponuntur. Nescientes autem afficit prophetiæ spiritus, sicut Caiphas cum esset pontifex prophetavit de Domino, quod expediret unum mori pro tota gente³, cum aliud in verbis quæ dicebat attenderet; quæ non a se ipso dicere nesciebat. Abundant in sanctis libris exempla : et res prudentiæ tuæ notissimas loquor. Non enim ista dicis ex me, sed in eis me percontando probas, et cognoscere cupiens proficientem, et corrigere paratus errantem. Hoc autem verbo, quod positum est, « Et insiluit in eum spiritus : » tanquam ex abdito divinitatis secreto repentinus significatur afflatus. Horum igitur modorum quonam potius affectum esse intelligamus Saül, satis apparet ex eo quod ibi scriptum est, « Convertit Deus in Saül cor aliud⁴. » Sic enim aliam cordis affectionem significat, quam convertendo fecit Deus ut imaginum significantium et præfi-

¹ Act. x, 11. — ² 1 Cor. xiii, 2. — ³ Joan. xi, 49. — ⁴ 1 Reg. x, 9.

gurantium capax fieret, ad prophetica divinationem.

2^o. Tantum autem distat inter prophetiam Prophetarum sicut Isaias, sicut Jeremias, et cæteri hujusmodi fuerunt, atque istam transitoriam quæ in Saül apparuit, quantum distat inter loquelam humanam, cum loquuntur homines, et cum eadem loquela propter necessarium prodigium asina locuta est, in qua sedebat Balaam propheta¹. Accepit enim hoc ad tempus illud jumentum, ut Deus quod statuerat demonstraret, non ut habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur. Aut si hoc exemplum majore differentia remotum est: multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momentum temporis affectu transitorio prophetiam, quando ille dederat, qui et asinam cum voluit loqui fecit. Magis enim distat pecus ab homine, quam homo reprobus ab electis, sed tamen hominibus. Non enim si quisquam dixerit aliquid quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existimandus est. Sic nec quisquam, si aliquando prophetaverit, jam inter prophetas numerabitur: cum et Dominus in Evangelio dicat quosdam cum gaudio verbum excipere, et radicis altitudinem non habere, sed esse temporales². Ideoque sicut consequens indicat lectio, factum est in parabolam, « Si » et Saül inter prophetas³. » Hec igitur mirari desinamus, cum in hominibus apparet divinitus aliquid, quorum vel meritum vel habitum excedit, cum forte vult Deus cujusdam significationis gratia tale aliquid demonstrari.

3^o. Si autem hoc movet, quod postea Saül malo spiritu invadente præfocabatur⁴, qui prophætiae spiritum acceperat; neque hoc mirandum est. Illud enim factum est ex dispensatione aliquid significandi, hoc ex merito vindicandi. Nec movere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc est in creatura mutabili; præsertim

¹ Num. xxii, 28. — ² Matth. xiii, 20. — ³ 1 Reg. x, 11. — ⁴ Id. xvi, 14.

eo tempore quo caro corruptibilis mortalisque portatur. An non videmus in ipso Petro, quantum indicat Evangelium, extitisse tantam confessionem, ut audire meruerit, « Beatus es, Simon Bar-Jona, quia non revelavit tibi caro » et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est¹: » et paulo post tam carnaliter eum de Domini passione sensisse, ut statim audierit, « Vade post me, Satana, scandalum mihi » es; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum². » Et fortasse aliquantò interius intelligentibus tantum valet ad visa illa mentis hæc differentia, qua Petrus primo intellexit Deo Patre revelante, quod Filius Dei esset Christus et postea ne moreretur extimuit; quantum valet ad distinguenda visa, quæ in spiritu hominis alienata mente imaginariæ fiunt, revelatio prophetiæ qua primo afflatus est Saül, et commixtio spiritus mali quo postea premebatur.

4^o. Jam vero illud, quod etiam malus appellatus est spiritus Domini, sic intelligitur, quomodo dictum est, « Domini est terra³: » tanquam creatura et in ejus posita potestate. Aut si propterea non congruit hoc locutionis exemplum, quia terra non est mala, « Omnis enim » creatura Dei bona est⁴: » illud congruat, quod ipse Saül jam reprobus et scelestus atque ingratus sancto David, persecutor etiam ejus, cum sævissimæ invidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Christus Domini dicebatur; sicut eum appellavit ipse David, cum vindicavit extinctum⁵. Sed magis arbitror malignum spiritum a quo vexabatur Saül, ideo dictum spiritum Domini, quod occulto Domini judicio Saülem vexabat. Utitur enim Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem; alio modo ad illam rem, alio ad istam. Quamvis enim inde sit quisque malignus spiritus, quia

¹ Matth. xvi, 17. — ² Ibid. 23. — ³ Psal. xxii, 1. — ⁴ 1 Tim. iv, 4. — ⁵ 2 Reg. i, 14.

mala voluntate nocere appetit : tamen nocendi potestatem non accipit nisi ab illo, sub quo sunt omnia certis et justis meritorum gradibus ordinata. Quia sicut non est mala voluntas a Deo, sic non est potestas nisi a Deo¹. Quamvis enim sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusque potestate quid possit vel facere cuiquam vel a quoquam pati. Nam et ipse Filius unicus Dei passurus ad tempus humiliter homini superbe loquenti et dicenti, quod potestatem haberet occidendi eum vel dimittendi. « Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper². » Diabolus etiam volens nocere justo viro Job, nocendi quidem voluntas diabolo erat, sed tamen a Domino Deo potestatem petebat, dicens, « Mitte manum tuam, et tange carnem » ejus³ : » quamvis hoc esset, si permitteretur, ipse facturus. Ipsam enim permissionem petebat hoc modo, et manum Domini appellabat permissam a Domino manum suam, id est, ipsam potestatem quam volebat accipere. Cui congruit illud in Evangelio, quod Dominus Discipulis ait, « Hac nocte postulavit Satanus vexare vos sicut triticum⁴. » Dictus est ergo spiritus Dei malus, hoc est, minister Dei ad faciendum in Saül, quod eum pati iudex omnipotentissimus judicabat. Quoniam spiritus ille voluntate qua malus erat, non erat Dei : creatura vero qua conditus erat, et potestate quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. Verba etiam ipsa Scripturarum ita se habent : « Et perrexit, inquit, Saül, et abiit in Ramatha, et spiritus Domini recessit a » Saül et comprehendit eum spiritus malignus a Domino, » et suffocabat eum. Et dixerunt pueri Saül ad eum : » Ecce spiritus Domini malignus suffocat te⁵. » Hoc igi-

¹ Rom. xiii, 1. — ² Joan. xix, 11. — ³ Job, ii, 5. — ⁴ Luc. xxii, 31. — ⁵ 1 Reg. xvi, 13, et seqq.

tur a pueris ejus quomodo sit dictum, « Spiritus Domini » malignus, » superiora verba indicant narrantis Scripturæ et dicentis, « Spiritus malignus a Domino. » Secundum enim hoc « Domini, quod a Domino. » Quia per se ipsum velle nocere habebat, id est, comprehendere Saül ; posse autem non habebat, nisi summa justitia sineretur. Si enim juste vindicat Deus, quemadmodum ipse dicit Apostolus, cum tradit homines in concupiscentias cordis eorum¹ ; non mirum si nihilominus juste vindicans tradit eos etiam in concupiscentias aliorum nocere volentium, sua semper incommutabili æquitate servata.

5^o. Animadvertendum sane est, cum additamento dici, « Spiritus Dei malus. » Cum autem tantummodo dicitur, spiritus Dei, etiamsi non addatur, bonus, ex hoc intelligitur bonus. Unde apparet bonum spiritum secundum substantiam, malum autem secundum ministerium dici spiritum Dei. Quanquam quæri adhuc possit, utrum cum spiritus Dei dicitur, et ex hoc ipso jam, et si nihil addatur, intelligitur bonus, ille intelligatur qui est in Trinitate consubstantialis Patri et Filio Spiritus sanctus, de quo dicitur : « Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas². » Et iterum : « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum³. » Et illud : « Sic et quæ Dei sunt ; nemo scit nisi Spiritus Dei⁴. » Et multis locis hoc modo dicitur Spiritus Dei, et intelligitur Spiritus sanctus, etiam si non addatur : quoniam ea quæ circumstant, satis indicant de quo dicatur ; ita ut aliquando nec Dei addatur, et intelligatur tamen ille Spiritus Dei principaliter sanctus. Nam quem alium commemorat, ubi dicit, « Ipse Spiritus testimonium dat spiritui » nostro, quia sumus filii Dei⁵ ? » Et, « Ipse Spiritus ad » juvat infirmitatem nostram⁶. » Et, « Hæc omnia opera-

¹ Rom. 1, 24. — ² 2 Cor. iii, 17. — ³ 1 Cor. ii, 10. — ⁴ Ibid. 11. — ⁵ Rom. viii, 16. — ⁶ Ibid. 26, et 1 Cor. xii, 11.

» tur unus atque idem Spiritus, dividens singula unicuique prout vult. » Et, « Divisiones donationum sunt, » idem autem Spiritus¹. » In his enim omnibus sententiis, nec Dei, nec sanctus est additum, et tamen ipse intelligitur. Sed nescio utrum manifesto aliquo exemplo probari possit, alicubi spiritum Dei dictum sine additamento, ubi Spiritus ille sanctus non significetur, sed aliquis quamvis bonus, creatus tamen et conditus. Quæ proferruntur enim dubia sunt, et indigent clariore documento: sicut illud quod scriptum est, « Spiritus Dei superferebatur super aquam². » Nam et ibi Spiritum sanctum accipere quid impediatur, non invenio³. Cum enim aquarum nomine illa materies insinuetur informis, quæ de nihilo facta est, unde omnia fierent; quid prohibet intelligere Spiritum sanctum conditoris, quod superferebatur huic materię, non locorum gradibus intervallisque spatio, quod nequaquam de ulla re incorporea recte dicitur, sed excellentia et eminentia dominantis super omnia voluntatis, ut omnia conderentur? Præsertim cum ea locutio, sicut illarum Scripturarum mos est, etiam propheticum quiddam sonet, mysteriumque futuri baptismatis ex aqua et Spiritu sancto nascituri populi præfiguret. Non ergo cogit quod dictum est, Et Spiritus Dei superferebatur super aquam, illum intelligere spiritum, sicut nonnulli volunt, quo mundi moles universa ista corporea velut animatur, ad ministerium quorumque gignentium et in sua specie continendarum corporalium creaturarum. Creatura est enim quidquid est tale. Illud etiam quod scriptum est, « Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum⁴, » non desunt qui eundem spiritum velint accipi, invisibilem scilicet creaturam cuncta visibilia uni-

² Cor. xii, 4. — ³ Gen. i, 2. — ⁴ Vide lib. i de Gen. ad Litt. cap. 7. — ⁵ Sap. i, 7.

versali quadam conspiratione vegetantem atque continentem. Sed neque hic video quid impediatur intelligere Spiritum sanctum, cum ipse Deus dicat apud Prophetam, « Cælum et terram ego impleo¹. » Non enim sine suo Spiritu sancto implet Deus cælum et terram. Quid ergo mirum si de Spiritu sancto ejus dictum est, Replevit orbem terrarum? Aliter enim replet sanctificando, sicut de Stephano dicitur, « Repletus est Spiritu sancto²; » et cæteris talibus: aliter ergo replet sanctificante gratia, sicut quosdam sanctos; aliter attestante atque ordinante præsentia, sicut omnia. Quamobrem nescio utrum certo aliquo documento Scripturarum possit ostendi cum sine ullo additamento dicitur spiritus Dei vel spiritus Domini, aliud aliquid significari quam Spiritum sanctum. Sed etsi est forte quod in præsentia non occurrat, illud certe arbitror non temere dici, quoties in sanctis eloquiis commemoratur spiritus Dei, neque additur aliquid, sive ille Patri et Filio consubstantialis Spiritus sanctus, sive aliqua creatura invisibilis intelligatur, malum tamen non posse intelligi, nisi addatur etiam malus. Malo enim quia bene utitur Deus ad ministerium iudicii sui, appellatur etiam ipse spiritus Dei, ad vindictam malorum et disciplinam vel probationem bonorum.

6^o. Nec illud movere jam nos debet, quod postea scriptum est, eundem Saulem spiritu Dei super se facto prophetasse, quomodo post bonum spiritum spiritus malus, et rursum post malum bonus³. Hoc enim fit, non mutabilitate Spiritus sancti, qui est incommutabilis cum Patre et Filio, sed mutabilitate animi humani, Deo cuncta distribuyente, sive malis pro merito damnationis vel emendationis, sive bonis pro largitate gratiæ suæ. Quamquam videri possit etiam idem fuisse Dei spiritus semper in Saül; malus autem illi, quod ejus sanctitatis ca-

¹ Jerem. xxiii, 24. — ² Act. vi, 5, et vii, 55. — ³ 2 Reg. xiv, 23.

pax non esset. Sed non recte hoc videtur. Tutior est enim ille sensus et verior, ut pro mutabilitate affectionis humanæ Spiritus Dei bonus bene afficiat, vel ad prophetiam, vel ad opus quodlibet aliud in munere divino; afficiat autem malus male, qui propter ministerium divinæ æquitatis omnia distribuentis et omnibus recte utentis dicitur et ipse spiritus Dei: præsertim quia dictum est, « Recessit ab eo spiritus Dei, et comprehendit eum spiritus malignus a Domino¹. » Nullo enim pacto potest idem videri recessisse et apprehendisse. Porro autem in nonnullis exemplaribus, et eis maxime quæ de lingua Hebræa ad verbum videntur expressa, invenitur Spiritus Dei sine additamento positus; et intelligitur malus ex eo quod arripiebat Saül, et reficiebat eum David tangendo citharam. Manifestum est tamen, ideo non additum malus, quia paulo superius jam dictum erat, et de vicinitate Scripturæ subaudiri et intelligi poterat. Ita enim in hujusmodi exemplaribus legitur: « Igitur quodcumque spiritus Domini² mini arripiebat Saül, tollebat David citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saül, et levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus³. » Sive ergo quod hic non est dictum, spiritus Dei: sed tantummodo spiritus malus: quod ibi minus dictum erat, tanquam redditum apparet, sive quia superius ita positum erat, « Et dixerunt servi Saül ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te; jubeat dominus noster, et servi tui qui coram te sunt quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua, et levius feras³: » non opus erat, cum rursum diceretur quodcumque spiritus Dei arripiebat Saül, addere malum, quia notum erat de quo tunc diceretur.

7^o. Verumtamen illa quæstio major est, et non transi-

¹ Reg. xvi, 14. — ² Ibid. 23. — ³ Ibid. 15.

toria animi intentione rimanda, quod cum Saül persequeretur David innocentem, plenus invidia et livore vesanus, « Factus est super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat¹. » Non enim potest hic nisi spiritus bonus intelligi, per quem sancti Prophetæ futurarum rerum imagines et visa cernebant; non ex eo tantum quia dictum est: « Et prophetabat: » nam in exemplaribus quæ sunt ex Hebræo, hoc quoque invenitur de spiritu malo dictum ita: « Post diem autem alterum invasit spiritus Dei malus Saül, et prophetabat in medio domus suæ². » Et in aliis divinarum Scripturarum locis sæpe invenitur, quod prophetia non tantum bona, sed et mala dicatur: et prophetæ dicti sunt Baalim, et exprobratum est quibusdam quia prophetabant in Baal³. Non ergo necesse est intelligi propterea bonum spiritum, qui factus est super Saül postea, quia dictum est: « Et ambulabat ingrediens, et prophetabat: » sed quia sine additamento positum est, « Et factus etiam est super eum Spiritus Dei. » Non enim sicut in illo loco dictum erat supra: « Spiritus Dei malus; » ut ex hoc posset etiam in consequentibus subaudiri: quin imo superiora magis magisque attestantur illum spiritum Dei bonum fuisse et vere propheticum. David enim erat cum Samuële, et misit Saül nuntios qui apprehenderent David⁴. Quando autem Samuël erat inter prophetas et cœtum prophetarum, qui illo tempore prophetabant, nuntii qui missi sunt accepto eodem spiritu prophetaverunt, missisque aliis hoc contigit, et tertiis nihilominus: postea cum et ipse Saül venisset, « Factus est etiam super eum Spiritus Dei, et ambulabat ingrediens, et prophetabat. » Cum enim dicitur: « Factus est etiam super ipsos Spiritus Dei, et pro-

¹ 1 Reg. xix, 23. — ² Id. xviii, 10. — ³ 3 Reg. xviii, 16, 22, 25 et 40. — ⁴ 1 Reg. xix, 20.

» phetabant et ipsi; » idem utique erat spiritus, qui erat in prophetis, inter quos et Samuël inventus est: ex hoc itaque necesse est intelligi illum spiritum bonum. Atque ideo quæstio diligenter discutienda est, quomodo et illi cum missi essent ad tenendum hominem et ad necem adducendum, tali spiritu affici meruerunt, et Saül ipse qui miserat, veniens et ipse, et sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit illum spiritum, et prophetare.

8^o. Hic nimirum occurrit illud, quod apostolus Paulus apertissime exponit, supereminentem viam demonstrans: « Si linguis hominum loquar, inquit, et Angelorum, » charitatem autem non habeam, factus sum velut ærumentum sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero » prophetiam, et sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes trans- » feram, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si » distribuero omnem substantiam meam, et si tradidero » corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest¹. » Quo in loco manifestum est eum munera illa commemorasse, quæ Spiritus sancti divisionibus dantur, sicut superius dicit: « Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem; alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo » scientiæ secundum eundem Spiritum; alteri autem fides » in eodem Spiritu; alii donatio curationum in uno » Spiritu; alii operationes virtutum, alii prophetia, alii » dijudicatio spirituum, alteri genera linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, » videns propria unicuique prout vult². » Satis ergo apparet inter dona Spiritus sancti esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, et charitatem non habeat, nihil

¹ 1 Cor. xiii, 7 et seqq. — ² Id. xii, 7 et seqq.

est. Ex quo intelligitur fieri posse, ut quidam etiam indigni vita æterna regnoque cœlorum, aspergantur tamen quibusdam Spiritus sancti muneribus non habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut jam demonstratum est, non perducit ad regnum Dei: charitas vero sine prophetia utique perducit. Cum enim loquens de membris Christi ait, « Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ¹? » indubitanter ostendit etiam eum qui prophetiam non habet, posse in membris Christi numerari: ubi quem locum haberet, si charitatem, sine qua homo nihil est, non haberet? Nullo autem modo ita diceret, quando de membris agebat quibus Christi corpus impletur, Numquid omnes habent charitatem? quemadmodum dixit, Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes virtutes? numquid omnes dona habent curationum? et cætera hujusmodi.

9^o. Sed dicit aliquis, posse quidem fieri ut prophetiam quisque non habeat, et tamen habeat charitatem, atque ideo Christi membris annumeratus inhæreat: sed fieri non posse, ut prophetiam habeat, et non habeat charitatem; nihil enim est homo habens prophetiam sine charitate. Ita fortasse, quemadmodum possumus dicere, nihil esse hominem habentem animam sine mente: non quia potest inveniri homo, qui mentem non habeat habens animam; sed quia nihil esset, si inveniri posset. Sic etiam dici potest, Si corpus figuram habeat, colorem non habeat, videri non potest: non quia est corpus cui desit color; sed quia si esset, cerni non posset. Ita fortasse dictum est, quod si quis habeat prophetiam, et charitatem non habeat, nihil est: non quia potest in quoquam esse prophetia sine charitate; sed quia si esset, prodesse non

¹ 1 Cor. xii, 29.

posset. Opus est igitur ad solvendam istam quæstionem, ut ostendamus aliquem reprobum hoc donum habuisse prophetiæ: quod si neminem inveniremus, hoc iste ipse Saül satis ostenderet. Sed tamen ille etiam Balaam reprobus apparet¹; non enim eum tacet Scriptura divino iudicio esse damnatum: et tamen prophetiam habebat; et quia charitas ei deerat, inerat voluntas maledicendi populo Israël, quam hostis pretio comparaverat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat; dono tamen illo prophetandi, quo aspergebatur, benedicebat invitus. Nec verba illa parum attestantur huic sententiæ, quæ in Evangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die, « Domine, Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus, et in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus. » Quibus tamen dicturus est, « Non novi vos, recedite a me operarii iniquitatis². » Non enim eos mentientes putamus ista dicturos in illo iudicio, ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam vocem talium legimus, dicentium, Diliximus te. Poterunt ergo dicere, In nomine tuo prophetavimus, cum sint improbi et reprobi: non autem poterunt dicere, Dilectionem quam mandasti, tenuimus. Nam si dicent, non eis respondebitur, « Non novi vos. In hoc enim cognoscetur, » inquit, quia discipuli mei estis, si vos invicem diligatis³. »

10^o. Exemplum itaque hujus Saül resistit superbis nonnullis hæreticis, qui aliquid boni de muneribus sancti Spiritus regant posse dari eis qui ad sortem sanctorum non pertinent: cum eis dicimus, habere illos posse sacramentum baptismi, quod cum ad Ecclesiam catholicam veniunt, non est in eis ullo modo violandum, aut quasi non habeant tradendum; sed tamen eos non ideo saluti debere

¹ Num. xxii, 5 et 24. — ² Matth. vii, 22, et seqq. — ³ Joan. xiii, 35.

confidere, quia non improbamus quod illos accepisse concedimus; sed oportere cognoscere unitatis societatem vinculo charitatis ineundam, sine qua omnino quidquid habere potuerint, quamvis per se sanctum ac venerandum, ipsi tamen nihil sunt, tanto indigniores effecti vitæ æternæ præmio, quanto illis donis non bene uti sunt, quæ in hac vita, quæ transitoria est, acceperunt. Non autem bene utitur, nisi charitas; et charitas omnia tolerat, atque ideo non scindit unitatem, cujus ipsa est fortissimum vinculum¹. Non enim et servus ille non accipit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum quam munus aliquod utique divinum: sed, « Qui habet, dabitur ei, qui autem non habet, et quod habet auferetur » ab eo². » Quod non auferri non potest; sed aliud non habet, ut merito auferatur quod habet: non habet charitatem utendi, ut auferatur quidquid aliud habet, quod sine charitate non prodest.

11^o. Non igitur mirum est, regem Saül et eo tempore quo primum unctus est, accepisse spiritum prophetandi, et postea cum esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo spiritu Domini arreptum esse maligno spiritu a Domino: qui etiam spiritus Domini appellatus est propter ministerium; quia omnibus etiam spiritibus malis bene utitur Dominus, vel ad damnationem quorundam, vel ad emendationem, vel ad probationem: et quamvis non sit malignitas Domino, non est tamen potestas nisi a Deo³. Dictusque est etiam sopor Domini, qui occupaverat milites ejusdem Saül, cum David hastam et scyphum abstulisset a capite dormientis⁴: non quia tunc sopor in Domino erat, ut ipse dormiret; sed quia ille sopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu

¹ I Cor. xiii, 7. — ² Matth. xxiii, 29. — ³ Rom. xiii, 1. — ⁴ I Reg. xxvi, 12.

Dei erat infusus, ne David servi ejus in eo loco præsencia sentiretur. Neque illud mirum est, rursus eundem Saül accepisse spiritum prophetiæ, cum persequeretur justum, et eum comprehensurus et necaturus venisset in locum, ubi erat congregatio prophetarum¹. Sic enim satis demonstratum est, neminem de tali munere jam securum esse debere, tanquam sit acceptissimus Deo, si non habeat charitatem: quandoquidem illud donum et Saül dari potuit, propter arcanum quidem alicujus sacramenti; sed tamen dari potuit reprobato, et invidio, et ingrato, et reddenti mala pro bonis, et ne post ipsam quidem acceptionem spiritus correcto in melius atque mutato.

QUÆSTIO II. — 1^o. Age jam videamus quomodo dictum sit, « Pœnitet me quod constituerim regem Saül²: » Quæris enim, non utique in talium verborum intellectu rudis, sed rudimenta explorans mea paterno studio et benigna cura, quomodo pœniteat aliquid Deum, in quo sit omnis præsencia. Ego vero, cum hoc de Deo dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer, si aliquid dignum inveniretur quod de illo diceretur. Cum vero verba omnia, quibus humana colloquia conseruntur, illius sempiterna virtus et divinitas mirabiliter atque incunctanter excedat, quidquid de illo humaniter dicitur, quod etiam hominibus aspernabile videatur, ipsa humana admonetur infirmitas, etiam illa quæ congruenter in Scripturis sanctis de Deo dicta existimat, humanæ capacitati aptiora esse quam divinæ sublimitati; ac per hoc etiam ipsa transcendenda esse sereniore intellectu, sicut ista qualicumque transcensa sunt.

2^o. Quis est enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta præsente, pœnitentiam esse non posse? Et certe tamen hæc duo verba sunt, pœnitentia et præsencia,

¹ 1 Reg. xix, 24. — ² Id. xv, 11.

quorum quia unum congruere credimus Deo, id est, præsencia, negamus in eo esse pœnitentiam. Cum vero alius liquidiore consideratione ista pertractans, quæsierit quemadmodum vel ipsa præsencia Deo congruat, et invenerit hujus etiam verbi notionem illius ineffabili divinitate longe lateque superari, non miratur utrumque de illo propter homines dici potuisse, de quo utrumque propter ipsum incongrue diceretur. Quid est enim præsencia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ sed præsentes; ac per hoc non jam præsencia, sed tantum scientia dici potest. Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita et apud eum nondum sunt quæ futura sunt, sed ea prævenit sciendo; his ergo ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præsencia, altero vero secundum præsens scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei: quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest quæ ventura prænoscit nosse cum venerint, nisi bis innotescant, et prænoscendo antequam sint, et cognoscendo cum jam sunt. Ita fit, ut (quod longe a veritate seclusum est) temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei, cum temporalia quæ præsentiuntur etiam præsencia sentiuntur, quæ non sentiebantur antequam fierent, sed tantummodo præsenciebantur. Si vero etiam cum venerint, quæ præsenciebantur esse ventura, nihil novi accedit scientiæ Dei, sed manebit illa præsencia sicut erat etiam priusquam venirent quæ præsenciebantur, quomodo jam præsencia dicitur, quando non est rerum futurarum? Jam enim præsencia sunt, quæ futura cernebat, et paulo post erunt præterita. Præteritarum autem rerum, sicut præsens, nullo modo potest dici præsencia. Reditur ergo ad id, ut fiat rebus jam præsens scientia, quæ

eisdem rebus futuris erat præscientia : et cum ea quæ præscientia erat prius, postea scientia fiat in Deo, admitit mutabilitatem, et temporalis est; cum sit Deus, qui vere summeque est, nec ulla ex parte mutabilis, nec ullo motu novitio temporalis. Placet ergo ut non dicamus præscientiam Dei, sed tantummodo scientiam : quæramus et hoc quomodo. Non enim scientiam solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoria retinemus; cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, ut id cum volumus recolamus. Quod si ita in Deo est, ut possit proprie dici, intelligit et intellexit, sentit et sensit; admittit tempus, et subrepat nihilominus illa mutabilitas, quæ longe a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus, et præseit Deus ineffabili modo : sic eum et pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque tamen scientia vocatur : et hæc quidem humana talis est, ut dicat de illa Apostolus etiam, « Scientia destruetur¹ : » quod nullo modo recte de scientia Dei dici potest. Sic et ira hominis turbida est et non sine cruciata animi : ira vero Dei, de qua dicitur in Evangelio, « Sed ira Dei manet super eum² : » et Apostolus, « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem³; » illo in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam, unde etiam in Latina lingua nomen accepit. Nam inde est etiam, quod non solum gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus hortatur Apostolus⁴. Quis autem sano capite dixerit, ulla miseria tangi Deum? quem tamen ubique Scriptura misericordem esse testatur. Ita zelum humanum non sine peste livoris intelligimus : zelantem vero

¹ 1 Cor. xiii, 8. — ² Joan. iii, 36. — ³ Rom. 1, 18. — ⁴ Id. xii, 15.

Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.

3^o. Longum est percurrere cætera, et sunt innumeralia, quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari, quibus humana, cum incomparabili diversitate sejuncta sint; nec tamen frustra eadem sunt rebus utriusque indita vocabula, nisi quia hæc cognita quæ in quotidiana consuetudine versantur, et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimitia præbent viam. Cum enim dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus; unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam : cum ergo hæc cuncta detraxero¹, et reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta lustrantis² : imo non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero; insinuat mihi utcumque scientia Dei : quod tamen nomen, ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune. Quanquam et in ipsis hominibus solet discerni a sapientia scientia, ut etiam Apostolus dicit : « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum³ : » in Deo autem nimirum non sunt hæc duo, sed unum. Et in hominibus quidem hæc ita discerni probabiliter solent, ut sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia vero ad ea quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diversa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sane ita est, ut nomen scientiæ rebus, quas per sensus coporis experimur, deputatum sit; nulla est omnino

¹ 1 Cor. xv, 9. — ² Id. xiii, 9. — ³ Id. xii, 8.

scientia Dei. Non enim Deus per se ipsum ex corpore et anima constat, sicut homo. Sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, et non ejusdem generis, cujus ista est quæ hominum dicitur: sicut etiam idipsum quod Deus dicitur, longe aliud est, quam quemadmodum dictum est, « Quia » stetit in synagoga deorum¹. » Tamen ad non latere quoquo modo pertinet communicatio ipsa vocabuli. Sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, ut remaneat vindictæ vigor; atque itaque utcumque assurgo in notitiam illius, quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas compassionem cum eo, quem miseraris, participatæ miseræ, ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi et a miseria liberandi, insinuat divinæ misericordiæ qualiscumque cognitio. Zelum quoque Dei non repudiemus et aspernemur, cum scriptum invenimus: sed auferamus de humano zelo pallidam tabem doloris, et morbidam perturbationem animi; remaneatque illud salum iudicium quo corruptio castitatis impunita esse non sinitur, et assurgimus ut incipiamus aliquo modo capere zelum Dei.

4^o. Quapropter cum legimus etiam Deum dicentem, « Pœnitet me²; » consideremus quod esse soleat in hominibus opus pœnitendi. Procul dubio reperitur voluntas mutandi: sed in homine cum dolore animi est; reprehendit enim in se quod temere fecerat. Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat: sic potest aliquantum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quod pœnitet Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat ut esset: sed tamen et cum ita esset, ita esse debebat; et cum ita esse jam non sinitur, perpetuo quodam et tran-

¹ Psal. LXXXI, 11. — ² I Reg. XV, 1.

quillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit.

5^o. Sed quoniam præscientiam et scientiam cum laude solemus in hominibus appellare, iramque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere potius quam reprehendere, congruenter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, et quem aliquid pœnitet, quoniam vel culpam solet, vel in se culpam corrigere, atque ideo cum reprehensione ista de hominibus dici; propterea movet, cum legimus esse aliquid in Deo ejusmodi. Sed illa Scriptura omnibus consulens, propterea magis et ista ponit, ne illa quæ placent sic intelligantur in Deo, quomodo consueverunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, cum ea non audemus sic intelligere in Deo, ut inveniuntur in homine, discimus etiam illa sic quærere, quæ apta esse atque convenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet; non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est, « Non » enim est illis commutatio². » Item sunt quædam, quæ in homine laudabilia sunt, in Deo autem esse non possunt: sicut pudor, quod ætatum viridiorum magnum est ornamentum: sicut timor Dei, non enim tantum in veteribus libris laudatur, sed Apostolus etiam dicit, « Perficientes » sanctificationem in timore Dei³; » qui utique in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominum non recte dicuntur in Deo; sic quædam culpabilia hominum recte intelliguntur in Deo: non ita ut in hominibus, sed vocabulis tantum modo communibus, longe alia ratione et modo. Nam paulo post idem Samuel, cui dixerat Dominus, « Pœnitet me quod constituerim regem Saül, » ipsi Saüli ait de Deo, « Quoniam non est sicut homo, ut pœ-

¹ Psal. CIV, 20. — ² I Cor. VII, 1.

» niteat eum¹ : ubi videlicet satis ostendit etiam cum Deus dicit, « Pœnitet me; » non humano more accipiendum esse, sicut jam quantum valuimus disputavimus.

QUÆSTIO IV. — 1^o. Item quæris, utrum spiritus immundus, qui erat in Pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saule videretur et loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est, quod ipse Satanus princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, et p̄tere tentandum Job justissimum virum² : qui etiam tentandos Apostolos petiit³. Aut si hoc non ideo habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus : interest enim quid loquatur; quia et imperator multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem; et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici : si ergo hinc propterea nulla quæstio est; nulla sit quæstio quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis Deus creator et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justī, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis evocare; nonne magis mirandum est, quod Satanus ipsum Dominum assumpsit, constituit super pinnam templi⁴? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samuëli factum est ut excitaretur similiter latet. Nisi forte quis dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri; sicut ab

¹ 1 Reg. xv, 29. — ² Job, 1, 2. — ³ Luc. xxii, 31. — ⁴ Matth. iv, 5.

ipsis Judæis, quanquam perversis atque immundis et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi atque interfici passus est : non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permisum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et Pythonissam illam et Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti, se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, a malis vivis evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam; cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant et agant cum eis quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiis pro rerum præsentium vel usu vel necessitate tractatis?

2^o. Quanquam in hoc facto potest esse alius facilius exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuëlis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma, et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuëlis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materie metalli aut ligni, vel cujusque rei aptæ ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in somnis, et omnes fere imagines, earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis est enim, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? Quandoquidem et singulorum quorumque picturam cum aspiciamus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus : velut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille Cicero est, ille Sallustius est, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil sint quam pictæ imagines. Unde Cherubim cum sint coelestes potesta-

tamen ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam Testamenti¹, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim illa quoque figmenta vocitantur. Item quisquis videt somnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani, sed, Vidi Augustinum aut Simplicianum: cum eo tempore, quo tale aliquid vidit, nos ignoraremus; usque adeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharaon spicas se dixit vidisse in somnis et boves, non spicarum aut boum imagines². Si igitur liquido constat nominibus earum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari; non mirum est quod Scriptura dicit Samuelem visum, etiamsi forte imago Samuelis apparuit, machinamento ejus qui transfiguratur se velut angelum lucis³, et ministros suos ministros justitiæ.

3^o. Jam vero si illud movet, quomodo et a maligno spiritu Saülis vera prædicta sunt: potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverint Christum, quem Judæi non agnoscebant⁴. Cum enim vult Deus etiam per infimos infernosque spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia duntaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, et non incongruum, ut omnipotens et justus ad eorum pœnam, quibus ista prædicuntur, ut malum quod eis impendet antequam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu ministeriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit. Unde etiam spiritus Pythonius in Actibus Apostolorum attestatur Paulo apostolo, et Evangelista esse conatur⁵. Miscent tamen isti fallacias, et verum quod nosse potue-

¹ Exod. xxv, 18. — ² Gen. xli, 18. — ³ 2 Cor. xi, 14. — ⁴ Matth. viii, 29. — ⁵ Act. xvi, 17.

rint, non docendi magis quam decipiendi sine prænuntiant. Et forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saülem prædiceret moriturum¹, dixit etiam secum futurum: quod utique falsum est. Magno quippe intervallo post mortem separari bonos a malis in Evangelio legimus, cum Dominus inter superbum illum divitem², cum jam apud inferos tormenta pateretur, et illum qui ad ejus januam ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur. Aut si propterea Samuel Saüli dixit, « Mecum eris, » ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat; perspicit, quantum opinor, prudentia tua, secundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem qui non sit contra fidem: nisi forte profundiore et perplexiore inquisitione, quæ vel virum mearum vel temporis excedit angustias, inveniatur ad liquidum, vel posse vel non posse animam humanam, cum ex hac vita emigraverit, magicis carminibus evocatum vivorum apparere conspectibus, etiam corporis, lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed et agnosci. Et si potest, utrum etiam justis anima, non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi occultioribus imperiis summæ legis obtemperans: ut si fieri non posse claruerit, non uterque sensus in hujus Scripturæ tractatione atque expositione admittatur, sed illo excluso, imaginaria simulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia Satanae atque imaginum simulandarum callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis invigilat, pedentim quidem, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid

¹ 1 Reg. xxviii, 19. — ² Luc. xvi, 26.

factum maligno Pythonissæ illius ministerio, quandiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

QUÆSTIO IV. — Quod autem quæris, quid sit quod scriptum est, « Intravit rex David, et sedit ante Domini » num¹, » quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini, sive ubi erat arca Testamenti, per quam sacrator et commendator quædam præsentia Domini accipi potest; sive quia oraturus sedit, quod non fit recte nisi in conspectu Dei, hoc est, in intimis cordis? Potest enim et sic accipi quod dictum est, « ante Domini » num: » ubi nullus esset hominum, qui audiret orantem. Sive ergo propter arcam Testamenti, sive propter secretum locum semotum ab arbitris, sive propter intimum cordis ubi erat orantis affectus, convenienter dictum est: « Sedit ante Dominum². » Nisi forte quod sedens oravit, hoc movet: cum et sanctus Elias hoc fecerit, quando pluviam orando impetravit. Quibus admonemur exemplis, non esse præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam et stantes oramus, sicut scriptum est: « Publi » canus autem de longinquo stabat³: » et fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: et sedentes, sicut ecce David et Elias⁴. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum est in Psalmis, « Lavabo per singulas noctes » lectum meum, in lacrymis meis stratum meum rigabo. » Cum enim quisque orationem quærit, collocat membra, sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis ad movendum animum. Cum autem non quæritur, sed inferitur appetitus orandi, hoc est, cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus ge-

¹ 2 Reg. vii, 18. — ² 3 Reg. xviii, 42. — ³ Luc. xviii, 5. — ⁴ Act. vii, 59, et xx, 36. — ⁵ Psal. vi, 7.

mitibus inenarrabilibus, quocumque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus quo secedamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinem, et sæpe etiam obliviscitur vel ad quam cœli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus invenerit.

QUÆSTIO V. — In verbis autem beati Eliæ, quibus ait: « O Domine, testis hujus viduæ, cum qua ego inhabito » apud ipsam, tu male fecisti, ut occideres filium ejus¹, » nihil moveret, si vera pronuntiatio servaretur. Vox est enim non credentis quod tam male faceret Deus cum ea vidua, quæ tam pie Prophetam susceperat, eo præsertim tempore quo ibi erat, cui protulerat illa totum victum suum tam exiguum in tam magna et summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret: « O Domine, testis hujus » viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu-ne male » fecisti, ut occideres filium ejus? » ut subintelligatur quod utique Dominus testis cordis illius mulieris, ubi videbat quanta esset pietas, unde etiam Eliam ipse ad eam miserat, non malefaciendi causa mortificaverat filium ejus, sed exhibendi miraculi ad gloriam nominis sui, quo tantum Prophetam et tunc viventibus et posteris commendaret: sicut dicit Dominus, non ad mortem mortuum fuisse Lazarum, sed ut glorificaretur Deus in Filio suo². Et ideo consequentia probant, et ipsa etiam fiducia qua credidit Elias, non ad hoc illud contigisse, ut acerbo luctu hospita ejus affligeretur; sed potius ad hoc factum esse, ut Deus magnificentius ostenderet viduæ qualem Dei famulum suscepisset. Sequitur Scriptura, et dicit, « Et insuf- » flavit puero ter, et invocavit Dominum, et dixit: Do- » mine, Deus meus, revertatur nunc anima pueri hujus in » eum. Et factum est sic³. » Hæc ergo deprecatio, qua

¹ 3 Reg. xvii, 20. — ² Joan. xi, 4. — ³ 3 Reg. xvii, 21.

petiit Elias tam breviter et tam fidenter, ut resurgat puer, satis indicat quo affectu dicta sint superiora. Et ipsa mulier ostendit ad hoc mortificatum filium suum fuisse, ad quod Elias factum esse præsumperat, cum illa verba non confirmando, sed renuendo enuntiaverat. Cum enim vivum recepisset filium suum, ait, « Ecce cognovi, quoniam homo » Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo certissimum¹. » Multa sunt autem in Scripturis, quæ nisi illo modo pronuntientur, in contrariam sententiam recidunt: sicuti est, « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat². » Si quasi confirmans respondeas, vides quanta perversitas oriatur. Sic ergo pronuntiandum est, ac si diceretur, Deus-ne qui justificat? ut subaudiatur, Non utique. Ac per hoc apertam puto esse illam Eliæ sententiam, quam non servata pronuntiatio faciebat obscuram.

QUESTIO VI. — De spiritu vero mendacii, per quem deceptus est Achab³, hoc intelligamus, quod jam superius satis aperte tractatum arbitror: Deum scilicet omnipotentem et justum distributorem pœnarum præmiorumque pro meritis, non solum bonis et sanctis ministris uti ad opera congrua, sed etiam malis ad opera digna: cum illi pro sua perversa cupiditate nocere appetant, sinantur autem tantum quantum ille judicat, qui omnia in mensura et pondere et numero disponit⁴. Dixit autem hoc Michæas propheta quomodo sibi fuerit demonstratum. Occulta enim res et nimis secreta ita demonstratur Prophetis, sicut potest capere sensus humanus, cum etiam rerum imaginibus in revelatione tanquam verbis instruitur. Nam quomodo Deus hæc agat, ubique totus ac semper præsens; et quomodo ejus simplicem et incommutabilem æternamque veritatem consulant sancti Angeli omnesque ab eodem Deo

¹ 3 Reg. xvii, 24. — ² Rom. viii, 33. — ³ 3 Reg. xxi, 20. — ⁴ Sap. xi, 21.

creati sublimes et mundissimi spiritus, atque id quod in eo sempiternæ justum vident, pro congruentia rerum inferiorum temporaliter peragant: quomodo etiam lapsi spiritus, qui in veritate non steterunt, propter immunditiam et infirmitatem concupiscentiarum et pœnarum suarum non valentes præsentem intrinsecus contueri et consulere veritatem, signa forinsecus per creaturam expectent, eisque moveantur sive ad faciendum aliquid sive ad non faciendum; quoque modo cogantur æterna lege, qua universitas regitur, vincti atque constricti, vel sinentem Deum opperiri, vel cedere jubenti, et complecti arduum, et explicare longissimum est. Vereor autem ne ista ipsa quæ sunt a me dicta, et non satisfecerint expectationi, et tædio fuerint gravitati tuæ: quandoquidem cum tu ex omnibus quæ interrogasti, unum a me libellum mitti velles, ego duos libros eosdemque longissimos misi, et fortasse quæstionibus tuis nequaquam diligenter expediteque respondi. Quamobrem preces tuas pro erratis meis multas et assiduas peto fieri: sententiam vero de hoc opere tuam brevissimam, sed gravissimam flagito; et dum sit verissima, severissimam non recuso.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE OCTO DULCITII

QUÆSTIONIBUS.

LIBER UNUS¹.

Quæstio I est, An baptizati peccatores exituri sint de gehenna. — II. An mortuis prosit oblatio, quæ fit pro ipsis. — III. Utrum in adventu Domini mox futurum sit iudicium, anve illi morituri sint, qui rapientur in nubibus obviam Domino. — IV. Quomodo justorum filiis benedictio in Psalmo promittitur. — V. (quæ novissimo loco tractatur) Quomodo electus David secundum cor Dei. — VI. Utrum Samuël per Pythonissam vere fuerit de inferno evocatus. — VII. Quomodo stuprum Abimelech et Pharaonis effugit Sara. — VIII. Denique de Spiritu Dei qui superferebatur super aquam, an ipse sit Spiritus sanctus².

¹ Scriptus forte anno 422 aut 425. — ² Vide *Retract.* lib. II, cap. 65.

PRÆFATIO.

Quantum mihi videtur, dilectissime fili Dulciti, non tardavi respondere interrogationibus tuis. Per Pascha quippe hoc anno, quo Dominicus ejus fuit tertio Kalendas Aprilis, a Carthagine mihi missas litteras tuæ dilectionis accepi. Post eos autem dies sanctos confestim Carthaginem sum profectus: in qua civitate nihil me dictare permisit occupationum, quæ ibi non potest deesse, nimia multitudo. Sed postea quam inde regressus sum, peractis apud nostros quindecim diebus, qui me post absentiam diurnam curare alia compulerunt, (nam post tres menses redire permissus sum,) rescribere ista non distuli, et abs te missis quæstionibus, quæ a me per diversa opuscula mea jam fuerant pertractatæ, ex eisdem opusculis reddere vel solutionem vel certe disceptationem meam. Denique illud tantummodo, ubi quæris quare dixerit Dominus nimirum præscius futurorum, « Elegi David secundum cor meum¹, » cum ille talia et tanta commiserit, ubi tractaverim, et quomodo id exposuerim, non potui reperire, et utrum sit in aliquo libro meo vel epistola nescio. Ac per hoc quoniam mihi de hoc intulisti novæ disputationis necessitatem, in hac mea rescriptione id ultimum feci, prius volens ea ponere, quæ habebam in aliis meis voluminibus præparata: et nec studio tuæ sanctitatis deessem, quod mihi est gratissimum; nec alio modo eadem dicere cogerer, quod mihi esset laboriosissimum, nec te aliquo amplius adjuvaret.

QUÆSTIO I. 1^o. — Prima itaque propositio tua est, « Utrum aliquando, qui sunt post baptismum peccatores, exeant de gehenna. Aliquantorum namque super hoc,

¹ 3 Reg. viii, 16, et Act. xiii, 22.

inquis, diversa sententia est, respondentium, sicut justorum præmium, ita peccatorum finem non habere tormenta. Asseverare etenim cupiunt tam perpetem vindictam manere, quam præmium. Quibus contra præscribitur Evangelica illa sententia, quæ ait, « Non inde » exies, donec reddas novissimum quadrantem¹. » Superest ergo ut hoc reddito possit exire. Credimus hoc et Apostoli definitione dicentis: « Ipse autem salvus erit, » sic tamen quasi per ignem². » Sed quoniam alibi legimus, inquis, « Et non cognovit eam, donec peperit³: » quod ita interpretari non possumus, idcirco de hoc cupimus fieri certiores. » Huc usque est propositio tua.

2^o. Cui respondeo ex libro meo, qui inscribitur, *De fide et operibus* ubi de hac re ita locutus sum: Jacobus, inquam, tam vehementer infestus est eis qui sapiunt fidem sine operibus valere ad salutem, ut illos etiam dæmonibus comparet, dicens: « Tu credis quoniam unus » est Deus: bene facis, et dæmones credunt, et contremiscunt⁴. » Quid brevius, verius, vehementius dici potuit, cum et in Evangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum Filium Dei confiterentur⁵, et ab illo corripentur, quod in Petri confessione laudatum est⁶? « Quid » proderit, ait Jacobus, fratres mei, si fidem dicat se » quis habere, opera autem non habeat, opera autem » non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? » Dicit etiam, « quia fides sine operibus mortua est⁷. » Quo usque ergo falluntur, qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?

3^o. Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia, plane ad intelligendum difficilis, ubi ait, « Fundamentum enim aliud

¹ Matth. iii, 26. — ² 1 Cor. iii, 15. — ³ Matth. i, 25. — ⁴ Jacob. ii, 19. — ⁵ Marc. i, 24. — ⁶ Matth. xvi, 16. — ⁷ Jacob. ii, 14 et 20.

» nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod
 » est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super
 » fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretio-
 » sos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus ma-
 » nifestabitur. Dies enim declarabit, quia in igne revela-
 » bitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.
 » Si cujus opus manserit, quod superædificavit, merce-
 » dem accipiet. Si cujus autem opus arserit, damnum pa-
 » tietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ig-
 » nem¹. » Quod quidam ita intelligendum putant, ut illi
 » videantur ædificare super hoc fundamentum aurum, ar-
 » gentum, lapides pretiosos, qui fidei quæ in Christo est,
 » bona opera adjiciunt; illi autem fœnum, ligna, stipulam,
 » qui cum eadem fidem habeant, male operantur. Unde
 » arbitrantur per quasdam pœnas ignis eos posse purgari ad
 » salutem percipiendam merito fundamenti.

4^o. Hoc si ita est, fatemur istos laudabili charitate co-
 » nari, ut omnes indiscrete admittantur ad baptismum, non
 » solum adulteri et adultera, contra sententiam Domini
 » falsas nuptias prætendentes, verum etiam publicæ mere-
 » trices in turpissima professione perseverantes, quas certe
 » etiam nulla negligentissima Ecclesia consuevit admittere,
 » nisi ab illa primitus prostitutione liberatas. Sed ista ra-
 » tione cur non omni modo admittantur, omnino non video.

Quis enim non malit eas posito fundamento, licet ligna,
 » fœnum et stipulam congerant, aliquanto certe diuturniore
 » igne purgari, quam in æternum perire? Sed falsa erunt
 » illa, quæ obscuritatem ambiguitatemque non habent: « Si
 » habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, cha-
 » ritatem autem non habeam, nihil sum². » et, « Quid
 » proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere,
 » opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare

¹ 1 Cor. III, 11 et seqq. — ² 1 Cor. XIII, 2.

» eum¹? » Falsum erit et illud: « Nolite errare, neque
 » fornicatores, neque idolis servientes, neque fures, ne-
 » que avari, neque adulteri, neque molles; neque mas-
 » culorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici,
 » neque rapaces regnum Dei possidebunt². » Falsum et
 » illud: « Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornica-
 » tiones, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum
 » servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes,
 » animositates, dissensiones, hæreses, invidia, ebrietates,
 » comessiones, et his similia, quæ prædico vobis, sicut et prædixi,
 » quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt³. » Falsa erunt hæc. Si enim tantummodo credant et baptizentur, quamvis in malis talibus perseverent, salvi erunt per ignem: atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt regnum Dei possidebunt. Frustra autem dicitur, « Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis⁴: » quando et abluti hæc sunt. Inaniter etiam illud a Petro dictum videbitur: « Sic et vos simili forma baptismi salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio⁵: » siquidem et habentes pessimas conscientias omnium flagitiorum et scelerum plenas, nec eorum malorum poenitentia mutatas, tamen baptismi salvos facit: propter fundamentum enim quod in eodem baptismo ponitur, licet per ignem, salvi erunt. Illud quoque non video cur Dominus dixerit: « Si vis venire ad vitam, serva mandata⁶, » et commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent: si etiam his non servatis ad vitam venire potest per solam fidem, quæ « sine operibus mortua est⁷. » Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram positu-

¹ Jacob. II, 14. — ² 1 Cor. VI, 9 et 10. — ³ Gal. V, 19 et seqq. — ⁴ 1 Cor. VI, 11. — ⁵ 1 Petr. III, 21. — ⁶ Matth. XIX, 17. — ⁷ Jacob. II, 14.

rus est dicet : « Ite in ignem æternum, qui paratus est » diabolo et angelis ejus¹? » Quos non increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam perfecto ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos : « Domine, » quando te vidimus illa et illa patientem, et non minis- » travimus tibi²? » qui in eum crediderant, sed bona operari non curaverant, tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perveniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera misericordiæ non fecerunt, et non ibunt qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei in se ipsos immisericordes fuerunt, quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo, « Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem » autem non habeam, nihil mihi prodest³ : » aut diligit quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? « Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam⁴ : » Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes, ignem æternum dictum, non ipsam poenam æternam : per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem ; ut videlicet ignis æternus sit, combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eis æterna : cum et hoc prævidens Dominus, tanquam Dominus, sententiam suam ita concluderit, dicens : » Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in » vitam æternam⁵. » Erit ergo æterna combustio, sicut ignis ; et eos in illam ituros. Veritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declaravit.

¹ Matth. xxv, 41. — ² Ibid. 44. — ³ 1 Cor. xiii, 3. — ⁴ Psal. x, 6. — ⁵ Matth. xxv, 46.

5°. Si ergo hæc omnia, et cætera quæ innumerabilia per omnes Scripturas sine ambiguitate dicta reperiri possunt, falsa erunt ; poterit verus esse ille intellectus de lignis, fœno et stipula, quod hi salvi erunt per ignem, qui solam in Christo fidem tenentes bona opera neglexerunt. Si autem ista et vera, et clara sunt ; procul dubio in illa Apostoli sententia alius requirendus est intellectus, atque in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis ejus quædam difficilia intellectu¹, quæ non debent homines pervertere ad proprium suum interitum, ut contra evidentissima testimonia Scripturarum securos faciant de percipienda salute nequissimos, nequitia suæ pertinacissime cohærentes, nec emendendo aut poenitendo mutatos.

6°. Hic a me fortasse quærat, de ipsa Pauli apostoli sententia quid ego sentiam, et quonam modo intelligendam putem. Fateor, hinc mallem audire intelligentiores atque doctiores, qui sic eam exponant, ut illa omnia vera et inconcussa permaneant, quæ supra commemoravi, et quæcumque alia non commemoravi, quibus apertissime Scriptura testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definivit Apostolus, id est, quæ per dilectionem operatur ; sine operibus autem salvare non posse, neque præter ignem, neque per ignem : quia si per ignem salvat, ipsa atique salvat. Absolute autem dictum est et aperte : « Quid » prodest, si dicat quis se fidem habere, opera autem non » habeat? numquid poterit fides salvare eum²? » Dicam tamen, quam brevissime potero etiam ipse quid sentiam de illa sententia Pauli apostoli ad intelligendum difficili, dummodo illud, quod meam professionem attinet, præcipue teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores. Fundamentum Christus est in structura architecti sapien-

¹ 2 Petr. iii, 16. — ² Jacob. ii, 14.

tis : hoc expositione non indiget. Aperte enim dictum est :
 « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter
 » id quod positum est, quod est Christus Jesus¹. » Si autem
 Christus, procul dubio fides Christi. Per fidem quippe
 habitat Christus in cordibus nostris², sicut idem Aposto-
 tolus dicit. Porro si fides Christi, illa utique quam definivit
 Apostolus, « quæ per dilectionem operatur³. » Non enim
 fides illa dæmonum, cum et ipsi credant et contremis-
 cant, et Filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in
 fundamento. Quare, nisi quia non est fides quæ per dilec-
 tionem operatur, sed quæ exprimitur per timorem? Fides
 itaque Christi, fides gratiæ christianæ, id est, ea fides quæ
 per dilectionem operatur, posita in fundamento, nemi-
 nem permittit. Sed quid sit ædificare super hoc funda-
 mentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, et ligna,
 scænum, stipulam, si subtilius disserere coner, vereor ne
 ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio : enitar ta-
 men, quantum Dominus adjuvat, et breviter, et quantum
 potero, dilucide expedire quod sentio. Ecce ille qui quæ-
 sivit a magistro bono, quid boni faceret, ut haberet vitam
 æternam : et audivit, si ad vitam venire vellet, servanda
 sibi esse mandata : et cum quæreret quæ mandata, dic-
 tum est ei : « Non occides ; Non mæchaberis : Non furtum
 » facies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem
 » tuum et matrem tuam : Et diliges proximum tuum
 » tanquam te ipsum⁴. » Hæc faciens in fide Christi, tene-
 ret procul dubio fidem, quæ per dilectionem operatur.
 Neque diligeret proximum tanquam se ipsum, nisi recepta
 dilectione Dei, sine qua non diligeret se ipsum. Porro si
 faceret etiam quod Dominus addidit, dicens : « Si vis
 » perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da

¹ 1 Cor. iii, 10. — ² Ephes. iii, 17. — ³ Gal. v, 6. — ⁴ Matth. xix, 16 et
 seqq.

» pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni
 » sequere me : » ædificaret super illud fundamentum,
 aurum, argentum, lapides pretiosos : non enim cogitaret,
 nisi quomodo placeret Deo : et hæc cogitationes sunt,
 quantum existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi.
 Porro si circa divitias suas carnali quodam teneretur
 affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec
 ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut
 earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod
 facinus flagitiumve laboretur ; (alioquin jam se isto modo
 ab illius fundamenti stabilitate subtraheret :) sed propter
 carnalem, ut dixi, quem in eis haberet affectum, quo
 talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret
 super fundamentum illud ligna, scænum, stipulam :
 maxime si et uxorem sic haberet, ut etiam propter ipsam
 cogitaret ea quæ sunt mundi, quomodo placeret uxori.
 Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore
 amittuntur, propterea qui ea sic habent, ut habeant in
 fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, nec
 huic ista ulla ratione vel cupiditate præponant, in eorum
 amissione passi detrimentum per ignem quemdam doloris
 perveniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento
 tanto est quisque securior, quanto ea vel minus amaverit,
 vel tanquam non habens habuerit. Qui vero propter illa
 vel tenenda vel adipiscenda, homicidium, adulterium,
 fornicationem, idololatriam, et similia quæque commise-
 rit ; non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed
 amisso fundamento, æterno igne torquetur.

7^o. Quamobrem et illud quod dicunt, veluti probare
 cupientes quantum valeat sola fides, ubi Apostolus dicit :
 « Quod si infidelis discedit, discedat ; non est enim ser-
 » vituti subjectus frater vel soror in hujusmodi¹ ; » id est,

¹ 1 Cor. vii, 15.

ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum viro christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit: non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeres, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornator. Tunc enim ille cui hoc uxor dicit, si veraciter egit poenitentiam ab operibus mortuis, quando accessit ad baptismum, habetque in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, et membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat. Quemcumque autem in hac diremptione dolorem cordis propter carnalem affectum conjugis sustinebit, hoc est detrimentum quod patietur, hic est ignis per quem fœno ardente ipse salvabitur. Si autem jam sic habebat uxorem tanquam non habens, non propter concupiscentiam, sed propter misericordiam, ne forte eam salvam faceret, reddens potius quam exigens debitum conjugale; profecto nec dolebit carnaliter, cum ab illo tale connubium separabitur: neque enim in ea cogitabat, nisi quæ sunt Dei, quomodo placeret Deo. Ac per hoc in quantum aurum, argentum, et lapides pretiosos illis cogitationibus superædificabat¹, in tantum detrimentum nullum patetur, in tantum ejus structura, quæ non erat fœnea, nullo incendio cremaretur.

8^o. Sive ergo in hac tantum vita ista homines patiuntur, sive etiam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veri-

¹ 1 Cor. vii, 32.

tatis iste intellectus hujusce sententiæ. Verumtamen etiam si est alius, qui mihi non occurrit, potius eligendus, istum quandiu tenemus, non cogimur dicere injustis, non subditis, scelestis, contaminatis, parricidis, matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiaris, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei¹: Si tantummodo in Christum credatis, et sacramentum baptismi ejus accipiatis, etiamsi vitam istam pessimam non mutaveritis, salvi eritis.

9^o. Unde nec illa nobis mulier Chananæa præscribit, quia Dominus ei quod petebat dedit, cum ante dixisset: « Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus²: » quia ille cordis inspector mutam vidit, quando laudavit. Et ideo non ait: O canis, magna est fides tua: sed, « O mulier, magna est fides tua. » Mutavit vocabulum, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum pervenisse cognovit. Miror autem si laudaret in ea fidem sine operibus, id est, fidem non talem quæ jam per dilectionem posset operari, fidem mortuam, et quod Jacobus dicere minime dubitavit, fidem non Christianorum³, sed dæmonum. Postremo si istam Chananæam nolunt intelligere mutasse perditos mores, quando eam Christus contemnendo et corripiendo redarguit: quoscumque invenerint tantummodo credere, vitam vero inquinatissimam, nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri, ac nolle mutare; sanent filios eorum, si possunt, sicut sanata est filia Chananæa mulieris; non tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant membra meretricis.

10^o. Item in eo libro, cui titulus est, *De fide, spe, et charitate*, quem scripsi ad filium meum fratrem tuum

¹ 1 Tim. i, 9. — ² Matth. xv, 26. — ³ Jacob. ii, 19.

Laurentium, ista de hac re verba mea sunt. Creduntur, inquam, a quibusdam, etiam hi qui nomen Christi non relinquunt, et ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec elemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitæ ultimum diem pertinacissime perseverent, salvi futuri per ignem; licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno, non tamen æterno igne puniti. Sed qui hoc credunt, et tamen catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur: nam Scriptura divina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione conscripsi, cujus titulus est, *De fide et operibus*, ubi secundum Scripturas sanctas, quantum Deo adjuvante potui, demonstravi eam fidem salvos facere, quam satis evidenter expressit Paulus apostolus, dicens: « In Christo enim Jesu neque » circumcisio quidquam valet, neque præputium, sed fides » quæ per dilectionem operatur ¹. » Si autem male, et non bene operatur, procul dubio, secundum apostolum Jacobum, « mortua est in semetipsa ². » Qui rursus ait: « Si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, » numquid poterit fides salvare eum ³? Porro autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem salvabitur, et sic est accipiendum quod ait beatus Paulus: « Ipse » autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem ⁴: » poterit ergo salvare sine operibus fides, et falsum erit quod dixit ejus coapostolus Jacobus: falsum erit et illud quod idem ipse Paulus: « Nolite, inquit, errare, neque fornicatores, » neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, » neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces » regnum Dei possidebunt ⁵. » Si enim etiam in istis perse-

¹ Gal. v, 6. — ² Jacob. ii, 17. — ³ Ibid. 14. — ⁴ 1 Cor. iii, 15. — ⁵ Id. vi, 9, 10.

verantes criminibus, tamen propter fidem Christi salvi erunt, quomodo in regno Dei non erunt?

11^o. Sed quia hæc apostolica manifestissima et apertissima testimonia falsa esse non possunt; illud quod obscure dictum est, de his qui superædificant super fundamentum, quod est Christus, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam, (de his enim dictum est, quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt,) sic intelligendum est, ut his manifestis non inveniatur esse contrarium. Ligna quippe et fœnum et stipula non absurde accipi possunt rerum sæcularium, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti habet locum, id est, ut ei nihil anteponatur, et malit homo, qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit, carere, quam Christo, per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, eum in fundamenta non habuit: quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio non sit aliquid prius fundamento. Ignis enim, de quo eo loco locutus est apostolus Paulus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, id est, et qui « ædificat super hoc » fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, » et qui « ædificat lignum, fœnum, stipulam ¹. » Cum enim hoc dixisset, adjunxit: « Uniuscujusque opus quale sit, » ignis probabit. Si cujus opus permanserit, quod super » ædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus » exustum fuerit, damnum patietur: ipse autem salvus » erit, sic tamen quasi per ignem ². » Non ergo unius eorum sed utriusque opus ignis probabit.

12^o. Est quidam ignis tentatio tribulationis, de quo

¹ 1 Cor. iii, 11. — ² Ibid. 13 et seqq.

aperte alio loco scriptum est : « Vasa figuli probat fornax, » et homines justos tentatio tribulationis¹. » Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accidat duobus fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, hoc est, ædificanti super Christum fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, alteri autem cogitanti ea quæ mundi sunt, quomodo placeat uxori², id est, ædificanti super idem fundamentum ligna, fœnum, stipulam : illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione crucietur; exuritur autem opus hujus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potius carere mallet, quam Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamvis doleat dum amittit, salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem : quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amissarum, sed non subvertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

13^o. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit, quæri potest : et aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari : non tamen tales, de qualibus dictum est, quod « regnum Dei non possident³, » nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura divina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænantiet Dominus dextris, et earum tantummodo sterilitatem sinistris; quando his dicturus est : « Venite benedicti Patris mei, percipite regnum : » illis autem, « Ite

¹ Eccli. xxvii, 6. — ² 1 Cor. vii, 32. — ³ Id. vi, 10.

» in ignem æternum⁴. » Hæc de duobus opusculis meis satis puto quæstioni tuæ fuisse responsa.

14^o. De illa vero sententia Domini, « Non exies inde, » donec reddas novissimum quadrantem². » respondere mihi necesse non fuit, quoniam tu ipse quæstionem simili ex Evangelio locutione solvisti, ubi scriptum est, « Non » cognovit eam, donec peperit³. » Sane ut non te celem de hæc re cogitationem meam, vellem si fieri posset; imo vero volo, si fieri potest, in hac quæstione veritate superari. Illud enim quod dicitur, quandoque, etsi post plurimum temporis, eos qui in catholica communione moriuntur, quamvis usque in finem vitæ hujus flagitiosissime et sceleratissime vixerint, de pœnis ultricibus exituros, familiarius meum tangit affectum, quem habemus erga eos, qui nobiscum corporis et sanguinis Christi sacramenta communicant; quamvis eorum mores perditos oderimus, quos disciplina Ecclesiastica emendare non possumus, aut a mensa Dominica separare : sed ea veritate vinci volo, quæ sacris Litteris apertissimis non resistit. Non enim quæ resistit, dicenda est ulla ratione veritas, vel putanda. Sed interim donec audiamus tale aliquid aut legamus, auscultemus ei qui dicit : « Nolite errare, » neque fornicatores, neque idolis servientes, etc. regnum Dei possidebunt⁴. » Quia si talia sunt, quæ contradicantur, ut horum verborum apostolicorum manifestationem in alios sensus ducere nequeant, profecto adversus ea nos instruxit, et paratos esse voluit idem Apostolus dicens : « Hoc autem scitote intelligentes, quoniam omnis » fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi » et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis⁵. » Cum ergo

¹ Matth. xxv, 34. — ² Id. v, 13. — ³ Id. i, 25. — ⁴ 1 Cor. vi, 9 et seqq. — ⁵ Ephes. v, 5 et 6.

audierimus quosdam fornicatores, et immundos, et avaros per ignem salvari, ut habeant hæreditatem in regno Christi et Dei, non obsurdescamus contra istum reclamantem et dicentem: « Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Christi et Dei? » et ne acquiescamus illis verbis contra continuo subjicientem, « Nemo vos seducat inanibus verbis. »

QUÆSTIO II. — 1^o. Secunda tua quæstio est, « Utrum oblatio quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus; cum evidenter nostris aut sublevemur actibus, aut gravemur, siquidem legamus, quod in inferno nemo jam possit Domino confiteri. Ad quod multi dicant, quod si aliquis beneficii in hoc locus possit esse post mortem, quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigerium, sua per se illic confitendo peccata, quam in eorum refrigerium ab aliis oblatio procuratur? »

2^o. Dixi aliquid de hac re in eo libro, quem nuper ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum scripsi, cum me consulisset, utrum sepultura, quæ fit in Memoriis Martyram, prosit aliquid spiritibus mortuorum. Inde est hoc¹, quod his ad te litteris insero: Diu, inquam, Sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline, rescriptorum debitor fui, ex quo mihi scripsisti per homines filia nostræ religiosissimæ Floræ, quærens a me, utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus Memoriam sepelitur. Hoc enim abs te vidua memorata petierat, pro defuncto in eis partibus filio suo, et rescripseras consolans eam, idque etiam nuntians de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno et pio affectu desideravit, esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur. Qua occasione factum est, ut per eosdem perlatores litterarum tuarum etiam mihi

¹ Ex lib. de Cura pro mortuis, cap. 1.

scriberes, ingerens hujuscemodi quæstionem; atque ut responderem quid mihi exinde videretur exposcens, nec tacens ipse quid sentias. Nam dicis videri tibi, non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam, vacare non posse quod universa de profunctis Ecclesia supplicare consuevit: ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum.

3^o. Sed cum hæc ita sint, quomodo huic opinioni contrarium non sit, quod ait Apostolus, « Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, malum¹, » non te satis videre significas. Hæc quippe apostolica sententia ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem; non tunc quando jam recipiendum est, quod quisque gesserit ante mortem. Verum hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur; dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos: ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur. Sunt enim quos omnino nihil adjuvant ista; sive pro eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitæ, quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint, quæcumque pro illo pie fiant, cum reliquerit corpus. Nam meritum, per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Ita fit ut neque inaniter Ecclesia, vel suorum cura pro defunctis quod potuerit religionis impendat; et tamen ferat unusquisque secundum ea quæ gessit per corpus,

¹ I Cor. v, 10.

sive bonum, sive malum, reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita est acquisitum, quam gessit in corpore.

4^o. Dixi etiam tale aliquid ad Laurentium, quod ita se habet¹: Tempus autem, inquam, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem: nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut his non requirat, est et rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam possit relevari quispiam, vel gravari. Nemo se autem speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est, « Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum²: » quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret comparavit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis

¹ In Enchirid. cap. 109 et 100. — ² 2 Cor. v, 10.

defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

QUÆSTIO III. — 1^o Tertia tua quæstio est, « Utrum statim in adventu Domini credendum sit futurum esse iudicium, an spatio interposito temporis. « In cujus diebus » adventus, quoniam legimus, inquis, quod qui superabunt, rapientur in nubibus obviam Christo in aëra, et » sic semper cum Domino futuri sunt¹: » nosse desidero, utrum mox iudicium comitetur adventum; et ii qui rapiuntur in nubes, an solvantur in mortem? nisi forte ad vicem mortis ipsam immutationem debeamus accipere. »

2^o. Huic interrogationi tuæ, qua quæris, utrum in adventu Domini mox credendum sit futurum esse iudicium, puto sufficiat fides Symboli, qua confitemur Christum a Patris dextera esse venturum ad vivos et mortuos iudicandos. Cum ergo ipsa sit ei causa veniendi, quid aliud acturus est mox ut venerit, nisi propter quod veniet? De illis autem qui rapiuntur in nubibus, in quadam epistola, quam scripsi ad filium meum nomine Mercatorem, procul dubio notissimum vobis, cum me consulisset de quibusdam quæstionibus Pelagianorum, qui negant mortem peccato esse retributam, quatenus disputaverim, in subditis lege. Illi autem², inquam, de quibus dixit Apostolus, cum loqueretur de resurrectione mortuorum, « Et » nos viventes qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur³ » in nubibus obviam Christo in aëra, et ita semper cum Domino erimus³, » afferunt quidem aliquid quæstio-

¹ 1 Thess. iv, 17. — ² Ex Epist. cxcxii, ad Mercatorem cap. 4. —

³ 1 Thess. iv, 17.

nis sed per se ipsos, non propter istos : nam et si non sunt etiam ipsi morituri, quid istos adjuvent omnino non video, cum talia de his dici possint, qualia de illis dicta sunt duobus, Enoch scilicet et Elia. Sed revera, quantum ad verba beati Apostoli pertinet, videtur asserere quosdam in fine sæculi adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos re-
 pertos, in illam immortalitatem, quæ sanctis etiam cæteris datur, repente mutandos, et simul « cum illis rapien-
 » dos, sicut dicit, in nubibus. » Nec aliquid aliud mihi visum est, quoties de his verbis volui cogitare.

3^o. Sed vellem hinc potius audire doctiores : ne illis etiam qui putant aliquos morte non præcedente vivificatos, ad vitam perpetuam transituros, dicere inveniatur Apostolus, « Stulte, tu quod seminas, non vivificatur, » nisi moriatur¹. » Nam et illud quod in plerisque codicibus legitur, « Omnes resurgemus, » unde fieri poterit, nisi omnes moriamur? Resurrectio quippe, nisi mors præcesserit, nulla est. Et quod nonnulli codices habent, « Omnes dormiemus, » multo facilius et apertius id cogit intelligi : et si quid aliud tale in sanctis Litteris invenitur, ad id videtur impellere, ut nullus hominum existimetur immortalitatem, nisi mors præcesserit, adepturus. Proinde ubi dixit Apostolus, « Et nos viventes qui reliqui sumus » in adventum Domini, non præveniemus eos qui ante dormierunt. Ipse enim Dominus in jussu et in voce Archangel¹ et in tuba Dei descendet de cælo, et mortui in Christo resurgent primo : deinde nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, et ita semper cum Domino erimus². » Vellem, sicut dixi, de his verbis audire doctiores : et si mihi potuerint hæc ita exponi, ut in eis

¹ 1 Cor. xv, 36. — ² 1 Thess. iv, 15 et seqq.

possit intelligi, omnes homines qui vivunt vel post nos victuri sunt, esse morituros, corrigerem quod hinc aliquando aliter sensi. Neque enim debemus esse indociles doctores; et certe melius homo corrigitur pravus, quam frangitur durus : cum iis quæ scribimus, ita nostra vel aliorum exerceatur et erudiat infirmitas, ut tamen in eis nulla velut canonica constituatur auctoritas.

4^o. Si autem in his verbis Apostoli nullus alius sensus poterit reperiri, et hoc eum intelligi voluisse claruerit, quod videntur ipsa verba clamare; id est, quod futuri sint in fine sæculi et adventu Domini, qui non expolientur corpore, sed superinduantur immortalitate, ut absorbeatur mortale a vita : huic sententiæ procul dubio conveniet, quod in Regula fidei confitemur, venturum Dominum, judicaturum vivos et mortuos : ut non hic intelligamus vivos justos, mortuos autem injustos, quamvis judicandi sint justus et injustus; sed vivos quos nondum exiisse, mortuos autem quos jam exiisse de corporibus, adventus ejus inveniet. Quæ si ita esse constiterit, illa verba excutienda erunt quomodo sic accipiamus, « Tu » quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur : » et, « Omnes » resurgemus, sive, Omnes dormiemus¹ : » ut non adven-
 sentur huic sententiæ, qua quidam creduntur etiam cum suis corporibus in æternum non gustata morte victuri.

5^o. Sed utrumlibet horum veracior et perspicacior intellectus inveniatur, quid ad causam pertinebit istorum, sive omnes debita morte plectantur, sive aliquibus ab hac conditione parcat; cum tamen constet non solum mortem animæ, verum etiam corporis secuturam non fuisse, si peccatum non præcessisset, et gratiæ mirabiliore virtute justos a morte ad æternam beatitudinem reviviscere, quam in mortis experientiam non venire? Hæc propter

¹ 1 Cor. xv, 36 et 51.

illos, de quibus mihi scripsisti, satis dicta sint: quamvis eos jam non existimem dicere, etiam si non peccasset Adam, fuisse vel corpore moriturum.

6^o. Cæterum quod attinet ad quæstionem resurrectionis, propter illos qui creduntur non esse morituri, sed ex hac mortalitate ad immortalitatem sine morte media transituri, inquisitio diligentior adhibenda est; et si quid hinc absolutum ac definitum disputatione rationabili atque perfecta vel audisti, vel legisti, vel etiam ipse adhuc audire au legere ut excogitare potueris, peto mihi mittere non graveris. Ego enim, quod confitendum est charitati tuæ, plus amo discere quam docere: nam hoc admone-mur etiam dicente apostolo Jacobo, « Si autem omnis » homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquen- » dum¹. » Ut ergo discamus, invitare nos debet suavitas ve-ritatis: ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis: ubi potius optandum est, ut transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo, et simus omnes docibiles Dei²: quamvis et hoc simus cum ea quæ ad veram pieta-tem pertinent discimus, etiam quando illa docere videtur homo. Quia « neque qui plantat, est aliquid, neque qui » rigat, sed qui incrementum dat Deus³. » Cum itaque si Deus incrementum non daret, nihil essent Apostoli plan-tatores et rigatores; quanto magis ego vel tu vel quilibet hujus temporis homines, quando nobis videmur esse doc-tores?

QUÆSTIO IV. — 1^o Quarta tua quæstio est, « Quare » dixerit David: « Potens in terra erit semen ejus, gene- » ratio rectorum benedicetur⁴: » cum sciamus justorum » filios et fuisse et esse maledictos, et injustorum et fuisse » et esse benedictos. »

2^o. Huic quæstioni de Psalmi ipsius expositione respon-

¹ Jacob. 1, 19. — ² Isai. LIV, 13. — ³ 1 Cor. III, 7. — ⁴ Psal. CIX, 2.

deo, quem cum in populo tractarem dixi: « Beatus enim » vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis¹. » Viderit Deus, qui solus et veraciter et misericorditer ju-dicat, quantum iste proficiat in mandatis ejus. Quoniam « tentatio est vita humana super terram², » sicut sanctus Job dicit. Et iterum scriptum est, « Quoniam corpus » quod corrumpitur, aggravat animam; et deprimit ter- » rena inhabitatio sensum multa cogitantem³. » Qui au-tem judicat nos, Dominus est: nec ante tempus judicare debemus, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis et tunc laus erit unicuique a Deo⁴. Viderit ergo ille quantum quis-que proficiat: in mandatis ejus tamen volet nimis, qui pacem illius coedificationis adamaverit; nec jam despe-rare debet, quoniam in mandatis ejus volet nimis, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis⁵.

3^o. Inde « potens in terra erit semen ejus⁶. » Semen fu-turæ messis, opera esse misericordiæ, Apostolus testis est, qui dicit: « Bonum autem facientes non deficiamus: tem- » pore enim proprio metemus⁷. » Et iterum, « Hoc au- » tem inquit, qui parce seminat, parce et metet⁸. » Quid autem, fratres, potentius, quam ut regnum cælorum non solum Zacchæus emat dimidio rerum suarum⁹, sed et vidua duobus minutis, et tantumdem ibi uterque pos-sideat¹⁰? Quid potentius, quam ut idem regnum et the-sauris diviti et calice aquæ frigidæ pauperi valeat? Sunt autem qui ista faciunt dum terrena conquirunt, aut hic mercedem sperantes a Domino, aut hominibus placere cupientes. Sed, « Generatio rectorum benedicetur¹¹: » id est, opera eorum quorum bonus Deus Israël, qui recto sunt

¹ Ex Enarratione in Psal. CXI, num. 2. — ² Job, VII, 1. — ³ Sep. IX, 15. ⁴ 1 Cor. IV, 4 et 5. — ⁵ Luc. II, 14. — ⁶ Psal. CXI, 2. — ⁷ Gal. VI, 9. — ⁸ 2 Cor. IX, 6. — ⁹ Luc. XIX, 8. — ¹⁰ Marc. XII, 42. — ¹¹ Psal. CXI, 2.

corde¹; rectum autem cor est, non resistere patri emendanti, et credere pollicenti: non eorum quibus commoventur pedes, et effunduntur gressus atque labuntur, sicut in alio Psalmo canitur, dum zelant in peccatoribus pacem peccatorum videntes², et putant perire opera sua, quia non eis merces redditur peritura. At iste vir qui timet Dominum, et in templum sanctum Dei conversione recti cordis aptatur, nec gloriam hominum quærit, nec terrenas divitias concupiscit: et tamen, « Gloria et divitiæ in » domo ejus³. » Domus enim ejus cor ejus est, ubi Deo laudante opulentiùs habitat cum spe vitæ æternæ, quam hominibus adulantibus in marmoratis laqueatisque tectis cum timore mortis æternæ. Hujus enim « justitia manet » in sæculum sæculi. » Ipsa ejus gloria, ipsæ divitiæ. Illius autem purpura et byssus et epulæ splendidæ⁴, et cum præsto sunt, transeunt; et cum ad finem venerint, aquæ guttam ex digito stillante desiderans, ardens lingua clamabit. Hæc sunt quæ in dicto Psalmo exposuisse me memini, et ad quæstionis tuæ quarto loco propositæ solutionem satis esse nunc existimo. Quinto autem loco id proposuisti, unde post omnia disputaturum me esse promisi.

QUÆSTIO VI. — 1^o. Sexta tua propositio est: « Utrum juxta historiam libri Regnorum Pythonissa ipsum prophetam Samuëlem de inferno invocaverit⁵. »

2^o. Hoc a me beatæ memoriæ Simplicianus Mediolanensis episcopus aliquando quæsivit. Quid ergo ei responderim, subditum lege⁶. Item quæris, inquam, utrum spiritus immundus, qui erat in Pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saüle videretur et loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi est, quod ipse Satanæ princeps

¹ Psal. lxxi, 1. — ² Ibid. 2. — ³ Id. cxl, 3. — ⁴ Luc. xvi, 19. — ⁵ 1 Reg. xx, 7. — ⁶ Ex lib. 11 Quæst. ad Simplician. quæst. 3.

omnium immundorum spirituum potuit loqui cum Deo, et petere tentandum Job justissimum virum¹: qui etiam tentandos Apostolos petiit². Aut si hoc non ideo habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus: interest enim quid loquatur; quia et imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus providentissime consulit ad salutem; et cum multis nocentibus loquitur, quos jubet interfici: si ergo hinc propterea nulla quæstio est; nulla sit quæstio quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis Deus creator et sanctificator longe utique major est. Quod si hoc movet, quod licuerit maligno spiritui excitare animam justæ, et tanquam de abditis mortuorum receptaculis evocare; nonne magis mirandum est, quod Satanæ ipsum Dominum assumpsit et constituit super pinnam templi³? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quam ad Samuelis defuncti spiritum a suis sedibus excitandum. Quod si illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis et divinitatis id fieri; sicut ab ipsis Judæis, quanquam perversis atque immundis et facta diaboli facientibus, et teneri se, et vinciri, et illudi, et crucifigi atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione divinæ voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ et Pythonissam illam

¹ Job, 1, 11. — ² Luc. xxii, 31. — ³ Matth. iv, 5.

et Saülem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, a malis vivis evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam; cum et vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, et agant cum eis quod officium postulat æquitatis, servato atque inconcusso decore virtutis suæ, et illorum vitiiis pro rerum præsentium vel usu vel necessitate tractatis?

3º. Quamquam in hoc facto potest esse alius facilius exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquid phantasma, et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materie metalli aut ligni, vel cujusque rei aptæ ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in somnis, et omnes fere imagines, earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. Quis est enim, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? Quandoquidem et singulorum quorumque picturam cum aspiciamus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus: velut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus: Ille Cicero est, ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil sint quam pictæ imagines. Unde Cherubim cum sint cælestes potestates, ficta tamen ex metallo, quod imperavit Deus, super arcam Testamenti¹, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim illa quoque figmenta vocitantur. Item quisquis videt somnium, non dicit: Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani; sed, Vidi Augustinum aut Simplicianum: cum eo tempore, quo tale aliquid

¹ Exod. xxv, 18.

vidit, nos ignoraremus; usque adeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharaos picas se dixit vidisse in somnis et boves, non spicarum aut boum imagines¹. Si igitur liquido constat nominibus earum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari; non mirum est quod Scriptura dicit Samuelem visum, etiamsi forte imago Samuelis apparuit, machinamento ejus qui transfiguratur se velut angelum lucis, et ministros suos velut ministros justitiæ².

4º. Jam vero si illud movet, quomodo et a maligno spiritu Saüli vera prædicta sunt: potest et illud mirum videri, quomodo dæmones agnoverint Christum, quem Judæi non agnoscebant³. Cum enim vult Deus etiam per infirmos infernosque spiritus aliquem vera cognoscere, temporalia duntaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, et non incongruum, ut omnipotens et justus ad eorum poenam, quibus ista prædicuntur, ut malum quod eis impendet antequam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu ministeriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit. Unde etiam spiritus Pythonius in Actibus Apostolorum attestatur Paulo apostolo⁴, et Evangelista esse conatur. Miscent tamen isti fallacias, et verum quod nosse potuerint, non docendi magis quam decipiendi fide prænuntiant. Et forte hoc est quod cum illa imago Samuelis Saülem prædiceret moriturum, dixit etiam secum futurum⁵: quod utique falsum est. Magno quippe intervallo post mortem separari bonos a malis in Evangelio legimus, cum Dominus inter superbum illum divitem,

¹ Gen. xli, 18. — ² 1 Cor. xi, 14. — ³ Matth. viii, 29. — ⁴ Act. xvi, 17. — ⁵ 1 Reg. xxviii, 19.

cum jam apud inferos tormenta pateretur¹, et illum qui ad ejus januam ulcerosus jacebat, jam in requie constitutum, magnum chaos interjectum esse testatur. Aut si propterea Samuel Saüli dixit: Mecum eris, ut non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, et uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat; perspicit, quantum opinor, prudentia tua, secundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem qui non sit contra fidem: nisi forte profundiore et perplexiore inquisitione, quæ vel virium mearum vel temporis excedit angustias, inveniatur ad liquidum, vel posse vel non posse animam humanam, cum ex hac vita emigraverit, magicis earminibus evocatam vivorum apparere conspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, ut non solum videri valeat, sed et agnosci. Et si potest, utrum etiam justi anima, non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi occultioribus imperiis summæ legis obtemperans: ut si fieri non posse claruerit, non uterque sensus in hujus Scripturæ tractatione atque expositione admittatur, sed illo excluso, imaginaria simulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam, sive illud fieri possit, sive non possit, tamen fallacia Satanae atque imaginum simulandarum callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis invigilat, pedetentim quidem, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, sed tamen potius existimemus tale aliquid factum maligno Pythonissæ illius ministerio, quandiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

5º. Hæc sunt quæ tunc de Pythonissa et Samuele scripsi. Sed quam non frustra dixerim, pedetentim nos in hac re gesta simulatam Samuelis imaginem maligno Pytho-

¹ Luc. xvi, 26.

nissæ ministerio præsentatam existimare debere, ne inquisitionibus diligentioribus præscribamus, mea posterior inquisitio declaravit, quando inveni in libro Ecclesiastico, ubi patres laudantur ex ordine, ipsum Samuelem sic fuisse laudatum, ut prophetasse etiam mortuus diceretur¹. Sed si et huic libro ex Hebræorum, quia in eorum non est, canone contradicitur: quid de Moyse dicturi sumus, qui certe et in Deuteronomio mortuus², et in Evangelio cum Elia qui mortuus non est³, legitur apparuisse viventibus?

QUÆSTIO VII. — 1º. Septima tua propositio est: « Qualiter satisfaciendum sit eis, qui dicunt Saram stuprum non effugisse, cum dicant Abimelech ab ejus conventionem somnio esse revocatum, et immissum in ejus copulam Pharaonem⁴. »

2º. Quomodo dicant immissum in ejus copulam Pharaonem, non video; cum ad hoc credendum Scriptura non cogat. Accepit enim eam quidem in uxorem, continuoque ditatus est Abraham multis Ægyptiorum muneribus propter illam: sed non scriptum est, quod cum ea Pharaos dormierit, eique permixtus sit; quoniam Deus eum multis magnisque cladibus affligendo id facere non permisit. Non enim placitæ regibus ad conjugium feminae mox etiam carne copulabantur. Sed sicut legimus in libro, qui prænotatur Esther, per aliquot menses, imo per totum annum⁵, unguentis, pigmentis, aromatis accurabantur earum corpora, priusquam corpori regio miscerentur. Hoc ergo spatio facta sunt illa quæ scripta sunt, donec Pharaos contritus et exterritus marito restituisset uxorem. Abimelech autem quoniam somnio est ab ejus commixtione prohibitus, ideo qui Saram stuprum non vitasse contendunt, putant utique regem, ut somniaret,

¹ Eccli. xlvi, 23. — ² Deut. xxxiv, 5. — ³ Matth. xvii, 3. — ⁴ Gen. xx, 2, et xii, 15. — ⁵ Esther, ii, 21.

nonnis post ejus concubitum dormire potuisse. Quasi vero, ut omittam tempus quo accurabantur, ut supra dixi, ad voluptatem regiam corpora foeminarum, non potuerit Deus, primum convenient, eum mergere in somnum, et admonere per somnium.

3^o. Dicam quod factum est in Mauritania Sitifensi. Neque enim Deus sanctorum Patrum, non ipse est etiam Deus noster. Vidiam in proposito continentiae constitutam Celsicechius quidam catechumenus juvenis rapuit, ut haberet uxorem. Antequam concumberent, pressus somno et territus somnio, Sitifensi episcopo eandem vehementissime requirenti, revocavit intactam. Vivunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus et ipso in se facto miraculo conversus ad Dominum, ad episcopatum venerabili probitate pervenit, illa in sancta viduitate persistit.

4^o. Quid autem dixerim contra Faustum Manichaeum; cito calumniaretur patri Abrahæ, quod uxorem suam duobus regibus ad concubitum venditasset, indicant quæ subjecti: Quod autem justum, inquam, et fidelem virum matrimonii sui infamissimum vundinatorem appellans, avaritiæ ac ventris causa duobus regibus, Abimelech ac Pharaoni, diversis temporibus Saram conjugem suam sororem mentitum, quia erat pulcherrima, in concubitum asserit venditasse; non ore veridico a turpitudine separata honestatem, sed ore maledico totum vertit in crimen. Hoc enim Abrahæ factum lenocinio simile videtur; sed non valentibus ex illius aeternæ legis lumine a peccatis recte facta discernere, quibus et constantis, pertinacia videri potest; et virtus fiduciae, vitium putatur audaciæ; et quæcumque similiter obijciuntur quasi non recte agentibus a non recte cernentibus. Neque enim Abraham flagitio consensit uxoris, ejusque vendidit adulterium: sed

Et lib. xxxi contra Faustum, cap. 33.

sicut illa famulam suam non libidini mariti permisit, sed officio generandi ultro intulit, nequamquam ordine naturali, ubi ejus potestas erat jubens potius obediens, quam cedens concupiscenti; sic et ipse conjugem castam, et casto corde sibi coherentem, de cujus animo, ubi pudicitiae virtus habitat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorem, dixit sororem, ne se occiso ab alienigenis atque impiis captiva possideretur; certus de Deo suo, quod nihil eam turpe ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides ac spes fefellit. Namque Phrao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, ubi ejus esse uxorem divinitus didicit, illesam cum honore restituit. Abimelech autem somnio ammonitus et edoctus, similiter fecit.

QUESTIO VIII. — 1^o. « Novissime exponendum poscit de spiritu Dei qui superferebatur super aquam. Quidam enim asseverant, inquis, Spiritum sanctum¹, alii mundanum spiritum dicunt, dicentes quia non potuit historiographus cum creaturis enumerare creatorem, nec huic locum aliquem deputare, qui ubique sit totus, cum Patre videlicet atque Filio. »

2^o. Quid ergo istorum ego senserim, ex primo libro eorum quos de Genesi duodecim, sicut potui, non secundum allegorias, sed secundum rerum gestarum fidem scripsi, in hoc opusculum transtuli²: Inest, inquam, Deo benignitas summa et sancta et justa, et quidam, non ex indigentia, sed ex beneficentia, veniens amor in opera sua. Propterea priusquam scriberetur, « Dixit Deus: Fiat lux³; » præcessit Scriptura, dicens, « Et spiritus Dei superferebatur super aquam. » Quia sive aqua nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo

¹ Gen. 1, 2. — Et lib. de Genesi ad 2. lib. cap. 5 et seq. — 3. Gen. 1, 3.

insinuaret unde facta et formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus; appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concreescere: sive spiritalem vitam quamdam ante formam conversionis quasi fluitantem; superferebatur utique Spiritus Dei: quia subjacebat scilicet bonæ voluntati creatoris, quidquid illud erat, quod formandum perficiendumque inchoaverat; ut dicente Deo in Verbo suo, « Fiat lux; » in bona voluntate, hoc est, in beneplacito ejus, pro modo sui generis maneret quod factum est. Et ideo rectum est quod placuerit Deo, Scriptura dicente, « Et facta est lux. Et vidit Deus lucem » quia bona est. » Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cœli et terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuat creatoris: (nam dicente Scriptura, « In principio fecit Deus cœlum et terram, » intelligimus Patrem in Dei nomine, et Filium in principii nomine, qui non Patri, sed per se ipsum creaturæ primitus, ac potissimum spiritali creaturæ, et consequenter etiam universæ creaturæ principium est; dicente autem Scriptura, « Spiritus » Dei superferebatur super aquam, » completam commemorationem Trinitatis agnoscimus:) ita et in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuetur; Verbum Dei scilicet, et Verbi Generator, cum dicitur, Dixit Deus; et sancta Bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur; « Vidit Deus quia bonum » est. »

3^o. Sed cur commemorata prius, quamvis imperfecta creatura, postea commemoratur Spiritus Dei, prius dicente Scriptura, « Terra autem erat invisibilis et incomposita, » et tenebræ erant super abyssum: » ac deinde inferente,

» Et spiritus Dei superferebatur super aquam? » An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit², ut rebus quas diligit subjiciatur, propterea cum commemoraretur Spiritus Dei, in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est? ne facienda opera sua, per indigentiam necessitatem potius, quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur. Cujus rei memor Apostolus dicturus de charitate, supereminentem viam demonstraturum se ait. Et alio loco, « Supereminentem, » inquit, scientiæ charitatem Christi³. « Cum ergo sic oporteret insinuari Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est, ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur: non autem loco, sed omnia superante ac præcellente potentia.

QUESTIO V. — 1^o. Jam nunc illud quod disserendum distuleram, paulisper intende. Quæris enim quare dixerit Dominus, nimirum præscius futurorum, « Elegi David » secundum cor meum, cum talia tantaque ipse homo » commiserit⁴. »

2^o. Quod quidem, si de ipso David, qui reprobo Saule et extincto fuit rex Israël, dictum intelligamus; magis quia Deus præscius futurorum est, prævidit in eo tantam pietatem tamque veracem pœnitentiam, ut esset in eorum numero, de quibus ipse dicit: « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt » peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum⁵. » Cum ergo præsciret eum Deus peccaturum, et peccata sua pia humilitate et sincera pœnitentia deleturum, cur non diceret: « Inveni David secundum cor » meum; » cui non erat imputaturus peccatum tam multa bona facienti, et cum tanta pietate viventi, et ipsa pietate

¹ Gen. 1, 3. — ² 1 Cor. xii, 31. — ³ Ephes. iii, 19. — ⁴ Act. xiii, 22. — ⁵ Psal. xxxi, 1.

pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter hæc omnia verissime dictum est, « Inveni David » secundum cor meum. » Quia licet secundum cor Dei non esset, quod ille peccavit: tamen secundum cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit. Hoc solum ergo in illo secundum cor Dei non fuit, quod illi Deus non imputavit. Hoc itaque ablato, id est, non imputato, quid remansit, nisi unde verissime diceretur: « Inveni David secundum cor meum? »

3º. Si autem hoc propheticè dictum de Christo velimus accipere, nullus nodus quæstionis occurret; nisi forte ut quærat¹ a nobis, quomodo Christum recte isto nomine vocare potuerit. Sed respondemus propter semen David, ex quo carnem Christus assumpsit. Nec sine exemplo rationem hujus in Christo nominis reddimus. Invenimus quippe apertissime Jesum Christum apud prophetam Ezechielem David esse appellatum, ubi legitur ex persona Dei Patris: « Et suscitabo super pecora mea pastorem » unum, qui pascat ea, servum meum David, et ipse pascet ea, et ipse erit his in pastorem: ego autem Dominus » ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio » eorum; ego Dominus locutus sum¹. » Et alio loco: « Et » rex, inquit, unus erit omnibus imperans, et non erunt » ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna, » neque polluentur ultra in idolis suis et abominationibus » suis et in cunctis iniquitatibus suis: et salvos eos faciam » de universis sedibus suis in quibus peccaverunt, et mun- » dabo eos. Et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus; » et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit » omnium eorum². » Osee quoque propheta, cum præ- » nuntiaret tempus Judæorum, quale nunc habent, et in Christum eos postea credituros, eundem Christum David

¹ Ezech. xxxiv, 23 et 24. — ² Id. xxxvii, 22 et seqq.

nomine prophetavit, dicens: « Quoniam diebus multis » sedebunt filii Israël sine rege, sine principe, sine sacri- » ficio, sine altari; sine sacerdotio, sine manifestationi- » bus¹. » Sic nunc esse Judæos ambigit nemo. Sed quod ait apostolus Paulus, Gentibus loquens: « Sicut enim » vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem miseri- » cordiam consecuti estis in illorum incredulitate; sic et » isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et » ipsi misericordiam consequantur²: » hoc Propheta iste tanto ante prædicens, secutus adjunxit, « Et postea rever- » tentur filii Israël, et inquirent Dominum Deum suum et » David regem suum, et stupescunt in Domino et in bonis » ipsius in novissimis diebus³. » Ecce et hic per David nomen prophetatus est Christus, quoniam quando ista prophetabantur, ille David rex Israël jam olim ante dormierat: Dominus autem Jesus ex ejus semine fuerat in carne venturus; propter quod propheticè loquendi modo appellabatur David. Videtur autem apostolus Paulus hoc testimonium ita posuisse in Actibus Apostolorum, ut non nisi de illo rege David qui Saül successit possit intelligi. Nam inter cætera, « Et exinde, inquit, postulaverunt » regem, et dedit illis Deus Saül, filium Cis, virum de » tribu Benjamin, annis quadraginta. Et amoto illo susci- » tavit illis David regem, cui et testimonium perhibens » dixit, Inveni David filium Jesse, virum secundum cor » meum, qui faciet omnes voluntates meas⁴. » Sed quoniam secutus adjungit et dicit, « Hujus Deus ex semine, » secundum promissionem, adduxit Israël Salvatorem⁵ » Jesum⁵: » altius significavit in Domino Jesu potius esse intelligendum illud testimonium, qui vere fecit omnes voluntates Dei Patris, quam in illo rege David; qui licet

¹ Osee, iii, 4. — ² Rom. xi, 30 et 31 — ³ Osee, iii, 5. — ⁴ Act. xiii, 21. — ⁵ Ibid. 23.

secundum superiorem disputationem, remissis peccatis et non imputatis, propter ipsam quoque piam pœnitentiam, non immerito dici possit inventus secundum cor Dei; tamen omnes voluntates Dei quomodo fecit? Qui cum excellentissime laudaretur, quando ejus tempora et facta Scriptura narravit, notatus est tamen, quod non destruxit excelsa, ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, qui tantummodo in tabernaculo testimonii sibi sacrificari jusserat; quamvis et in iisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo: quæ postmodum excelsa ex ipsius David semine propagatus rex Ezechias cum testimonio magnæ suæ laudis evertit¹.

4º. Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de istis rebus invenisti melius; sive invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse. Ego enim, quod et supra de me commemoravi, magis amo discere, quam docere.

¹ 4 Reg. xvii, 4.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLÆ

SECUNDUM ORDINEM TEMPORUM

NUNC PRIMUM DISPOSITÆ

ET QUATUOR IN PARTES DIGESTÆ.

Classis I continet Epistolas, quas scripsit nondum episcopus, ab anno Christi videlicet 386 ad 395.

II. Quas episcopus ante collationem Carthaginensem cum Donatistis habitam, et ante detectam in Africa Pelagii hæresim scripsit, ab anno 396 ad 410.

III. Quas scripsit reliquo vitæ tempore, ab anno 411 ad 430.

IV. Nonnullas ipso etiam episcopo scriptas complectitur, quarum tempus minus compertum.

CLASSES I et II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

secundum superiorem disputationem, remissis peccatis et non imputatis, propter ipsam quoque piam pœnitentiam, non immerito dici possit inventus secundum cor Dei; tamen omnes voluntates Dei quomodo fecit? Qui cum excellentissime laudaretur, quando ejus tempora et facta Scriptura narravit, notatus est tamen, quod non destruxit excelsa, ubi sacrificabat populus Dei contra præceptum Dei, qui tantummodo in tabernaculo testimonii sibi sacrificari jusserat; quamvis et in iisdem excelsis eidem sacrificaretur Deo: quæ postmodum excelsa ex ipsius David semine propagatus rex Ezechias cum testimonio magnæ suæ laudis evertit¹.

4º. Sicut potui, respondi inquisitionibus tuis. Si quid de istis rebus invenisti melius; sive invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse. Ego enim, quod et supra de me commemoravi, magis amo discere, quam docere.

¹ 4 Reg. xvii, 4.

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLÆ

SECUNDUM ORDINEM TEMPORUM

NUNC PRIMUM DISPOSITÆ

ET QUATUOR IN PARTES DIGESTÆ.

Classis I continet Epistolas, quas scripsit nondum episcopus, ab anno Christi videlicet 386 ad 395.

II. Quas episcopus ante collationem Carthaginensem cum Donatistis habitam, et ante detectam in Africa Pelagii hæresim scripsit, ab anno 396 ad 410.

III. Quas scripsit reliquo vitæ tempore, ab anno 411 ad 430.

IV. Nonnullas ipso etiam episcopo scriptas complectitur, quarum tempus minus compertum.

CLASSES I et II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CLASSIS I.

EPISTOLA I¹.

HERMOGENIANO AUGUSTINUS.

Consilium aperit Augustinus suorum librorum de Academicis, et Hermogenianum sententiam rogat de eo, quod sub finem tertii libri de iisdem philosophis pronuntiavit.

I. ACADEMICOS ego ne inter jocandum quidem unquam lacessere auderem : quando enim me tantorum virorum non moveret auctoritas, nisi eos putarem longe in alia, quam vulgo creditum est, fuisse sententia? Quare potius eos imitatus sum quantum valui, quam expugnavi, quod omnino non valeo. Videtur enim mihi satis congruisse temporibus, ut si quid sincerum de fonte Platónico flueret, inter umbrosa et spinosa dumeta potius in pastionem paucissimorum hominum duceretur, quam per aperta manans irruentibus passim pecoribus nullo modo posset liquidum purumque servari. Quid enim convenientius pecori est, quam putari animam corpus esse? contra huiusmodi homines opinor ego illam utiliter excogitatum Dei veri² artem atque rationem. Hoc autem sæculo cum jam nullos videamus philosophos, nisi forte amiculo corporis, quos quidem haud censuerim dignos tam venerabili nomine, reducendi mihi videntur homines (si quos Academicorum

¹ Alias cccxiii. quæ autem i erat, nunc cxxxii. — Scripta circiter finem anni 386. — ² Forte tegendi veri.

per verborum ingenium a rerum comprehensione deterruit sententia) in spem reperiendæ veritatis : ne id quod eradicandis altissimis erroribus pro tempore accommodatum fuit, jam incipiat inserendæ scientiæ impedimento esse.

II. Tantum enim tunc variarum sectarum studia flagrabant, ut nihil metuendum esset nisi falsi approbatio. Pulsus autem quisque illis argumentis ab eo, quod se firmum et inconcussum tenere crediderat, tanto constantius atque cautius aliud quærebat, quanto et in moribus major erat industria, et in natura rerum atque animorum altissima et implicitissima latere veritas sentiebatur. Tanta porro nunc fuga laboris et incuria bonarum artium, ut simul atque sonuerit, acutissimis philosophis esse visum nihil posse comprehendi : dimittant mentes et in æternum obducant. Non enim audent vivaciores se illis credere, ut sibi appareat, quod tanto studio, ingenio, otio, tam denique multa multiplicique doctrina, postremo vita etiam longissima Carneades invenire non potuit. Si vero etiam aliquantum obnitentes adversus pigritiam, legerint eosdem libros, quibus quasi ostenditur naturæ humanæ denegata perceptio; tanto torpore indormiscunt, ut nec cœlesti tuba evigilent.

III. Quamobrem cum gratissimum habeam fidele iudicium tuum de libellis meis, tantumque in te momenti ponam, ut nec error in tuam prudentiam, nec in amicitiam simulatio cadere possit, illud magis peto diligentius consideres, mihi que rescribas, utrum approbes quod in extremo tertii libri suspiciosius fortasse quam certius; utilius tamen, ut arbitror, quam incredibilius putavi credendum. Equidem quoquo modo se habeant illæ litteræ, non tam me delectat quod, ut scribis, Academicos vice- rim, (scribis enim hoc amantius forte quam verius,) quam

quod mihi abruperim odiosissimum retinaculum, quo ab philosophiæ ubere desperatione veri, quod est animi pabulum, refrenabar.

EPISTOLA II¹.

ZENOBIO (1) AUGUSTINUS.

Zenobio desiderium exponit suum, ut disputationem inter se coeptam, inter se finiant.

I. BENE inter nos convenit, ut opinor, omnia quæ corporeus sensus attingit, ne puncto quidem temporis eodem modo manere posse, sed labi, effluere et præsens nihil obtinere, id est, ut latine loquar, non esse. Horum itaque perniciosissimum amorem, poenarumque plenissimum, vera et divina philosophia monet frenare atque sopire: ut se toto animus, etiam dum hoc corpus agit, in ea quæ semper ejusdem modi sunt, nec peregrino pulchro placent, feratur atque æstuet. Quæ cum ita sint, et cum te verum ac simplicem, qualis sine ulla sollicitudine amari potes, in semetipsa mens videat, fatemur tamen congressum istum atque conspectum tuum, cum a nobis corpore discedis, locisque sejungeris, quærere nos, eoque dum licet cupere. Quod profecto vitium, si te bene novi, amas in nobis: et cum omnia bona optes charissimis et familiarissimis tuis, ab hoc eos sanari metuis. Si autem tam potenti animo es, ut et agnoscere hunc laqueum, et eo captos irridere valeas, næ tu magnus atque alius. Ego quidem quandiu desiderio absentem, desiderari me volo.

¹ Alias cxxiv. quæ autem erat ii, nunc cxxxv. — Scripta circa finem anni 386.

Invigilo tamen, quantum queo, et enitor, ut nihil amem quod abesse a me invito potest. Quocum officio commoneo te interim, qualiscumque sis, inchoatam tecum disputationem perficiendam, si curæ nobismetipsis sumus. Nam eam cum Alypio perfici nequaquam sinerem, etiamsi vellet. Non vult autem. Non enim est humanitatis ejus nunc mecum operam dare, ut in quam multis possemus litteris te nobiscum teneamus, nescio qua necessitate fugientem.

EPISTOLA III¹.

NEBRIDIO (1) AUGUSTINUS.

Nebridio respondet Augustinus immerito se ab ipso vocari beatum, qui tam multa ignoret. Qua in re sita sit vera beatitudo.

I. UTRUM nescio quo, ut ita dicam, blandiloquio tuo factum putem an vere ita se res habeat; incertum apud me est. Nam repente accidit, nec satis deliberatum est, quatenus debeat committi fidei. Expectas quid isthuc sit. Quid censes? Prope persuasisti mihi, non quidem beatum esse me; nam id solius sapientis prædium est: sed certe quasi beatum: ut dicimus hominem, quasi hominem in comparatione hominis illius quem Plato noverat; aut quasi rotunda et quasi quadra ea quæ videmus, cum longe ab eis absint quæ paucorum animus videt. Legi enim litteras tuas ad lucernam jam cœnatus; proxime erat cubitio, sed non ita etiam dormitio: quippe diu mecum

¹ Alias cli. quæ autem iii erat, nunc cxxxvii. — Scripta anno 387.

in lecto situs cogitavi, atque has loquelas habui, Augustinus ipse cum Augustino: Nonne verum est quod Nebridio placet, beatos nos esse? non utique: nam stultos adhuc esse, nec ipse audet negare. Quid si etiam stultis beata vita contingit? durum, quasi vero parva, vel alia ulla miseria sit quam ipsa stultitia. Unde ergo illi visum est? an lectis illis libellis etiam sapientem me ausus est credere? Non usque adeo temeraria est lætitia gestiens, præsertim hominis, cujus quanti ponderis consideratio sit, bene novimus. Illud igitur est; scripsit quod nobis putavit dulcissimum fore; quia et illi dulces factum est, quidquid posuimus in illis litteris, et scripsit gaudens, nec curavit quid committendum gaudenti calamo esset. Quid si *Soliloquia* legisset? lætaretur multo exundantius, nec tamen reperiret plus aliquid, quod me appellaret, quam beatum. Cito ergo summum nomen effudit in me, nec sibi aliquid reservavit, quod de me lætior asseveret. Vide lætitia quid faciat.

II. Sed ubi est ista beata vita? ubi? ubinam? O si ipsa esset, repelleret atomos Epicuri. O si ipsa esset, sciret nihil deorsum esse, præter mundum. O si ipsa esset, nosset extrema spheræ tardius rotari quam medium, et alia similia, quæ similiter novimus. Nunc vero quomodo vel qualiscumque beatus sum, qui nescio cur tantus mundus sit, cum rationes figurarum per quas est, nihil prohibeant esse, quanto quis voluerit, ampliore? Aut quomodo non mihi diceretur, imo non cogeremur confiteri corpora in infinitum secari, ut a certa velut basi in quantitatem certam certus corpusculorum numerus surgeret? Quare cum corpus nullum esse minimum sinitur, quo pacto sinamus esse amplissimum, quo amplius esse non possit: nisi forte illud quod Alypio aliquando dixi occultissime, habet magnam vim: ut quoniam numerus ille intelligibilis in-

finite crescit, non tamen infinite minuitur, nam non eum licet ultra monadem resolvere: contra sensibilis (nam quid est aliud sensibilis numerus, nisi corporeum vel corporum quantitas?) minui quidem infinite, sed infinite crescere nequeat. Et ideo fortasse merito philosophi in rebus intelligibilibus divitias ponunt, in sensibilibus egestatem. Quid enim ærumnosius, quam minus atque minus semper posse fieri? Quid ditius, quam crescere quantum velis, ire quo velis, redire cum velis, quo usque velis, et hoc multum amare, quod minui non potest? Quisquis namque intelligit istos numeros, nihil sic amat ut monadem, nec mirum, cum per eam fiat, ut cæteri amentur. Sed tamen cur tantus est mundus? Poterat enim esse vel major, vel brevior: nescio. Tale est enim. Et cur hoc loco potius quam illo: nec in ea re debet esse quæstio, ubi quidquid esset, quæstio esset. Unum illud multum movebat, quod infinite corpora secarentur. Cui fortasse responsum est, de vi contraria intelligibilis numeri.

III. Sed expecta, videamus quid sit hoc nescio quid, quod suggeritur menti: certe sensibilis mundus, nescio cujus intelligibilis imago esse dicitur. Mirum autem est, quod in imaginibus videmus, quas specula referunt: nam quamvis ingentia specula sint, non reddunt majores imagines, quam sunt corpora etiam brevissima objeca. In parvis autem specillis, sicut in pupillis oculorum, etsi magna facies sese opponat, brevissima imago pro modo speculi formatur. Ergo et imagines corporum minui licet, si specula minuantur: augeri, si augeantur, non licet. Hic profecto aliquid latet, sed nunc dormiendum est. Neque enim Nebridio beatus quærendo videor, sed fortasse aliquid inveniundo. Id autem aliquid quid est? an illa ratiocinatio, cui tanquam unice meæ blandiri soleo, et ea me nimis oblectare?

IV. Unde constamus? ex animo et corpore. Quid horum melius? videlicet animus. Quid laudant in corpore? nihil aliud video quam pulchritudinem. Quid est corporis pulchritudo? congruentia partium cum quadam coloris suavitate. Hæc forma ubi vera melior, an ubi falsa? quis dubitet ubi vera est, esse meliorem? Ubi ergo vera est? in animo scilicet. Animus igitur magis amandus est quam corpus. Sed in qua parte animi ista est veritas? in mente atque intelligentia. Quid huic adversatur? sensus. Resistendum ergo sensibus totis animi viribus? liquet. Quid si sensibilia nimium delectant? fiat ut non delectent. Unde fit? consuetudine iis carendi appetendique meliora. Quid si moritur animus? ergo moritur veritas, aut non est intelligentia veritas, aut intelligentia non est in animo, aut potest mori aliquid in quo aliquid immortale est: nihil autem horum fieri posse Soliloquia nostra jam continent, satique persuasum est: sed nescio qua consuetudine malorum territamur atque titubamus. Postremo etiamsi moritur animus, quod nullo modo posse fieri video, non esse tamen beatam vitam in lætitia sensibilium, hoc otio satis exploratum est. His rebus fortasse atque talibus Nebridio meo si non beatus, at certe quasi beatus videor: videar et mihi: quid inde perdo, aut cur parcam bonæ opinioni? Hæc mihi dixi: deinde oravi, ut solebam, atque dormivi.

V. Hæc placuit scribere tibi. Delectat enim me quod mihi gratias agis, si nihil te quod in buccam venerit celem, et gaudeo, quia sic tibi placeo. Apud quem igitur libentius ineptiam, quam cui displicere non possum? at si in potestate fortunæ est, ut hominem amet homo, vide quam beatus sim, qui de fortuitis tam multum gaudeo, et talia bona, fateor, desidero mihi ubertim accrescere. Fortunæ autem bona verissimi sapientes, quos solos beatos fas est vocari, nec timeri voluerunt, nec cupi, an cupiri, tu

videris. Et belle accidit. Nam volo me declinationis hujus gnarum facias. Cum enim adjungo verba similia, incertor fio. Nam ita est cupio, ut fugio, ut sapio, ut jacio, ut capio; sed utrum fugiri an fugi, utrum sapiiri an sapi, sit modus infinitus, ignoro. Possem attendere jaci et capi, ni vereretur ne me caperet, et pro ludibrio jaceret quo vellet, qui aliud jactum et captum, aliud fugitum, cupitum, sapitum esse convinceret. Quæ item tria, utrum penultima longa et inflexa, an gravi brevique pronuntianda sint, similiter nescio. Provocaverim te ad epistolam longiorem, peto ut paulo diutius te legam. Nam non queo tantum dicere, quantum volupe est legere te.

EPISTOLA IV¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

Augustinus Nebridio, significans ei quantum profecerit in secessu, complatione rerum æternarum.

I. MIRUM admodum est, quam mihi præter spem evenit, quod cum requiro quibus epistolis tuis mihi respondendum remanserit, unam tantum inveni, quæ me adhuc debitorem teneret, qua petis ut tanto nostro otio, quantum esse arbitraris tecum, aut nobiscum cupis, indicemus tibi quid in sensibilis atque intelligibilis naturæ discernentia, profecerimus. Sed non arbitror occultum tibi esse, si falsis opinionibus tanto quisque inseritur magis, quanto magis in eis familiarisque volutatur, multo id facilius in rebus veris animo accidere. Ita tamen pau-

¹ Alias cxvii. quæ autem iv erat, nunc cxxxvi. — Scripta circa annum 387.

tamen paulatim ut per ætatem proficimus. Quippe cum plurimum inter puerum et juvenem distet, nemo a pueritia quotidie interrogatus se aliquando juvenem dicet.

II. Quod nolò in eam partem accipias, ut nos in his rebus quasi ad quamdam mentis juventutem firmioris intelligentiæ robore pervenisse existimes. Pueri enim sumus, sed ut dici assolet, forsitan belli, et non mali. Nam plerumque perturbatos et sensibilibus plagarum curis refertos mentis oculos illa tibi notissima ratiuncula in respirationem levat, mentem atque intelligentiam oculis et hoc vulgari aspectu esse meliorem: quod non ita esset, nisi magis essent illa quæ intelligimus, quam ista quæ cernimus. Cui ratiocinationi utrum nihil valide inimicum sit, peto mecum consideres. Hac ego interim recreatus, cum Deo in auxilium deprecato, et in ipsum, et in ea quæ verissime vera sunt attolli cœpero, tanta nonnunquam rerum manentium præsumptione compleor, ut mirer interdum illa mihi opus esse ratiocinatione, ut hæc esse credam, quæ tanta insunt præsentia, quanta sibi quisque sit præsens. Recole tu quoque: nam te fateor hujus rei esse diligentiorum, ne quid forte nesciens rescriptis adhuc debeam. Nam mihi non facit fidem tam multorum onerum, quæ aliquando numeraveram, tam repentina depositio: quamvis te accepisse litteras meas non dubitem, quarum rescripta non habeo.

EPISTOLA V¹.

AUGUSTINO NEBRIDIUS.

Augustinum Nebridius deplorat, quod nimium interpelletur civium negotiis ab otio contemplationis.

« ITA-NE est, mi Augustine, fortitudinem ac tolerantiam negotiis civium præstas, necdum tibi redditur illa exoptata cessatio? Quæso, qui te tam bonum homines interpellant? credo qui nesciunt quid ames, quid concupiscas. Nullus-nè tibi est amicorum, qui eis amores referat tuos? Nec Romanianus nec Lucinianus? Me certe audiant. Ego clamabo, ego testabor, te Deum amare, illi servire atque inhærere cupere. Vellem ego te in rus meum vocare, ibique acquiescere. Non enim timebo me seductorem tui dici a civibus tuis, quos nimium amas, et a quibus nimium amaris. »

¹ Alias cxiv. quæ autem v erat, nunc cxxxviii. — Scripta circa finem anni 368.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

EPISTOLA VI¹.

AUGUSTINO NEBRIDIUS.

Scribit Nebridius videri sibi memoriam sine phantasia esse non posse; tum etiam phantasie vim non a sensu, sed a se potius imagines rerum habere.

I. « EPISTOLAS tuas perplacet ita servare ut oculos meos. Sunt enim magnæ, non quantitate, sed rebus, et magnarum rerum magnas continent probationes. Illæ mihi Christum, illæ Platonem, illæ Plotinum sonabunt. Erunt igitur mihi, et ad audiendum propter eloquentiam dulces, et ad legendum propter brevitatem faciles, et ad intelligendum propter sapientiam salubres. Curabis ergo quod tuæ menti sanctum bonumve fuerit visum, me docere. His autem litteris respondebis, cum de phantasia et memoria subtilius aliquid disputaris. Mihi enim ita videtur, quod quamvis non omnis phantasia cum memoria sit, omnis tamen memoria sine phantasia esse non possit. Sed dicis: Quid cum recordamur nos intellexisse, aut cogitasse aliquid? Contra hæc ego respondeo et dico, propterea hoc evenisse, quia cum intelleximus vel cogitavimus corporeum ac temporale aliquid, genuimus quod ad phantasiam pertinet: nam aut verba intellectui cogitationibusque nostris adjunximus, quæ verba sine tempore non sunt, et ad sensum vel phantasiam pertinent: aut tale aliquid intellectus noster cogitatione passus est, quod in animo

¹ Alias LXXI. quæ autem VI erat, nunc CXXII. — Scripta circa initium anni 389.

phantastico memoriam facere potuisset. Hæc ego inconsiderate ac perturbate, ut soleo, dixi: tu explorabis, et falso rejecto, veritatem in litteris conferes.»

II. « Audi aliud: Cur, quæso te, non a se potius quam a sensu phantasiam habere omnes imagines dicimus? Potest enim, quemadmodum animus intellectualis ad intelligibilia sua videnda a sensu admonetur potius quam aliquid accipit, ita et phantasticus animus ad imagines suas contemplandas, a sensu admoneri potius quam aliquid assumere. Nam forte inde contingit, ut ea quæ sensus non videt, ille tamen aspicere possit: quod signum est, in se et a se habere omnes imagines. De hac re quoque quid sentias, respondebis.»

EPISTOLA VII¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

Augustinus questionem utramque a Nebridio motum discutit.

I. PROOEMIO supersidam, et cito incipiam quod me jamque vis dicere, præsertim non cito desiturus. Memoria tibi nulla videtur esse posse sine imaginibus vel imaginariis visis, quæ phantasiarum nomine appellare voluisti: ego aliud existimo. Primum ergo videndum est, non nos semper rerum prætereuntium meminisse, sed plerumque nentium. Quare cum sibi memoria præteriti temporis vindicet tenacitatem: constat eam tamen partim eorum esse, quæ nos deserunt, partim eorum, quæ deseruntur a no-

¹ Alias LXXII. quæ autem VII erat, nunc CXLIII. — Scripta circa initium anni 389.

bis. Nam cum recordor patrem meum, id utique recordor quod me deseruit, et nunc non est: cum autem Carthaginem, id quod est, et quod ipse deserui. In utroque tamen generum horum præteritum tempus memoria tenet. Nam et illum hominem, et istam urbem, ex eo quod vidi, non ex eo quod video, memini.

II. Hic tu fortasse quæris: Quorsum ista? præsertim cum animadvertas utrumlibet horum non posse in memoriam venire, nisi viso illo imaginario. At mihi satis est sic interim ostendisse, posse dici earum etiam rerum, quæ nondum interierunt, memoriam. Verum quid me adjuvet, facito intentus accipias. Nonnulli calumniantur adversus Soeraticum illud nobilissimum inventum, quo asseritur, non nobis ea quæ discimus, veluti nova inseri, sed in memoriam recordatione revocari; dicentes memoriam præteritarum rerum esse, hæc autem quæ intelligendo discimus, Platone ipso auctore, manere semper, nec posse interire, ac per hoc non esse præterita: qui non attendunt illam visionem esse præteritam: qua hæc aliquando vidimus mente; a quibus quia defluximus, et aliter alia videre coepimus, ea nos reminiscendo revivere, id est, per memoriam. Quamobrem si, ut alia omitam, ipsa æternitas semper manet, nec aliqua imaginaria figmenta conquirat, quibus in mentem quasi vehiculis veniat, nec tamen venire posset, nisi ejus meminisset, potest esse quarumdam rerum sine ulla imaginatione memoria.

III. Jam vero quod tibi videtur anima etiam non usa sensibus corporis corporalja posse imaginari, falsum esse convincitur isto modo: Si anima priusquam corpore utatur ad corpora sentienda, eadem corpora imaginari potest, et melius (quod nemo sanus ambigit) affecta erat antequam his fallacibus sensibus implicaretur, melius affi-

ciuntur animæ dormientium quam vigilantium, melius phreneticorum quam tali peste carentium: his enim afficiuntur imaginibus, quibus ante istos sensus vanissimos nuntios afficiebantur: et aut verior erit sol quem vident illi, quam ille quem sani atque vigilantes; aut erunt veris falsa meliora. Quæ si absurda sunt, sicuti sunt, nihil est aliud illa imaginatio, mi Nebridi, quam plaga inflata per sensus, quibus non, ut tu scribis, commemoratio quædam fit ut talia formentur in anima, sed ipsa hujus falsitatis illatio, sive, ut expressius dicatur, impressio. Quod sane te movet, quæ fiat ut eas facies formasque cogitemus, quas nunquam vidimus, acute movet. Itaque faciam quod ultra solitum modum hanc epistolam porrigat; sed non apud te, cui nulla est pagina gratior, quam quæ me loquaciorem apportat tibi.

IV. Omnes has imagines, quas phantasias cum multis vocas, in tria genera commodissime ac verissime distribui video. Quorum est unum sensus rebus impressum, alterum putatis, tertium ratis. Primi generis exempla sunt, cum mihi tuam faciem vel Carthaginem, vel familiarem quondam nostrum Verecundum (3), et si quid aliud manentium vel mortuarum rerum, quas tamen vidi atque sensi, in se animus format. Alteri generi subjiciuntur illa, quæ putamus ita se habuisse vel ita se habere, velut cum disserendi gratia quædam ipsi fingimus nequaquam impediencia veritatem, vel qualia figuramus cum legimus historias; et cum fabulosa vel audimus vel componimus vel suspicamur. Ego enim mihi ut libet atque ut occurrit animo, *Æneæ* faciem fingo, ego *Medeæ* cum suis anguib; alitibus junctis jugo, ego *Chremetis* et alicujus *Parmenonis*. In hoc genere sunt etiam illa, quæ sive sapientes, aliquid veri talibus involventes figuris, sive stulti variarum superstitionum conditores pro vero attulerunt, ut est tarta-

reus Phlegethon, et quinque antra gentis tenebrarum, et stylus Septentrionalis continens cœlum, et alia poëtarum atque hæreticorum mille portenta. Dicimus tamen et inter disputandum, puta esse tres super invicem mundos, qualis hic unus est: et, puta quadrata figura terram contineri; et similia. Hæc enim omnia, ut se cogitationis tempestas habuerit, fingimus et putamus. Nam de rebus quod ad tertium genus attinet imaginum numeris maxime atque dimensionibus agitur: quod partim est in rerum natura, velut cum totius mundi figura invenitur, et hanc inventionem in animo cogitantis imago sequitur: partim in disciplinis tanquam in figuris geometricis et rhythmicis musicis, et infinita varietate numerorum: quæ quamvis vera, sicut ego autumo, comprehendantur, gignunt tamen falsas imaginationes, quibus ipsa ratio vix resistit: tametsi nec ipsam disciplinam disserendi carere hoc malo facile est, cum in divisionibus et conclusionibus quosdam quasi calculos imaginamur.

V. In hac tota imaginum sylva, credo tibi non videri primum illud genus ad animam, priusquam inhæreat sensibus, pertinere; neque hinc diutius disputandum: de duobus reliquis jure adhuc quæri posset, nisi manifestum esset, animam minus esse obnoxiam falsitatibus, nondum passam sensibilibus sensuumque vanitatem: at istas imagines quis dubitaverit istis sensibilibus multo esse falsiores? Nam illa quæ putamus et credimus, sive fingimus, et ex omni parte omnino falsa sunt, et certe longe ut cernis veriora sunt, quæ videmus atque sentimus. Jam in illo tertio genere quodlibet spatium corporale animo figuravero, quanquam id rationibus disciplinarum minime fallentibus cogitatio peperisse videatur, ipsis rursus rationibus arguentibus, falsum esse convinco. Quo fit, ut nullo pacto animam credam nondum corpore sentien-

tem, nondum per sensus vanissimos mortali et fugaci substantia, verberatam, in tanta falsitatis ignominia jacuisse.

VI. Unde ergo evenit, ut quæ non vidimus cogitemus; Quid putas, nisi esse vim quamdam minuendi et augendi animæ insitam, quam quocumque venerit necesse est afferat secum? quæ vis in numeris præcipue animadverti potest. Hac fit, verbi gratia, ut corvi quasi ob oculos imago constituta, quæ videlicet aspectibus nota est, demendo et addendo quædam, ad quamlibet omnino nunquam visam imaginem perducatur. Hac evenit ut per consuetudinem volventibus sese in talibus animis, figuræ hujusmodi velut sua sponte cogitationibus irruant. Licet igitur animæ imaginanti, ex his quæ illi sensus invexit, demendo, ut dictum est, et ad dendo, eâ gignere, quæ nullo sensu attingit tota; partes vero eorum, quæ in aliis atque aliis rebus attigerat. Ita nos pueri apud mediterraneos nati atque nutriti, vel in parvo calice aqua visa; jam imaginari maria poteramus; cum sapor fragorum et cornorum, antequam in Italia gustaremus, nullo modo veniret in mentem. Hinc est quod a primâ ætate cæci, cum de luce coloribusque interrogantur, quid respondeant non inveniunt. Non enim coloratas ullas patiuntur imagines, qui senserunt nullas.

VII. Nec mirere quo pacto ea, quæ in rerum natura figurantur et fingi possunt, non primo in anima quæ omnibus inest commixta volvantur, cum ea nunquam extrinsecus senserit. Nam etiam nos cum indignando aut lætando, cæterisque hujusmodi animi motibus, multos in nostro corpore vultus coloresque formamus, prius² nostra cogitatio quod facere possimus tales imagines concipit. Consequuntur ista miris illis modis, et committendis cogitationi tuæ cum in anima sine ulla corporalium figura falsitatum numeri acituntur occulti. Ex quo intelligas velim

² Forte non prius.

cum tam multos animi motus esse sentias expertes omnium, de quibus nunc quæris imaginum, quolibet alio motu animam sortiri corpus quam sensibilibus cogitatione formarum, quas eam priusquam corpore sensibusque utatur, nullo modo arbitror pati posse. Quamobrem pro nostra familiaritate, et pro ipsius divini juris fide sedulo monuerim, charissime mihi ac jucundissime, nullam cum istis infernis umbris copules amicitiam, neve illam, quæ copulata est, cunctere divellere. Nullo enim modo resistitur corporis sensibus, quæ nobis sacratissima disciplina est, si per eos inflicis plagis, vulneribusque blandimur.

EPISTOLA VIII¹.

AUGUSTINO NEBRIDIUS.

Quanam cœlestium potestatum in animam actione fiat ut imagines ad somnia dormienti subrepant.

I. « FERTINANTI mihi ad rem pervenire, nullum proœmium, nullum placet exordium. Quî fit, mi Augustine, vel qui modus est ille, quo utuntur superiores potestates, quas cœlestes intelligi volo, cum eis placet nobis dormientibus aliqua somnia demonstrare? Qui, inquam, modus est, id est quomodo id faciunt, qua arte, quibus manibus, quibusve instrumentis aut medicamentis? animum-ne nostrum per cogitationes suas impellunt, ut nos etiam ea cogitando imaginemur? An ipsa in suo corpore, vel in sua phantasia, facta nobis offerunt et ostendunt;

¹ Alias cccxlv. quæ autem viii erat, nunc xxviii. — Scripta paulo post posteriorem Epist.

Sed si in suo corpore ea faciunt, sequitur ut et nos alios oculos corporeos intrinsecus habeamus cum dormimus, quibus illa videamus, quæ illi in suo corpore formaverint. Si vero ad istas res non corpore adjuvantur suo, sed in phantastico suo ista disponunt, atque ita phantastica nostra contingunt, et fit visum, quod est somnium; cur quæro te, non ego phantastico meo tuum phantasticum ea somnia generare compello, quæ mihi primo in eo ipse formavi? Certe et mihi est phantasia, et quod volo potens est fingere, cum omnino nullum tibi facio somnium, sed ipsum corpus nostrum video in nobis somnia generare. Nam cum semel habuerit per affectum quo animæ copulatur, cogit nos id ipsum miris modis per phantasiam simulare. Sæpe dormientes cum sitimus, bibere somniamus, et esurientes quasi comedentes videmur; et multa talia, quæ quasi commercio quodam a corpore in animam phantastice transferuntur. Hæc pro sui obscuritate, pro nostraque imperitia ne mireris, si minus eleganter minusque subtiliter explicata sunt: tu id facere quantum poteris laborabis. »

EPISTOLA IX¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

Questioni de somniis per superiores potestates immisissis respondet.

I. QUANQUAM mei animi cognitor sis, fortasse tamen ignoras quantum velim præsentia tua frui. Verum hoc tam magnum beneficium Deus quandoque præstabit. Legi

¹ Alias cxv. quæ autem ix erat, nunc xl. — Scripta post posterior. Epist.

rectissimam epistolam tuam, in qua de solitudine questus es, et quadam desertione a familiaribus tuis, cum quibus vita dulcissima est. Sed quid aliud hic tibi dicam, nisi quod te non dubito facere. Confer te ad tuum animum, et illum in Deum leva, quantum potes. Ibi enim certius habes et nos, non per corporeas imagines, quibus nunc in nostra recordatione uti necesse est; sed per illam cogitationem, qua intelligis non loco esse nos simul.

II. Epistolas tuas cum considerarem, quibus non dubium tibi quærenti magna respondi, vehementer me illa terruit, qua percontaris quomodo fiat, ut nobis a superioribus potestatibus vel a dæmonibus et cogitationes quædam inserantur et somnia. Magna enim res est, cui tu quoque pro tua prudentia perspicis, non epistola, sed aut præsentis collocutione, aut aliquo libello respondendum esse. Tentabo tamen, callens ingenium tuum, quædam quæstionis hujus lumina præseminare, ut aut cætera tecum ipse contexas, aut posse ad rei tantæ probabilem investigationem perveniri minime desperes.

III. Arbitror enim omnem motum animi aliquid facere in corpore. Id autem usque ad nostros exire sensus, tam hebetes, tamque tardos, cum sunt majores animi motus; velut cum irascimur, aut tristes, aut gaudentes sumus. Ex quo licet conjicere, cum etiam cogitamus aliquid, neque id nobis in nostro corpore apparet, apparere tamen posse aëriis æthereisque animantibus¹, quorum et sensus acerrimus, et in cujus comparatione noster ne sensus quidem putandus est. Igitur ea quæ, ut ita dicam, vestigia sui motus animus figit in corpore, possunt et manere, et quemdam quasi habitum facere, quæ latenter cum agitata fuerint et contrectata, secundum agitantis et contrectantis voluntatem, ingerunt nobis cogitationes et som-

¹ Dæmonibus. Vide lib. 1 contra Academ. cap. 7, num. 20.

nia; atque id fit mira facilitate. Si enim nostrorum corporum terrenorum et tardissimorum exercitationes, agendis organis musicis, seu in funiambulo, cæterisque hujusmodi spectaculis innumerabilibus, ad quædam incredibilia pervenisse manifestum est; nequaquam est absurdum, eos qui aërio vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longe majore uti facilitate ad movendum quidquid volunt, non sentientibus nobis, et tamen inde aliquid perpetientibus. Neque enim etiam quomodo fellis abundantia nos ad iram crebriorem cogat sentimus, et tamen cogit, cum hæc ipsa, quam dixi, abundantia facta sit irascentibus nobis.

IV. Sed hoc tamen si non vis simile a nobis prætereunter accipere, versa id cogitatione quantum potes. Nam si animo existat assidue aliqua difficultas agendi atque implendi quod cupit, assidue irascitur. Ira est autem, quantum mea fert opinio, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus; et aleatores tesseriis, et pictores penicillo, et cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur. Hac autem assiduitate irascendi fel crescere etiam medici affirmant. Cremento autem fellis rursus et facile ac prope nullis causis existentibus irascimur. Ita quod suo motu animus fecit in corpore, ad eum rursus commovendum valebit.

V. Possunt latissime ista tractari, et multis rerum testimoniis ad certiore pleniorque perducere notitiam. Sed huic epistolæ adijunge illam, quam tibi nuper de imaginibus et de memoria misi et eam diligentius pertracta. Nam minus plene a te intellecta rescripto tuo mihi apparuit. Huic ergo quam nunc legis cum adjunxeris de illa quod dictum ibi est, de naturali quadam facultate animi

minuentis, et augmentis cogitatione quodlibet : fortasse etiam formæ corporum, quas nunquam vidimus, vel cogitando apud nos vel somniando figurentur.

EPISTOLA X¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

De convictu cum Nebridio et secessione a mundanarum tumultu.

I. **NUNQUAM** æque quidquam tuarum inquisitionum me in cogitando tenuit æstuantem, atque illud quod recentissimis litteris tuis legi, ubi nos arguis quod consulere negligamus, ut una nobis vivere liceat. Magnum crimen, et nisi falsum esset, periculosissimum. Sed cum probabilis ratio demonstrare videatur, hic nos potius quam Carthagini, vel etiam ruri, ex sententia posse degere, quid tecum agam, mi Nebridii, prorsus incertus sum. Mittatur ne ad te accommodissimum tibi vehiculum? nam basterna (4) innoxie te vehi posse noster Lucinianus auctor est. At matrem cogito, ut quæ absentiam sani non ferebat, imbecilli multo minus esse laturam. Veniam-ne ipse ad vos? at hic sunt qui nec venire mecum queant, et quos deserere nefas putem. Tu enim potes et apud tuam mentem suaviter habitare : ii vero ut idem possint, satagitur. Eam-ne crebro et redeam, et nunc tecum, nunc cum ipsis sim? at hoc neque simul, neque ex sententia vivere est.

¹ Alias cxvi. quæ autem x. erat, nunc lxxi. — Scripta paulo post posteriorem Epist.

Non enim brevis est via, sed tanta omnino, cujus peragenda negotium sæpe suscipere, non sit ad optatum otium pervenisse. Huc accedit infirmitas corporis, qua ego quoque, ut nosti, non valeo quod volo, nisi omnino desinam quidquam plus velle quam valeo.

II. Profectiones ergo quas quietas et faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non est hominis de illa una ultima, quæ mors vocatur, cogitantis; de qua vel sola intelligis vere esse cogitandum. Dedit quidem Deus paucis quibusdam, quos gubernatores ecclesiarum esse voluit, ut et illam non solum expectarent fortiter, sed alacriter, etiam desiderarent, et earum obeundarum labores sine ullo angore susciperent : sed neque iis, qui ad hujusmodi administrationes temporalis honoris amore raptantur, neque rursus iis, qui cum sint privati, negotiosam vitam appetunt, hoc tantum bonum concedi arbitrator, ut inter strepitus inquietosque conventus atque discursus, cum morte familiaritatem, quam quærimus, faciant; deificari enim utrisque in otio licebat. Aut si hoc falsum est, ego sum omnium ne dicam stultissimus, certe ignavissimus : cui nisi proveniat quædam secunda cessatio, sincerum illud bonum gustare atque amare non possum. Magna secessione a tumultu rerum labentium, mihi crede, opus est, ut non duritia non audacia, non cupiditate inanis gloriæ, non superstitiosa credulitate fiat in homine, nihil timere. Hinc enim fit illud etiam solidum gaudium nullis omnino lætitiis ulla ex particula conferendum.

III. Quod si naturam humanam talis vita non cadit, cur aliquando evenit ista securitas; cur tanto evenit crebrius, quanto quisque in mentis penetralibus adorat Deum? cur in actu etiam humano plerumque ista tranquillitas manet, si ex illo adyto ad agendum quisque procedat?

cur interdum et cum loquimur, mortem non formidamus, cum autem non non loquimur etiam cupimus? Tibi dico, non enim hoc cuilibet dicerem, tibi inquam dico, cujus itinera in superna bene novi, tu-ne cum expertus sæpe sis quam dulce vivat, cum amor corporeo animus moritur, negabis tandem totam hominis vitam posse intrepidam fieri, ut rite sapiens nominetur? aut hanc affectionem, qua ratio nititur, tibi accidisse unquam, nisi cum in intimis tuis angeris, asserere audebis? Quæ cum ita sint, restare unum vides, ut tu quoque in commune consulas, quo vivamus simul. Quid enim cum matre agendum sit, quam certe frater Victor non deserit, tu multo melius calles quam ego. Alia scribere, ne te ab ista cogitatione averterem, nolui.

EPISTOLA XI¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

Cur hominis susceptio Filio soli tribuitur, cum divinæ personæ sint inseparabiles.

I. CUM me vehementer agitaret quæstio, a te dudum cum quadam etiam familiari objurgatione proposita, quoniam pacto una vivere possemus, et de hoc solo statuissem rescribere tibi, et rescripta flagitare, neque ad aliud aliquid quod ad nostra studia pertinet, stylum avertere, ut inter nos istud ipsum terminaretur, cito me securum fecit recentis epistolæ tuæ brevissima et verissima ratio: propterea scilicet hinc non esse cogitandum, quia vel nos cum

¹ Alias cclxviii. quæ autem xi erat, nunc lxxv. — Scripta paulo post posteriorem Epist.

potuerimus ad te, vel tu cum potueris ad nos necessario venturus sis. Hinc ergo, ut dixi, securus effectus consideravi omnes epistolas tuas, ut viderem quarum responsionum debitor sim. In quibus tam multas quæstiones reperi, ut etiam si facile dissolvi possent, ipso acervo cujusvis ingenium otiumque superarent. Tam vero difficiles sunt, ut et si una earum mihi esset imposita, non dubitarem me onustissimum confiteri. Hoc autem procemium ad id valet, ut tantisper desinas nova quærere, donec toto ære alieno liberemur, et de solo iudicio tuo mihi rescribas. Quanquam scio quam sit adversum me, qui tuarum divinarum cogitationum vel tantisper particeps esse differo.

II. Accipe igitur quid mihi videatur de susceptione hominis mystica, quam propter salutem nostram factam esse religio, qua imbuti sumus, credendum cognoscendumque commendat: quam quæstionem non facillimam omnium elegi, cui potissimum responderem. Illa namque, quæ de hoc mundo quæruntur, nec satis ad beatam vitam obtinendam mihi videntur pertinere; et si aliquid afferunt voluptatis, cum investigantur, metuendum est tamen ne occupent tempus rebus impendendum melioribus. Quamobrem quod ad hoc pertinet susceptum in præsentia, prius miror te esse commotum, cur non Pater sed Filius dicatur hominem suscepisse, sed etiam Spiritus sanctus. Nam ista Trinitas catholica fide ita inseparabilis commendatur et creditur, ita etiam a paucis sanctis beatisque intelligitur, ut quidquid ab ea fit, simul fieri sit existimandum, et a Patre, et a Filio, et a Spiritu sancto. Nec quidquam Patrem facere, quod non et Filius et Spiritus sanctus, nec quidquam Spiritum sanctum, quod non et Pater et Filius, nec quidquam Filium, quod non et Pater et Spiritus sanctus faciat. Ex quo videtur esse consequens, ut hominem Trinitas tota susceperit: nam si Filius susceptus, Pater autem

et Spiritus sanctus non susceperunt, aliquid præter invicem faciunt. Cur ergo in mysteriis et sacris nostris hominis susceptio Filio tributa celebratur. Hæc est plenissima quæstio ita difficilis, et de re tam magna, ut nec sententia hic satis expedita, nec ejus probatio satis secure esse possit. Audeo tamen, siquidem ad te scribo, significare potius quid meus animus habeat, quam explicare, ut cætera pro ingenio tuo et familiaritate nostra, qua fit ut me optime noveris, per te ipse conjectes.

III. Nulla natura est, Nebridi, et omnino nulla substantia, quæ non in se habeat hæc tria, et præ se gerat, primo ut sit, deinde ut hoc vel illud sit, tertio ut in eo quod est maneat quantum potest. Primum illud, causam ipsam naturæ ostendat, ex qua sunt omnia: alterum, speciem per quam fabricantur, et quodam modo formantur omnia: tertium, manentiam quamdam, ut ita dicam, in qua sunt omnia. Quod si fieri potest ut aliquid sit, quod non hoc vel illud sit, neque in genere suo maneat; aut hoc quidem aut illud sit, sed non sit neque in genere suo maneat, quantum potest; aut in suo genere quidem pro ipsius suis generis viribus maneat, sed tamen nec sit, neque hoc vel illud sit: fieri etiam potest, ut in illa Trinitate aliqua persona præter alias aliquid faciat. At si cernis necesse esse, ut quidquid sit, continuo et hoc aut illud sit, et in suo genere maneat quantum potest, nihil tria illa præter invicem faciunt. Video adhuc partem me egisse hujus quæstionis qua fit difficilis solutio. Sed breviter tibi aperire volui, si tamen egi quod volui, quam subtiliter, et quanta veritate in Catholica intelligatur hujusce inseparabilitas Trinitatis.

IV. Nunc accipe quomodo possit non movere animum illud quod movet. Species quæ proprie Filio tribuitur, ea pertinet etiam ad disciplinam, et ad artem quamdam, si

bene hoc vocabulo in his rebus utimur, et ad intelligentiam qua ipse animus rerum cogitatione formatur. Itaque quoniam per illam susceptionem hominis id actum est, ut quædam nobis disciplina vivendi, et exemplum præcepti, sub quarumdam sententiarum majestate ac perspicuitate insinuaretur, non sine ratione hoc totum Filio tribuitur. In multis enim rebus, quas cogitationi et prudentiæ committo tuæ, quamvis multa insint, aliquid tamen eminent, et ideo sibi proprietatem quamdam non absurde vindicat; velut in illis tribus generibus quæstionum, etiamsi quæretur an sit, ibi est et quid sit, esse enim non potest profecto, nisi aliquid sit; ibi etiam probandum improbandumve sit, quidquid enim est, nonnulla æstimatione dignum est: ita cum quæritur quid sit, necesse est ut et sit, et aliqua æstimatione pendatur. Hoc modo etiam cum quæritur quale sit, et aliquid est utique ita, cum sibi inseparabiliter juncta sunt omnia, nomen tamen quæstio non ex omnibus accipit, ut sese habuerit quærentis intentio. Ergo disciplina hominibus est necessaria, qua imbuerentur, et qua ad modum formarentur. Non tamen id ipsum, quod per hanc disciplinam fit in hominibus, aut non esse possumus dicere, aut non appetendum; sed scire prius intendimus, et per quod conjiciamus aliquid, et in quo maneamus. Demonstranda igitur prius erat quædam norma et regula disciplinæ, quod factum est per illam suscepti hominis dispensationem, quæ proprie Filio tribuenda est ut esset consequens et ipsius Patris, id est, unius principii, ex quo sunt omnia, cognitio per Filium, et quædam interior et ineffabilis suavitas atque dulcedo, in ista cognitione permanendi contemnendique omnia mortalia, quod donum et munus proprie Spiritui sancto tribuitur. Ergo cum agantur omnia summa communionem et inseparabilitate, tamen distincte demonstranda erant propter imbe-

cillitatem nostram, qui ab unitate in varietatem lapsi
simus. Nemo enim quemquam erigit ad id in quo ipse est,
nisi aliquantum ad id in quo est ille descendat. Habes
epistolam, non quæ tuam curam de hac re finierit, sed
quæ cogitationes tuas certo fortasse aliquo fundamento
inchoaverit, ut cætera ingenio, quod mihi notissimum est,
persequaris, et pietate cui maxime standum est, conse-
quaris.

EPISTOLA XII¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

*Quæstionem in superiore epistola perstrictam iterum
tractandam suscipit.*

I. PLURES epistolas te scribis misisse quam accepimus;
sed neque tibi possum non credere, neque mihi tu. Etsi
enim rescribendo par esse non valeo: tamen non minore
a me diligentia servantur litteræ tuæ, quam frequentantur
abs te. Prolixiores autem nostras, non te amplius quam
binas accepisse convenit inter nos, non enim misimus ter-
tias. Sane recognitis exemplaribus animadverti, quinque
fere tuis rogationibus esse responsum; nisi quod una ibi
quæstio quasi transeunter perstricta, quanquam non
temere ingenio tuo commissa sit, non tamen fortasse sa-
tisfecit avaritiæ tuæ, quam refrenes aliquantulum opus
est, et nonnulla compendia libenter feras. Ita plane ut si
quidquam fraudo intelligentiam; dum sum parcus in yer-
bis, nihil parcas mihi, sed te jure, quo mihi volentius esset

¹ Alias cclxix. quæ autem xii erat, nunc lxxvii. — Scripta paulo post poste-
riorem Epist.

forte aliquid, si quidquam posset esse jucundius, totum
quod debetur efflagites. Hanc igitur epistolam numerabis
inter minores epistolas meas, quam tibi, non sibi nihil
mihi de acervo minuere. Non enim et tu mittis minores,
quæ non eundem acervum augeant. Quare illud quod de
Filio Dei quæris cur ipse potius dicatur hominem susce-
pisse quam Pater cum simul uterque sit, dignosces facil-
lime si sermocinationum nostrarum, quibus ut potuimus
(nam ineffabile quiddam est) quid sit Dei Filius, quo con-
juncti simus, recorderis. Quod ut hic breviter attingam,
disciplina ipsa et forma Dei, per quam facta sunt omnia,
quæ facta sunt Filius nuncupatur. Quidquid autem per
susceptum illum hominem gestum est, ad eruditionem
informationemque nostram gestum est.

*(Vacat LXVII linearum spatium in MS. codice
Vaticano unde Epistola eruta est.)*

EPISTOLA XIII¹.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

*Quæstionem de animæ quodam corpore, ad se nihil
pertinentem rogat dimittant.*

I. USITATA tibi scribere non libet, nova non licet.
Alterum enim video tibi non convenire, alterum non mihi
vacare. Nam ex quo abii abs te, nulla mihi opportunitas,
nullum otium datum est ea, quæ inter nos quærere sole-
mus, agilandi atque versandi. Sunt quidem hyemales ni-

¹ Alias cccviii. quæ autem xiii erat, nunc lxxviii. — Scripta an forte 389,
certe ante 391.

mis longæ noctes, nec a me totæ dormiuntur: sed se obijciunt magis cogitanda cum otium est, quæ diffirmando sunt otio necessaria. Quid ergo faciam, mutus-ne apud te, an tacitus sim? neutrum vis, neutrum volo. Quare age atque accipe quod de me excludere potuit ultimum noctis, quandiu exequebatur, quo hæc epistola scripta est.

II. Necessè est te meminisse quod crebro inter nos sermone jactatum est, nosque jactavit anhelantes atque æstuantès, de animæ scilicet, vel perpetuo quodam corpore, vel quasi corpore, quod a nonnullis etiam dici vehiculum recordaris. Quam rem certe, siquidem loco movetur, non esse intelligibilem, clarum est. Quidquid autem intelligibile non est, intelligi non potest. At quod intellectum fugit, si saltem sensum non refugit, æstimare inde aliquid verisimiliter non usquequaque denegatur. Quod vero neque intelligi neque sentiri potest, temerariam nimis atque nugatoriam gignit opinionem; et hoc de quo agimus tale est, si tamen est. Cur ergo, quæso te, non nobis ad hanc quæstiunculam indicimus ferias, et nos totos imprecato Deo in summam serenitatem naturæ summe viventis attollimus?

III. Hic forsitan dicas, quanquam corpore percipi nequeant, multa nos tamen ad corpus pertinentia intelligibiliter posse percipere, ut est quod novimus esse corpus. Quis enim neget, aut quis hoc verisimile potiusquam verum esse fateatur? Ita cum ipsum corpus verisimile sit, esse tamen in natura tale quiddam verissimum est; ergo corpus sensibile, esse autem corpus intelligibile judicatur: non enim posset aliter percipi. Ita nescio quid illud, de quo quærimus, corpus, quo inniti anima, ut de loco ad locum transeat, putatur, quanquam etiamsi non sensibus nostris, tamen quibusdam longe vegetioribus sensibile sit, utrum tamen sit, intelligibiliter cognosci potest.

IV. Hoc si dices, veniat in mentem illud quod intelligere appellamus, duobus modis in nobis fieri; aut ipsa per se atque ratione intrinsecus, ut cum intelligimus esse ipsum intellectum: aut admonitione a sensibus, ut id quod jam dictum est, cum intelligimus esse corpus. In quibus duobus generibus illud primum per nos, id est, de eo quod apud nos est Deum consulendo; hoc autem secundum de eo quod a corpore sensuque nuntiatur, nihilominus Deum consulendo intelligimus. Quæ si rata sunt, nemo de illo corpore utrum sit intelligere potest, nisi cui sensus quidquam de illo nuntiavit. In quo animantium numero si ullus est, nos quoniam non esse perspicimus, illud etiam perfectum puto, quod supra dicere cœperam, non ad nos istam pertinere quæstionem. Hæc etiam atque etiam cogites velim, et quod cogitando genueris, ut noverim cures.

EPISTOLA XIV.

NEBRIDIO AUGUSTINUS.

*Quare sol non idem præstat quod cætera sidera.
Veritas summa an hominis cujusque rationem
contineat.*

I. RECENTISSIMIS litteris tuis respondere malui, non quod contempserim præcedentia quæsitæ tua, minusve me delectaverint; sed quod in respondendo majora quam opinari molior. Quanquam enim longiorem, quam longis-

* Alias cxy secunda. que autem xiv erat, nunc lxxii. — Scripta circa idem tempus.

sima est, epistolam tibi mittendam esse præscripseris, non tamen tantum habemus otii, quantum existimas, et quantum nos semper optasse nosti et optamus. Nec quæras cur ista sit. Illa enim facilius quibus impediatur, quam cur impediatur exposuerim.

II. Scribis cur ego et tu cum simus singuli eadem multa faciamus, sol autem non idem faciat quod cætera sidera. Cujus rei causam conarer. Nam si eadem nos agimus, multa et ille cum cæteris agit. Si non ille, nec nos. Ambulo et ambulas, movetur et moventur, vigilo et vigilas, lucet et lucent; disputo et disputas, circuit et circum-eunt: tamensi actus animi nullo modo est iis, quæ videmus, comparandus. Si autem animum ita ut æquum est, animo conferas, magis idem vel cogitare vel contemplari, vel si quid commodius dicitur, si ullus eis inest animus, sidera quam homines consideranda sunt. Cæterum in corporum motibus, si, ut soles, diligenter attendas, nihil omnino a duobus idem fieri potest. An tu cum deambulamus simul, statim idem nos agere existimas? absit a prudentia tua. Septentrioni namque vicinior nostrum qui deambulat, aut alterum pari motu antecedit, aut tardius ingreditur necesse est: neutrum tamen sentiri potest. Sed tu, ni fallor, quid intelligamus, non quid sentiamus expectas. Quod si ab axe in meridiem tendamus, conjuncti nobis atque inhærentes, quantum valemus, innitamurque marmori levi et æquali, vel etiam ebori, tam non potest esse amborum idem motus, quam venæ pulsus, quam forma, quam facies. Remove nos et pone Glauciam prolem, nihil egeris. Quippe his etiam simillimis geminis tanta est necessitas, ut proprie moveantur, quanta fuit ut singuli nascerentur.

III. At enim hoc, inquires, rationi tantum: quod autem sol ab astris differt, sensibus etiam clarum atque manifes-

tum est. Si magnitudinem me cogis respicere, nosti de intervallis quam multa dicantur, et ad quantum incertum perspicuitas ista revocetur. Sed ut concedam ita esse ut apparet, sic enim et credo, cujus tandem et sensum fefellit, illa proceritas Nævii pede longioris quam qui est sex longissimus? cui te credo nimium quæsisse hominem æqualem, et cum minime reperisses, usque in ejus formam nostram epistolam tendere voluisse. Quare cum in terris quoque aliquid tale existat, nihil de cælo puto esse mirandum. Si autem te movet, quod præter solem nullius sideris lumen implet diem: quis, quæso te, hominibus tantus apparuit quantus ille homo quem Deus suscepit longe aliter quam cæteros sanctos atque sapientes. Quem si cum aliis sapientibus conferas, majori distantia continetur, quam collatione solis cætera sidera. Quam sane similitudinem diligenter intueri. Fieri enim potest mente, qua excellis, ut quamdam quæstionem de homine Christo a te propositam transeuntes dissolverimus.

IV. Item quæris utrum summa illa veritas et summa sapientia et forma rerum per quem facta sunt omnia, quem Filium Dei unicum sacra nostra profitentur, generaliter hominis, an etiam uniuscujusque nostrum rationem contineat. Magna quæstio. Sed mihi videtur quod ad hominem faciendum attinet, hominis quidem tantum non meam vel tuam ibi esse rationem: quod autem ad orbem temporis varias hominum rationes in illa sinceritate vivere. Verum hoc cum obscurissimum sit, qua similitudine illustrari possit, ignoro: nisi forte ad artes illas, quæ insunt animo nostro confugiendum est. Nam in disciplina metiendi una est anguli ratio, una quadrati. Itaque quoties demonstrare angulum volo, non nisi una ratio anguli mihi occurrit. Sed quadratum nequaquam scriberem, nisi quatuor simul angulorum rationem intuerer: Ita quilibet

homo una ratione qua homo intelligitur factus est. At ut populus fiat, quamvis et ipsa una ratio, non tamen hominis ratio, sed hominum. Si igitur pars hujus universi et Nebridius, sicut est: et omne universum partibus confit, non potuit universi conditor Deus rationem partium non habere. Quamobrem quod plurimorum hominum ibi ratio est, non ad ipsum hominem pertinet, quanquam miris rursum modo ad unum omnia redigatur. Sed tu id commodius cogitabis: his contentus sis interim peto, quanquam jam excesserim Nævium.

EPISTOLA XV¹.

ROMANIANO AUGUSTINUS.

Significat scriptum a se opusculum de religione, transmittendum Romaniano, quem hortatur ut otium datum bene collocet.

I. Nov hæc epistola sic inopiam chartæ indicat, ut membranas saltem abundare testetur. Tabellas eburneas, quas habeo, avunculo tuo cum litteris misi. Tu enim huic pelliculæ facilius ignosces, quia differri non potuit quod ei scripsi, et tibi non scribere etiam ineptissimum existimavi. Sed tabellas, si quæ ibi nostræ sunt, propter hujusmodi necessitates, mittas, peto. Scripsi quidquam de catholica religione, quantum Dominus dare dignatus est, quod tibi volo ante adventum meum mittere, si charta interim non desit. Tolerabis enim qualemcumque scripturam ex officina majorum. De codicibus, præter libros de Oratore, totum mihi excidit. Sed nihil amplius rescribere

¹ Alias cxiii. quæ autem xv erat, nunc lxxiiii. — Scripta anno 390.

potui, quam ut ipse sumeres quos liberet, et nunc in eadem maneo sententia. Absens enim quid plus faciam non invenio.

II. Gratissimum mihi est, quod in ultima epistola me participem domestici tui gaudii facere voluisti. Sed,

Me-ne salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare jubes?

quanquam nec me jubeas, nec ipse ignores. Quare si ad melius cogitandum quies aliqua data est, utere divino beneficio. Nec enim debemus nobis, cum ista proveniunt, sed illis, per quos proveniunt, gratulari: quoniam justa, et officiosa, et pro suo genere pacatior atque tranquillior rerum temporalium administratio recipiendorum æternorum meritum gignit, si non teneat cum tenetur, nec implicet cum multiplicatur, si non cum pacatur involvat. Ipsius enim veritatis ore dictum est: « Si in alieno fideles » non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? » Laxatis ergo curis mutabilium rerum, bona stabilia et certa quæramus, supervolemus terrenis opibus nostris. Nam et in mellis copia, non frustra pennas habet apicula, necat enim hærentem.

¹ Virgil. Aeneid. lib. v, v. 848-849. — ² Luc. xvi, 12.

EPISTOLA XVI¹.

MAXIMI MADAURENSIS AD AUGUSTINUM.

Maximus grammaticus Madaurensis Augustino, excusans a Paganis unum Deum variis nominibus coli, indignans mortuos homines Gentium diis præferri, irridens Punica quædam nomina; perstringens, opinamur, Christianos, quod venerarentur sepulchra Martyrum, ac notans quod profanos ad sua sacra non admitterent.

I. « AVENS crebro tuis affatibus lætificari, et instinctu tui sermonis, quo me paulo ante jucundissime salva charitate pulsasti, paria reddere non destiti, ne silentium meum pœnitudinem appellares. Sed quæso ut si hæc quasi seniles artus esse dixeris, benignarum aurium indulgentia prosequaris. Olympum montem deorum esse habitaculum, sub incerta fide Græcia fabulatur. At vero nostræ urbis forum salutarium numinum frequentia possessum nos cernimus et probamus. Equidem unum esse Deum summum sine initio, sine prole naturæ ceu patrem magnum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas, multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium videlicet ignoramus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit ut dum ejus quasi quædam membra carptim, variis

¹ Alias XLIII. quæ autem XVI erat, nunc LXXIV. — Scripta forte circa annum 390.

supplicationibus prosequimur, totum colere profecto videamur. »

II. « Sed impatientem me esse tanti erroris, dissimulare non possum. Quis enim ferat Jovi fulmina vibranti præferri Mygdonem, Junoni, Minervæ, Veneri, Vestæque Sanaen, et cunctis (pro nefas) diis immortalibus archimartyrem Namphanionem, inter quos Lucitas etiam haud minore cultu suscipitur, atque alii interminato numero (diis hominibusque odiosa nomina) qui conscientia nefandorum facinorum, specie gloriosæ mortis, scelera sua sceleribus cumulantes dignum moribus factisque suis exitum maculati repperunt. Horum busta si memoratu dignum est, relictis templis, neglectis majorum suorum manibus, stulti frequentant, ita ut præsagium vatis illius indigne ferentis emineat. »

Inque Deum templis juravit Roma per umbras¹.

« Sed mihi hac tempestate propemodum videtur bellum Actiacum rursus exortum, quo Ægyptia monstra in Romanorum Deos audeant tela vibrare, minime duratura. »

III. « Sed illud quæso, vir sapientissime, uti remoto faciendæ robore atque exploso, qua cunctis clarus es, ommissis etiam quibus pugnare solebas Chrysippeis argumentis, postposita paululum dialectica, quæ nervorum suorum luctamine nihil certi cuiquam relinquere nititur, ipsa re approbes, quis sit iste Deus, quem vobis Christiani, quasi proprium vindicatis, et in locis abditis præsentem vos videre componitis. Nos etenim deos nostros luce palam ante oculos, atque aures omnium mortalium piis precibus adoramus, et per suaves hostias propitios nobis efficimus, et a cunctis hæc cerni et probari contendimus. »

¹ Lucani versus.

IV. « Sed ulterius huic certamini me senex invalidus subtrahō, et in sententiam Mantuani rhetoris libenter pergo :

Trahit sua quemque voluptas ¹.

Post hæc non dubito, vir eximie, qui a mea secta deviasti, hanc epistolam aliquorum furto detractam, flammis vel quolibet pacto perituram. Quod si acciderit, erit damnum chartulæ, non nostri sermonis, cujus exemplar penes omnes religiosos perpetuo retinebo. Dii te servent, per quos et eorum atque cunctorum mortalium communem patrem, universi mortales, quos terra sustinet, mille modis concordia veneramur et colimus. »

EPISTOLA XVII¹.

AD MAXIMUM MADAURENSEM.

Augustinus Maximo grammatico respondet ad superiora, sed sicut ostendat indigna quibus respondeatur, digna quæ rideantur.

I. SERIUM-NE aliquid inter nos agimus an joculari libet? Nam sicut tua epistola loquitur, utrum causæ ipsius infirmitate, an morum tuorum comitate sit factum, ut malles esse facetior, quam paratior, incertum habeo. Primo enim Olympi montis et fori vestri comparatio facta est: quæ nescio quo pertinuerit, nisi ut me commonefaceret in illo monte Jovem castra posuisse, cum adversus patrem bella gereret, ut ea docet historia, quam vestri etiam sacram

¹ Virgil. Eglog. II, v. 65. — ² Alias XLIV. quæ autem XVII erat, nunc XXXIX.
— Scripta circa annum 390.

vocant: et in isto foro recordarer esse in duobus simulacris unum Martem nudum, alterum armatum, quorum dæmonium infestissimum civibus, porrectis tribus digitis contra collocata statua humana comprimeret. Ergo-ne unquam ego crediderim, mentione illius fori facta, numinum talium memoriam mihi te renovare voluisse, nisi joculari potius quam serio agere maluisses? Sed illud plane quod tales Deos quædam Dei unius magni membra esse dixisti, admoneo, quia dignaris, ut ab hujusmodi sacrilegis facetiis te magnopere abstineas. Siquidem illum Deum dicis unum, de quo (ut dictum est a veteribus) docti indoctique consentiunt, hujus-ne tu membra dicis esse, quorum immanitatem, vel (si hoc mavis) potentiam, mortui hominis imago compecsit? Plura hinc possem dicere: vides enim pro tua prudentia, quam late locus iste pateat reprehensioni. Sed me ipse cohibeo, ne a te rhetorice potius quam veridice agere existimer.

II. Nam quod nomina quædam Punica mortuorum collegisti, quibus in nostram religionem festivas (ut tibi visum est) contumelias jaciendas putares, nescio utrum refellere debeam, an silentio præterire. Si enim res istæ videntur tam leves tuæ gravitati quam sunt, joculari mihi non multum vacat. Si autem graves tibi videntur, miror quod nominum absurditate commoto, in mentem non venerit habere tuos et in sacerdotibus Eucaddires, et in numinibus Abaddires. Non puto ego ista tibi cum scriberes in animo non fuisse, sed more humanitatis et leporis tui, commonefacere nos voluisti ad relaxandum animum, quanta in vestra superstitione ridenda sint. Neque enim usque adeo te ipsum oblivisci potuisses, ut homo Afer scribens Afris, cum simus utriusque in Africa constituti, Punica nomina exagitanda existimares. Nam si ea vocabula interpretemur, Namphanio quid aliud significat, quam boni pedis homi-

nem, id est, cujus adventus afferat aliquid felicitatis: sicut solemus dicere, secundo pede introisse, cujus introitum prosperitas aliqua consecuta sit? Quæ lingua si improbat abs te, nega Punicis libris, ut a viris doctissimis proditur, multa sapienter esse mandata memoriæ. Pœniteat te certe ibi natum, ubi hujus linguæ cunabula recalent. Si vero et sonus nobis non rationabiliter displicet, et me bene interpretatum illud vocabulum recognoscis, habes quod succenseas Virgilio tuo, qui Herculem vestrum ad sacra, quæ illi ab Evandro celebrantur, invitat hoc modo:

Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo¹.

Secundo pede optat ut veniat. Ergo venire Herculem optat Namphanionem, de quo tu multum nobis insultare dignaris. Verumtamen si ridere delectat, habes apud vos magnam materiam facetiarum: deum Stercutium, deam Cloacinam, Venerem calvam, deum Timorem, deum Pallorem, deam Febrem, et cætera innumerabilia hujuscemodi, quibus Romani antiqui simulacrorum cultores templa fecerunt, et colenda censuerunt; quæsi negligis, Romanos Deos negligis: ex quo intelligeris non Romanis initiatus sacris, et tamen Punica nomina, tanquam numinum Romanorum altaribus deditus, contemnis ac despicias.

III. Sed mihi videris omnino plus quam nos fortasse illa sacra nihili pendere, sed ex eis nescio quam captare ad hujus vitæ transitum voluptatem: quippe qui etiam non dubitaveris ad Maronem confugere, ut scribis, et ejus versu te tueri, quo ait:

Trahit sua quemque voluptas².

¹ Virgil. Æneid. lib. viii, v. 32. — Id. Eglog. ii, v. 65.

Nam si tibi auctoritas Maronis placet, sicut placere significas, profecto etiam illud placet,

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, et regnis exul adeptis¹.

Et cætera, quibus eum atque hujuscemodi deos vestros vult intelligi homines fuisse. Legerat enim ille multam historiam vetusta auctoritate roboratam, quam etiam Tullius legerat, qui hoc idem in dialogis plus quam postulare auderemus commemorat, et perducere in hominum notitiam, quantum illa tempora patiebantur, molitur.

IV. Quod autem dicis, eo nostris vestra sacra præponi, quod vos publice colitis deos, nos autem secretioribus conventiculis utimur: primo illud abs te quæro, quomodo oblitus sis Liberum illum, quem paucorum sacratorum oculis committendum putatis. Deinde tu ipse judicas nihil aliud te agere voluisse, cum publicam sacrorum vestrorum celebrationem commemorares, nisi ut nobis decuriones et primates civitatis per plateas vestræ urbis bacchantes ac furentes, ante oculos quasi spectacula poneremus: in qua celebritate, si numine inhabitamini, certe videtis quale illud sit, quod adimit mentem. Si autem fingitis, quæ sunt ista etiam in publico vestra secreta, vel quo pertinet tam turpe mendacium? deinde cur nulla futura canitis, si vates estis? aut cur spoliatis circumstantes, si sani estis?

V. Cum igitur hæc nos et alia, quæ nunc præmittenda existimo, per epistolam tuam feceris recordari, quid nos non derideamus deos vestros, quos abs te ipso subtiliter derideri nemo non intelligit, qui et ingenium tuum novit, et legit litteras tuas? Itaque si aliquid inter nos his de rebus vis agamus, quod ætati tuæ prudentiæque congruit, quod denique de nostro proposito jure a cha-

¹ Virgil. Æneid. lib. viii, vers. 319, 320.

rissimis nostris flagitari potest, quære aliquid nostra discussione dignum: et ea pro vestris numinibus cura dicere, in quibus non te causæ prævaricatorem putemus, quo nos magis commoneas, quæ contra illos dici possunt, quam pro eis aliquid dicas. Ad summam tamen, ne te hoc lateat, et in sacrilega convitia imprudentem trahat, scias a Christianis catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod sit factum et conditum a Deo, sed unum ipsum Deum, qui fecit et condidit omnia. Disserentur ista latius, ipso vero et uno Deo adjuvante, cum te graviter agere velle cognovero.

EPISTOLA XVIII¹.

AUGUSTINUS CELESTINO.

Naturarum genus triplex perstringitur.

I. O UTINAM possem assidue tibi aliquid dicere! Id autem aliquid est, ut curis exueremur inanibus, et curis indueremur utilibus. Nam de securitate nescio utrum quidquam in hoc mundo sperandum sit. Scripsi, nec recepi ulla rescripta. Misi adversum Manichæos libros, quos paratos et emendatos mittere potui, nec quidquam ex illis iudicii motusque nostri notum mihi factum est. Nunc eos repetere jam me, vos autem restituere convenit. Peto itaque ne differatis eos remittere cum rescriptis, quibus nosse cupio quid de illis geritis, vel adhuc ad illum errorem expugnandum quid armaturæ vobis opus esse arbitramini.

¹ Alias LXIII. quæ autem XVIII erat, nunc LXXXI. — Scripta forte circa 390.

II. Sane quoniam te novi, accipe hoc quiddam grande et breve. Est natura per locos et tempora mutabilis, ut corpus. Et est natura per locos nullo modo, sed tantum per tempora etiam ipsa mutabilis, ut anima. Et est natura quæ nec per locos, nec per tempora mutari potest, hoc Deus est. Quod hic insinuavi quoquo modo mutabile, creatura dicitur: quod immutabile, Creator. Cum autem omne quod esse dicimus, in quantum manet dicamus, et in quantum unum est, omnis porro pulchritudinis forma unitas sit: vides profecto in ista distributione naturarum, quid summe sit, quid infime, et tamen sit; quid medie, majusque infimo, et minus summo sit. Summum illud est ipsa beatitas: infimum, quod nec beatum esse potest, nec miserum: quod vero medium, vivit inclinatione ad infimum, misere; conversione ad summum beate vivit. Qui Christo credit, non diligit infimum, non superbit in medio, atque ita summo inhærere fit idoneus et hoc est totum, quod agere jubemur, monemur, accendimur.

EPISTOLA XIX¹.

GAIO AUGUSTINUS.

Gaio, quem forte disputatione traxerat ad Ecclesiam, mittit suos libros legendos adhortans ut perseveret in bono proposito

I. UT abs te abscessimus, dici non potest quanta suavitate nos perfuderit recordatio tua, ac sæpe perfundat. Recolimus enim ardore inquisitionis tuæ, cum esset mirabi-

¹ Alias LXXXIV. quæ autem XIX erat, nunc LXXXII. — Scripta forte circa 390.

lis, non fuisse perturbatam modestiam disputandi. Nam neque flagrantius percontantem, neque tranquillius audientem quemquam facile invenerim. Vellem itaque tecum multum loqui: non enim multum esset quantumcumque esset, si tecum loquerer. Sed quia difficile est, quid opus est causas quærere? Prorsus difficile est: erit fortasse aliquando facillimum: ita Deus velit; nunc certe aliud est. Dedi ergo negotium fratri, per quem litteras misi, ut omnia nostra legenda præbeat prudentissimæ charitati tuæ. Non enim aliquid mecum inculcabit invito: novi enim quid benignitatis in nos animo geras: quæ tamen si lecta probaveris, et vera pervideris, nostra esse non putes, nisi quia data sunt, eoque te convertas licet, unde tibi quoque est ut ea probares datum. Nemo enim quod legit, in codice ipso cernit verum esse, aut in eo qui scripserit; sed in se potius, si ejus menti quoddam non vulgariter candidum, sed a facie corporis remotissimum lumen veritatis impressum est. Quod si falsa aliqua atque improbanda comperearis, de humano nubilo irrorata scias et ea vere nostra esse deputes. Hortarer autem te ad quærendum, nisi videre mihi viderer hiantia quædam ora cordis tui, hortarer etiam, ut quod verum cognoveris viriliter teneas, nisi præ te ferres evidentissimum robur animi et consilii tui. Totum enim se mihi brevi tempore, prope discussis corporis tegumentis, quod in te vivit, aperuit. Neque ullo modo siverit Domini nostri misericordissima providentia, ut a catholico Christi grege tu vir tam bonus et egregie cordatus alienus sis.

EPISTOLA XX¹.

AUGUSTINUS ANTONINO.

Antonino pro existimatione bona ac dilectione sibi impensa gratias refert Augustinus, optatque ut familia ipsius, tota catholicam religionem profiteatur.

I. CUM a duobus tibi scripta deberentur, cumulatissime magis pars reddita est, quod unum nostrum præsentem vides, cujus ex ore cum me quoque accipis, poteram non rescribere, nisi ipso jubente fecissem, quo proficiscente supervacaneum videbatur esse quod feci. Quapropter fertilius tecum fortasse colloquor, quam si coram adessem, cum et epistolam meam legis, et eum audis in cujus pectore me habitare optime nosti. Cum magno gaudio litteras sanctitatis tuæ consideravi atque digessi, quod et Christianum animum tuum sine ullo fuce iniqui temporis, et in nos amicissimum per se gerunt.

II. Gratulor tibi, et gratias ago Deo et Domino nostro de spe et fide et charitate tua, tibi que apud eum, quod de nobis tam bene existimas ut fideles Dei servos esse credas, idque ipsum in nobis corde purissimo diligas: quamquam hinc etiam gratulandum benevolentie tuæ potius, quam gratiæ tibi agendæ sint. Tibi enim prodest ipsam diligere bonitatem, quam profecto diligit qui eum diligit quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter quam creditur habeat. Unus tantum in hac re cavendus est error, ne quisquam non de homine, sed de ipso hominis bono

¹ Alias cxxx. quæ autem xx erat, nunc cxxxiii. — Scripta circa annum 390.

aliter sentiat, quam veritas postulat. Tu vero, frater dilectissime, qui nullo modo erras credendo vel sciendo, magnum bonum esse libenter Deo casteque servire, cum quemlibet hominum propterea diligis, quod hujus boni participem credis, tecum est fructus tuus, etiamsi ille non ita sit. Quapropter tibi de hac re gratulandum est, illi autem non si propterea diligitur, sed si talis est, qualem esse existimat a quo propterea diligitur. Quales itaque nos simus, quantumque in Deum promoverimus, ipse viderit, cujus non solum de hominis bono, sed de homine ipso non potest errare iudicium. Tibi ad mercedem beatitudinis, quod ad hanc rem attinet, satis est, quod nos tales credens quales oportet esse servos Dei, toto sinu cordis amplecteris. Gratias vero tibi uberes agimus, quod nos cum laudas, tanquam tales simus, mirabiliter hortaris, ut tales esse cupiamus; uberiores etiam, si non solum te commendes orationibus nostris, sed etiam non prætermittas orare pro nobis. Grator est enim Deo pro fratre deprecatio, ubi sacrificium charitatis offertur.

III. Parvulum tuum plurimum saluto, et secundum præcepta Domini salutaria opto grandescere. Domui quoque tuæ unam ædem et devotionem veram, quæ sola catholica est, provenire desidero et precor: in quam rem, si quam forte aliam nostram operam necessariam existimas, ne tibi vindicare dubites, et communi domino fretus et jure charitatis. Illud sane admonerim religiosissimam prudentiam tuam, ut timorem Dei non irrationabilem vel inseras infirmiori vasi tuo, vel nutrias, divina lectione gravique colloquio. Nemo enim fere sollicitus de statu animæ suæ, atque ob hoc sine pertinacia inquirendæ voluntati Domini intentus est, qui bono demonstratore usus non dignoscat quid inter schisma quodlibet, atque unam catholicam intersit.

EPISTOLA XXI¹.

Domino beatissimo et venerabili, in conspectu Domini sincera charitate charissimo patri VALERIO episcopo AUGUSTINUS presbyter in Domino salutem.

Augustinus in presbyterum Hipponensem ordinatus, præsertim ad dispensandum verbum Dei, secumque reputans quam difficile sit sacerdotem pium agere, obsecrat Valerium ut patiatur ipsum in secessu precibus et studio hoc agere, ut sit idoneus imposito muneri.

I. ANTE omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore facilius² et lætius, et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur: sed nihil apud Deum miserius, et tristius, et damnabilius. Item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster Imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec a pueritia, nec ab adolescentia mea didici: et eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum, (nam quid aliud existimem nescio) ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

II. Sed arbitror Dominum meum propterea me sic

¹ Alias cXLVIII. quæ autem XXI erat, nunc CCXXXIV. — Scripta anno ineunte 391. — ² Forte felicius.

emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus essem quid illic agitur, quasi doctior et melior reprehendere audebam. Itaque posteaquam missus sum in medium, tunc sentire coepi temeritates reprehensionum mearum: quanquam et antea periculosissimum iudicarem hoc ministerium. Et hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animadverterunt, et nescientes causas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui omnino ad vulnus meum non pertinerent, tamen bono animo consolati sunt. Sed multo valde ac multo amplius expertus sum, quam putabam: non quia novos aliquos fluctus aut tempestates vidi, quas ante non noveram, vel non audieram, vel non legeram vel non cogitaveram: sed ad eas evitandas aut perferendas solertiam et vires meas omnino non noveram, et alicujus momenti arbitrabar. Dominus autem irrisit me, et rebus ipsis ostendere voluit meipsum mihi.

III. Quod si non damnando, sed miserando fecit, hoc enim spero certe vel nunc cognita ægritudine mea, debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia perscrutari, et orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ, ad tam periculosa negotia tribuatur: quod ante non feci, quia et tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, cum de ipso vacationis tempore ad cognoscendas divinas Scripturas cogitarem, et sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse. Et quod verum est, nondum sciebam quid mihi deesset ad tale opus, quale me nunc torquet et conterit. Quod si propterea in re ipsa didici quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum et verbum Dei, ut jam non mihi liceat assequi, quod me non habere cognovi; jubes ergo ut peream, pater Valeri? Ubi est charitas tua? certe

diligis me? certe diligis ipsam ecclesiam, cui me sic ministrare voluisti? et tamen certus sum quod et me et ipsam diligis. Sed putas me idoneum, cum ego melius me noverim, qui tamen nec ipse me nossem, nisi experiendo didicissem.

IV. Sed dicit fortasse sanctitas tua: Vellem scire quid desit instructioni tuæ. Tam multa autem sunt, ut facilius possim enumerare quæ habeam, quam quæ habere desidero. Auderem enim dicere, scire me, et plena fide retinere quid pertineat ad salutem nostram. Sed hoc ipsum quomodo ministrem ad salutem aliorum, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant? Et sunt fortasse aliqua, imo non est dubitandum esse in sanctis libris conscripta consilia, quibus cognitis et apprehensis possit homo Dei rebus ecclesiasticis ordinationibus ministrare, aut certe inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniore, vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni Christiana corda humilia et mansueta suspirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi quemadmodum ipse Dominus dicit, petendo, quærendo, pulsando, id est orando, legendo, plangendo? Ad quod negotium mihi parvum tempus velut usque ad Pascha impetrare volui per fratres a tua sincerissima et venerabili charitate, et nunc per has preces volo.

V. Quid enim responsurus sum Domino judici: Non poteram ista jam quærere, cum ecclesiasticis negotiis impedire? Si ergo mihi dicat: Serve nequam, si villa ecclesiæ calumniosum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro quem rigavi sanguine meo, si quid agere pro ea posses apud judicem terræ, nonne omnibus consentientibus, nonnullis etiam jubentibus et cogentibus pergeres, et si contra te judicaretur, etiam transmare proficisceris: atque hoc modo

vel annuam vel eo amplius absentiam tuam nulla querela revocaret, ne alius possideret terram, non animæ, sed corpori pauperum necessariam: quorum tamen famem vivæ arbores meæ multo facilius mihi que gratius, si diligenter colerentur, explerent? Cur ergo ad discendam agriculturam meam vacationem temporis tibi defuisse causaris? Dic mihi quid respondeam, rogo te? An forte vis dicam: Senex Valerius dum me omnibus rebus instructum esse credidisset, quanto amplius me dilexit, tanto minus ista discere permisit?

VI. Attende omnia ista, senex Valeri, obsecro te per bonitatem et severitatem Christi, per misericordiam et iudicium ejus, per eum qui tantam tibi inspiravit erga nos charitatem, ut ne te, nec pro lucro animæ nostræ, audeamus offendere. Sic autem mihi Deum et Christum testem facis innocentiae et charitatis, et sinceri affectus quem circa nos habes quasi ego non de his jurare omnibus possum. Ipsam ergo charitatem et affectum imploro, ut misereris mei, et concedas mihi, ad hoc quod rogavi, tempus quantum rogavi, atque adjuves me orationibus tuis, ut non sit inane desiderium meum, nec infructuosa ecclesiae Christi atque utilitati fratrum et conservorum meorum absentia mea. Scio quod illam charitatem pro me orantem, maxime in tali causa, non despiciet Dominus, et eam sicut sacrificium suavitatis accipiens, fortassis brevior tempore quam postulavi me saluberrimis consiliis de Scripturis suis reddet instructum.

EPISTOLA XXII¹.

AURELIO episcopo AUGUSTINUS presbyter.

Augustinus presbyter Aurelio Carthaginiensi episcopo, deflens comessationes et ebrietates per Africam in cæmeteriis et memoriis Martyrum frequentari specie religionis: cui malo obtestatur ut mederi velit. Dolet subinde etiam contentionem et humanæ laudis appetitum ab ipso clericorum ordine non exulare.

I. **QUA** gratia responderem litteris sanctitatis tuæ, cum diu hæsitans non reperirem (omnia enim vicit affectus animi mei, quem jam sponte surgentem lectio epistolæ tuæ multo ardentius excitavit) commisi me jam Deo qui pro viribus meis operaretur in me, ut ea rescriberem quæ utriusque nostrum studio in Domino et cura ecclesiastica pro tua præstantia et mea obsecundatione congruerent. Atque illud primum, quod orationibus meis te adjuvari credis, non solum non defugio, verum etiam libenter amplector. Ita enim, et si non meis certe tuis, me Dominus noster exaudiet. Quod fratrem Alypium in nostra conjunctione mansisse, ut exemplo sit fratribus curas mundi hujus vitare cupientibus, benevolentissime accepisti ago gratias, quas nullis verbis explicare possim: Dominus hoc rependat in animam tuam. Omnis itaque fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coalescere, tanta tibi prærogativa obstrictus est, ut locis terrarum tantum longe disjunctis ita nobis consulueris tanquam præsentissimus spiritu. Qua-

¹ Alias LXIV. quæ autem XXII erat, nunc CCXXXV.—Scripta circa annum 392.

propter precibus quantum valemus incumbimus, ut gregem tibi commissum tecum Dominus sustinere dignetur, nec te usquam deserere, sed adesse adjutor in opportunitatibus, faciens cum Ecclesia sua misericordiam per sacerdotium tuum, qualem spiritalis viri ut faciat, lacrymis eum gemitibusque interpellant.

II. Scias itaque Domine beatissime et plenissima charitate venerabilis, non desperare nos, imo sperare vehementer, quod Dominus et Deus noster per auctoritatem personæ quam geris, quam non carni, sed spiritui tuo impositam esse confidimus, multas carnales scditates et ægritudines, quas Africana Ecclesia in multis patitur, in paucis gemit consiliorum¹ gravitate, et tua possit sanare. Cum enim Apostolus tria breviter genera vitiorum detestanda et vitanda uno in loco posuerit, de quibus innumerabilium vitiorum exurgit seges, unum horum quod secundo loco posuit, acerrime in Ecclesia vindicatur; duo autem reliqua, id est primum et ultimum, tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri potest, ut nec vitia jam putentur. Ait enim vas electionis: « Non in » comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et » impudiciis, non in contentione et dolo, sed induite » vos Dominum Jesum Christum; et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis². »

III. Horum ergo trium, cubilia et impudiciæ tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculavit. Et recte omnino. Sed quare solum? Comessiones enim et ebrietates ita concessæ et licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solum per dies solemnes, (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non

¹ Forte conciliorum. — ² Rom. xii, 13.

carnis oculis inspicit,) sed etiam quotidie celebrentur. Quæ scditas si tantum flagitiosa et non etiam sacrilega esset quibuscumque tolerantia viribus sustentandam putarem. Quanquam ubi est illud, quod cum multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos¹, ita conclusit, ut diceret cum talibus nec panem edere? Sed feramus hæc in luxu et labe domestica, et eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamusque cum eis corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur, saltem de sanctorum corporum sepulcris, saltem de locis sacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare privatim, quod cum frequentatur in sanctis locis, honor Martyrum nominatur?

IV. Hæc si prima Africa tentaret auferre a cæteris terris, imitatione digna esse deberet: cum vero et per Italiæ maximam partem, et in aliis omnibus aut prope omnibus transmarinis Ecclesiis, partim quia nunquam facta sunt, partim quia vel orta vel inveterata, sanctorum et vere de vita futura cogitantium episcoporum diligentia et animadversione extincta atque deleta sint, dubitamus quomodo possumus tantam morum labem vel proposito tam lato exemplo emendare? Et nos quidem illarum partium hominem habemus episcopum unde magnas agimus gratias Deo: quanquam ejus modestiæ atque lenitatis est, ejus denique prudentiæ et sollicitudinis in Domino, ut etiam si Afer esset, cito illi de Scripturis persuaderetur curandum, quod licentiosa et male libera consuetudo vulnus infligit. Sed tanta pestilentia est hujus mali, ut sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi concilii auctoritate non possit. Aut si ab una ecclesia inchoando est medicina, sicut videtur audaciæ, mutare conari quod Carthaginensis

¹ 1 Cor. v, 11.

ecclesia tenet; sic magnæ impudentiæ est, velle servare quæ Carthaginensis ecclesia correat. Ad hanc autem rem quis alius episcopus esset optandus, nisi qui ea diaconus execrabatur (5)?

V. Sed quod erat tunc dolendum, nunc auferendum est, non asperere, sed sicut scriptum est, « In spiritu lenitatis et mansuetudinis¹: » Dant enim mihi fiduciam litteræ tuæ indices germanissimæ charitatis, ut tecum tanquam mecum audeam colloqui. Non ergo asperere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram², ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spiritales vel spiritualibus proximi, quorum auctoritate, et lenissimis quidem sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur.

VI. Sed quoniam istæ in cœmeteriis ebrietates et luxuriosa convivia, non solum honores Martyrum a carnali et imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum; mihi videtur facilius illic dissuaderi posse istam sceditatem ac turpitudinem, si et de Scripturis prohibeatur, et oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho, et cum alacritate præbeantur: neque vendantur; sed si quis, pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsentem pauperibus eroget. Ita nec deserere videbuntur memorias suorum (quod potest gignere non levem cordis dolorem,) et id celebrabitur in Ecclesia quod pie et ho-

¹ Gal. vi, 1. — ² Ita se ipse gessit August. ut videtur in Epist. xxix.

neste celebratur. Hæc interim de comessionibus et ebrietatibus dicta sint.

VII. De contentione autem et dolo quid me attinet dicere, quando ista vitia non in plebe, sed in nostro numero graviora sunt? Horum autem morborum mater superbia est, et humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocrisis sæpe generat. Nunc non resistitur, nisi crebris divinatorum librorum testimoniis incutiatur timor et charitas Dei: si tamen ille qui hoc agit, seipsum præbeat patientiæ atque humilitatis exemplum, minus sibi assumendo quam offertur; sed tamen ab eis qui se honorant nec totum nec nihil accipiendo, et id quod accipitur laudis aut honoris, non propter se qui totus coram Deo esse debet et humana contemnere, sed propter illos accipiat quibus consulere non potest, si nimia dejectione vilescat: Ab hoc enim pertinet quod dictum est: « Nemo juventutem tuam contemnat¹: » cum hoc ille dixerit, qui alio loco ait, « Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem². »

VIII. Magnum est de honoribus et laudibus hominum non lætari, sed et omnem pompam inanem præcidere, et si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre. Non enim frustra dictum est: « Deus confringet ossa hominum placere volentium³. » Quid enim languidius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine, quod ossa significant, quam homo quem male loquentium lingua debilitat, cum sciat falsa esse quæ dicuntur? cuius rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non smor laudis ossa ejus confringeret. Præsumo de robore animi tui. Itaque ista quæ tecum confero, mihi dico: dignaris tamen credo mecum considerare, quam sint gravia, quam difficilia. Non enim hujus hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit;

¹ 1 Tim. iv, 12. — ² Gal. i, 10. — ³ Psal. lxxvi, 6.

quia si cuiquam Facile est laude carere dum denegatur, difficile est ea non delectari cum offertur; et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non merito laudemur, corrigamus eos quos possumus; ne arbitrentur aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse quod Dei est, aut ea laudent, quæ quamvis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia; velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus. Si autem merito laudamur propter Deum, gratulemur eis quibus placet verum bonum; non tamen nobis quia placemus hominibus, sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, et non tribuitur nobis, sed Deo, cujus dona sunt omnia, quæ vere meritoque laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, vel potius ille cujus salutaria præcepta sunt, quæcumque sive in divinis lectionibus inveniuntur, sive quæ intrinsecus animo suggeruntur; et tamen vehementer cum adversario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem ablatae laudis mihi auferre non possum.

IX. Hæc propterea scripsi, ut si tuæ sanctitati jam non sunt necessaria, sive quod plura hujusmodi ipse cogites atque utiliora, sive quod tuæ sanctitati medicina ista non opus sit, mala tamen mea nota sint tibi, sciasque unde pro mea infirmitate Deum rogare digneris: quod ut impensissime facias, obsecro per humanitatem illius, qui præceptum dedit, ut invicem onera nostra portemus. Multa sunt quæ de vita nostra et conversatione deslerem, quæ nollem per litteras ad te venire, si inter cor meum et cor tuum ulla essent ministeria præter os meum et aures tuas. Si autem venerabilis nobis omniumque nostrum tota sinceritate charissimus, cujus in te vere fraternam cum præsens essem, benignitatem studiumque perspexi,

senex Saturninus (6) dignatus fuerit, quando opportunum videbitur, ad nos venire; quidquid cum ejus sanctitate, et spirituali affectu colloqui potuerimus, aut nihil, aut non multum distabit, ac si cum tua dignatione id ageremus. Quod ut nobiscum ab eo petere atque impetrare digneris, tantis precibus posco, quantis verba nulla sufficiunt. Absentiam enim meam tantum longe Hipponenses vehementer nimisque formidant, neque ullo modo mihi sic volunt credere; ut et ego vobis. Agrum fratribus datum provisione et liberalitate tua didicimus, ante epistolam tuam, per sanctum fratrem et conservum nostrum Parthenium, a quo multa alia, quæ audire desiderabamus audivimus. Præstabit Dominus ut etiam cætera, quæ adhuc desideramus, impleantur.

EPISTOLA XXIII¹.

Domino dilectissimo et honorabili fratri MAXIMINO (7) AUGUSTINUS
presbyter Ecclesiæ catholice, in Domino salutem.

Augustinus Maximino episcopo Donatistæ, qui diaconum catholicum rebaptizasse dicebatur, ut aut fateatur factum, aut profiteatur se orthodoxum, invitans illum vel ad colloquium, vel ad rescribendum, ut concordia Ecclesiæ sarciatur.

I. PRIUS quam ad rem veniam, de qua tuæ benevolentia scribere volui, tituli hujus epistolæ, ne vel te, vel alium quempiam moveat, rationem breviter reddam. « Domini; » Scripsi; quia scriptum est, « Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in oc-

¹ Alias cccii. quæ autem xxiii erat, nunc xxviii. — Scripta circa annum 392.

» casionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem¹. » Cum ergo vel hoc ipso officio litterarum per charitatem tibi serviam, non absurde te dominum voco propter unum et verum Dominum nostrum, qui nobis ista præcepit. « Dilectissimo » autem quod scripsi, novit Deus quod non solum te diligam, sed ita diligam ut me ipsum: quandoquidem bene mihi sum conscius, bona me tibi optare quæ mihi. « Honorabili » vero quod addidi, non ad hoc addidi, ut honorarem episcopatum tuum; mihi enim episcopus non es, neque hoc cum contumelia dictum acceperis, sed ex animo quo in honore nostra debet esse, Est, est; Non, non. Neque enim ignoras, aut quisquam hominum qui nos novit ignorat, neque te esse episcopum meum, neque me presbyterum tuum. Honorabilem igitur ex ea regula te libenter appello, qua novi te esse hominem, et novi hominem ad imaginem Dei, et similitudinem factum, et in honore positum ipso ordine et jure naturæ, si tamen intelligendo, quæ intelligenda sunt, servet honorem suum. Nam ita scriptum est, « Homo in » honore positus non intellexit, comparatus est jumentis » insensatis, et similis factus est illis². » Cur ergo te honorabilem in quantum homo es, non appellem, cum præsertim de tua salute atque correctione, quandiu in hac vita es, desperare non audeam? « Fratrem » vero ut vocem non te latet præceptum nobis esse divinitus, ut etiam eis, qui negant se fratres nostros esse, dicamus: Fratres nostri estis: et hoc vehementer valet ad causam, propter quam scribere volui fraternitati tuæ. Jam enim reddita ratione cur epistolæ talem januam fecerim, audi placidissime quæ sequuntur.

II. Ego cum in ista regione consuetudinem hominum lugendam atque plangendam, cui cum Christiano nomine

¹ Gal. v, 13. -- ² Psal. XLVIII, 21.

glorientur, Christianos rebaptizare non dubitant, quibus verbis poteram detestarer, non defuerunt laudatores tui, qui mihi dicerent te ista non facere. Fateor, primo non credidi. Deinde considerans posse fieri ut animam humanam de futura vita cogitantem Dei timor invaderet, ut se ab scelere apertissimo temperaret, gratulatus credidi, quod tali proposito ab Ecclesia catholica nolueris esse nimis alienus. Quærebam sane occasionem loquendi tecum, ut si fieri posset ea, quæ parva remanserat, inter nos dissentio tolleretur: cum ecce ante paucos dies diaconum nostrum Mutugennensem te rebaptizasse nuntiatum est. Dolui vehementer, et illius miserabilem lapsum, et tuum, frater, inopinatum scelus. Novi enim quæ sit Ecclesia catholica. Gentes sunt hæreditas Christi, et possessio Christi termini terræ. Nostis et vos, aut si non nostis, advertite, facillime a volentibus sciri potest. Rebaptizare igitur hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est: rebaptizare autem catholicum, immanissimum scelus est. Tamen non adeo credens, quia de te mihi bene persuasum tenebam, Mutugennam ipse perrexi; et eum quidem miserum videre non potui, a parentibus vero ejus audivi, quod vester jam etiam diaconus factus sit. Et tamen tam bene adhuc de te tuo corde sentio, ut eum rebaptizatum esse non credam.

III. Quare te, frater dilectissime, per divinitatem et humanitatem Domini nostri Jesu Christi obsecro, ut rescribere mihi digneris quid gestum sit. Et sic rescribere, ut noveris me in ecclesia fratribus nostris epistolam tuam velle recitare. Quod ideo scripsi, ne cum id postea facerem, quod me non sperares esse facturum, offenderem charitatem tuam, et justam de me apud communes amicos querelam deponeres. Quid ergo te impediat ad rescriben-

dum, non video. Si enim rebaptizas, nihil est quod homines de tuo collegio formides, cum id te rescripseris facere, quod te illi facere etiam si nolles juberent. Cum autem id quantis potueris documentis faciendum esse defenderis, non solum non succensebunt, sed etiam prædicabunt. Si autem non rebaptizas, arripe libertatem Christianam, frater Maximine, arripe quæso te: non cujusquam hominis, in contemplatione Christi, aut reprehensionem verearis, aut exhorreas potestatem. Transit honor hujus sæculi, transit ambitio. In futuro Christi iudicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperint accusare conscientiæ, et conscientiarum arbiter judicare. Quæ hic honorant, ibi onerant; quæ hic relevant, ibi gravant. Ista quæ pro tempore propter Ecclesiæ utilitatem honori nostro exhibentur, defendentur forte bona conscientia, defendere autem non poterunt mala.

IV. Quod ergo tam pio et tam religioso animo facis, si tamen facis, ut Ecclesiæ catholicæ baptismum non iteres, sed approbes potius tanquam unius verissimæ matris, quæ omnibus gentibus, et regenerandis præbet sinum, et regeneratis ubera infundit, tanquam unius possessionis Christi, sese usque ad terræ terminos porrigitis; si hoc vere facis, cur non erumpis in exultantem et liberam vocem? cur lucernæ tuæ tam utilem splendorem premis sub modio? Cur non discissis atque abjectis veteribus pellibus timidæ servitutis, Christiana potius indutus fiducia exis et dicis, Ego unum baptismum novi, Patris et Filii et Spiritus sancti nomine consecratum atque signatum? Hanc formam ubi invenio necesse est ut approbem; non destruo quod Dominicum agnosco, non exufflo vexillum regis mei. Vestem Christi, et qui diviserunt, non viola-

verunt, et illi adhuc Christum non resurrecturum crederant, sed morientem videbant¹. Si a persecutoribus vestis non conscissa est pendentis in cruce, cur a Christianis destruitur Sacramentum sedentis in cœlo²? Si veteris populi temporibus Judæus essem, quando aliud esse melius non possem, accepissem utique circumcisionem. Quod signaculum justitiæ fidei tantum illo tempore valuit, antequam Domini evacuaretur adventu ut infantem filium Moysi Angelus præfocasset³, nisi mater arrepto calculo circumcidisset puerum, et hoc sacramento imminentem perniciem depulisset. Hoc sacramentum etiam Jordanem fluvium refrenavit, et reduxit in fontem. Hoc sacramentum ipse Dominus, quamvis evacuaverit crucifixus, tamen natus accepit. Non enim signacula illa damnata sunt, sed succedentibus opportunioribus decesserunt. Nam sicut circumcisionem abstulit Domini primus adventus, sic baptismum auferet secundus adventus. Sicut enim nunc posteaquam venit libertas fidei, et remotum est servitutis jugum, nullus Christianus circumciditur carne, sic tunc regnantibus justis cum Domino damnatisque impiis, nemo baptizabitur, sed illud quod ista præfigurant, id est circumcisio cordis; et munditia conscientiæ manebit in æternum. Si ergo illo tempore Judæus essem, et veniret ad me Samaritanus, velletque illo errore derelicto, quem etiam Dominus improbavit, dicens: « Vos » adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus; » quoniam salus ex Judæis est⁴. » Vellet ergo Samaritanus, quem Samaritani circumciderant, fieri Judæus, vacaret certe iterationis audacia, et id quod apud hæresim factum erat, quod præceperat Deus, non repetere sed approbare cogermur. Quod si in carne circumcisi hominis

¹ Joan. xix, 24. — ² Beda, seu Florus, in Rom. iv. — ³ Exod. iv, 24. — ⁴ Joan. iv, 22.

non invenirem locum ubi circumsionem repeterem, quia unum est illud membrum; multo minus invenitur locus in uno corde, ubi baptismus Christi repetatur. Ideo qui duplicare baptismum vultis, necesse est omnino ut corda duplicia requiratis.

V. Clama ergo recte te facere, si non rebaptizas, et non solum sine trepidatione, sed etiam cum gaudio mihi inde rescribe. Nulla te tuorum concilia, frater, extereant. Si enim hoc eis displicuerit, non sunt digni qui te habeant: si autem placuerit, credimus de misericordia Domini, qui timentes sibi displicere, et conantes placere nunquam deserit, quod inter vos et nos cito pax erit: ne propter honores nostros, de qua sarcina periculosa ratio reddetur, miseræ plebes credentes in Christum habeant in domibus suis communes cibos, et mensam Christi communem habere non possint. Nonne ingemiscimus quod vir et uxor, ut fideliter conjungant corpora sua, jurant sibi plerumque per Christam, et ipsius corpus Christi diversa communionem dilaniant? Hoc tantum scandalum, tantus diaboli triumphus, tanta pernicietas animarum, si per tuam modestiam et prudentiam et dilectionem, quam debemus ei, qui pro nobis suum sanguinem fudit, ablata de medio in his regionibus fuerit; quis explicet verbis, quam tibi palmam præparet Dominus, ut ad cætera membra sananda, quæ per totam Africam tabefacta miserabiliter jacent, a te proficiscatur tam imitabile medicinæ documentum? Quam vereor, quoniam cor meum videre non potes, ne tibi cum insultatione potius quam cum dilectione loqui videar. Sed certe amplius quid faciam non invenio, nisi ut inspiciendum sermonem meum tibi offeram, animum Deo.

VI. Tollamus de medio inania objecta, quæ a partibus imperitis jactari contra invicem solent, nec tu objecias

tempora Macariana, nec ego sævitiam Circumcellionum. Si hoc ad te non pertinet, nec illud ad me. Area Dominica nondum ventilata est, sine paleis esse non potest. Nos oremus, atque agamus quantum possumus, ut frumentum simus. Ego de rebaptizato diacono nostro silere non possum: scio enim quam mihi silentium perniciosum sit. Non enim cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere, sed cogito me principi pastorum omnium rationem de commissis ovibus redditurum. Si forte nolles ut hæc tibi scriberem, oportet te, frater, ignoscere timori meo. Multum enim timeo ne me tacente et dissimulante, alii quoque rebaptizentur a vobis. Decrevi ergo, quantum vires et facultatem Dominus præbere dignatur, causam istam sic agere ut pacificis collationibus nostris omnes, qui nobis communicant, noverint ab hæresibus aut schismatibus quantum catholica distet Ecclesia, et quantum sit cavenda pernicietas vel zizaniorum vel præcisorum de vite Domini sarmentorum. Quam collationem mecum si libenti animo susceperis, ut concordibus nobis amborum litteræ populis recitentur, ineffabili exultabo lætitia. Si autem id æquo animo non accipis, quid faciam, frater, nisi ut te quoque invito epistolas nostras populo catholico legam, quo esse possit instructor? Quod si rescribere dignatus non fueris, vel meas legere decrevi, ut saltem dissidentia vestra cognita rebaptizari erubescant.

VII. Neque id agam cum miles præsens est, ne quis vestrum arbitretur tumultuosius me agere voluisse; quam ratio pacis desiderat, sed post abscessum militis, ut omnes qui nos audiunt intelligant non hoc esse propositi mei, ut inviti homines ad cujusquam communionem cogantur, sed ut quietissime quærentibus veritas innotescat. Cessabit a nostris partibus terror temporalium potestatum: cesset etiam a vestris partibus terror congregatorum Cir-

cumcellionum. Re agamus, ratione agamus, divinarum Scripturarum auctoritatibus agamus, quieti atque tranquilli quantum possumus petamus, quæramus, pulsemus, ut accipiamus et inveniamus, et aperiatur nobis; ne forte fieri possit, ut adjuvante Domino concordēs conatus et orationes nostras, tanta deformitas atque impietas Africanarum regionum de nostris terris incipiat aboleri. Si non credis post discessum militum me velle agere, post discessum militum tu rescribe. Si enim ego præsentem milite litteras meas legere populo voluero, prolata epistola mea demonstrabit me fidei violatorem. Quod misericordia Domini avertat a moribus atque instituto meo, quod mihi per jugum suum inspirare dignatus est.

VIII. Episcopus meus benevolentiam tuam fortasse potius litteras misisset, si esset præsens, aut ego illo vel jubente vel permittente scripsissem. Sed illo absente cum diaconi rebaptizatio recens esse dicitur, frigescere actionem ipsam dilatione non passus sum, de fraterna et vera morte acerbissimi doloris aculeis excitatus. Quem dolorem meum adjuvante misericordia et providentia Domini, pacis fortasse compensatio lenitura est. Deus et Dominus noster tibi mentem pacatam inspirare dignetur, domine dilectissime frater.

EPISTOLA XXIV¹.

Domino merito honorabili et beatissimo patri ALYPIO, PAULINUS et THERASIA peccatores.

Paulinus Alypio episcopo de libris Augustini, quos recepit, excusans quod serius miserit ad illum Eusebii Chronica. Cupit edoceri de genere et vita Alypii: ipse vicissim de se nonnulla aperiens. Panem unum dono mittit.

I. « HÆC est vera charitas, hæc perfecta dilectio quam tibi circa humilitatem nostram inesse docuisti, Domine vere sancte, et merito beatissime ac desirabilis. Accepimus enim per hominem nostrum Julianum de Carthagine revertentem litteras, tantam nobis sanctitatis tuæ lucem afferentes, ut nobis charitatem tuam non agnoscere, sed recognoscere videremur. Quia videlicet ex illo, qui nos ab origine mundi prædestinavit sibi, charitas ista manavit, in quo facti sumus antequam nati, « Quia ipse fecit nos, et » non ipsi nos², » qui fecit quæ futura sunt. Hujus igitur præscientia et opere formati in similitudinem voluntatum et unitatem fidei vel unitatis fidem præveniente notitiam charitate connexi sumus, ut nos invicem ante corporales conspectus revelante spiritu nosceremus. Gratulamur itaque et gloriamur in Domino, qui unus atque idem ubique terrarum operatur in suis dilectionem suam Spiritu sancto, quem super omnem carnem effudit, fluminis impetu lætificans civitatem suam. In cujus te civibus principalem³

¹ Alias xxxv. quæ autem xiv erat, nunc cci. — Scripta sub finem anni 394, ante hyemem. — ² Psal. xcix, 3. — ³ Forte principem.

cum principibus populi **sui**, sede apostolica merito collocavit: nosque etiam, **quos** erexit elisos, et de terra inopes suscitavit, in vestra **voluit** sorte numerari. Sed magis gratulamur in eo Domini **munere**, quo nos in pectoris tui habitatione constituit; **quoque** ita visceribus tuis insinuare dignatus est; ut **peculiarem** nobis charitatis tuæ fiduciam vindicemus, his officiis **atque** muneribus provocati, ut nos dissidenter aut leviter **te** amare non liceat. »

II. « Accepimus **enim** insigne præcipuum dilectionis et sollicitudinis tuæ, **opus** sancti et perfecti in Domino Christo viri, fratris nostri Augustini libris quinque confectum, quod ita miramur **atque** suspicimus, ut dictata divinitus verba credamus. **Itaque** fiducia suscipiendæ nobis unanimi-
tatis tuæ, et **ad** ipsum scribere ausi sumus, dum nos illi per te, et de **imperitia** excusandos, et ad charitatem commendandos **presumimus**; sicut et omnibus sanctis, quorum nos et **absentiam** officiis sospitare dignatus es, pari procul dubio **curator** affectu, ut per sanctitatem tuam, nostris **invicem** salutentur obsequiis, et in clero sanctitatis tuæ **comites**, et in monasteriis fidei ac virtutis tuæ **æmulatores**. Nam **etsi** in populis ac super populum agas, oves pascuæ **Domini** regens sollicitis vigil pastor excubiis, tamen **abdicatione** sæculi, et repulsa carnis ac sanguinis, desertum **tibi** ipse fecisti, secretus a multis, vocatus in paucis. »

III. « Sane vicario **aliquatenus** munere, licet per omnia tibi impar ut jusseras, providi illam Eusebii venerabilis episcopi Constantinopolitani ¹ de cunctis temporibus historiam. Sed in hoc **fuit** obtemperandi mora, quod instructu tuo, quia ipse **non** haberem hunc codicem, Romæ reperi apud parentem nostrum vere sanctissimum Domnionem, qui procul **dubio** promptius mihi paruit in hoc

¹ Imo et episcopi Cæsariensis.

beneficio, quod tibi deferendum indicavi. Verumtamen quia et loca tua mihi significare dignatus es, ut ipse monuisti, ad venerabilem socium coronæ tuæ, patrem nostrum Aurelium ita scripsimus, ut si nunc Hipponæ-regio degeres, illo tibi litteras nostras, et transcriptam Carthagine membranam mittere dignaretur. Quod et sanctos viros, quos indices¹ charitatis ipsorum, tuo sermone cognovimus, Comitem et Evodium rogavimus, ut hæc scribere ipsi curarent, ne vel parenti Domnioni diutius codex suus deforet, et tibi transmissus sine necessitate redhibendi maneret. »

IV. « Specialiter autem hoc a te peto, quoniam me immerentem et inopinantem magno tui amore complesti, ut pro hac historia temporum, referas mihi omnem tuæ sanctitatis historiam: ut qui genus, unde sis domo, tanto vocatus a Domino, quibus exordiis segregatus ab utero matris tuæ, ad matrem filiorum Dei prole lætantem, abjurata carnis et sanguinis stirpe, transieris et in genus regale et sacerdotale sis translatus, edisseras. Quod enim indicasti, jam de humilitatis nostræ nomine apud Mediolanum te didicisse, cum illic initiareris, fateor curiosius me velle condiscere, ut omni parte te noverim, quo magis gratuler, si a suspiciendo mihi patre nostro Ambrosio, vel ad fidem invitatus es, vel ad sacerdotium consecratus, ut eundem ambo videamur habere auctorem. Nam ego etsi a Delphino Burdegalæ baptizatus, a Lampio apud Barcionem in Hispania, per vim inflammata subito plebis, sacratissim: tamen Ambrosii semper et dilectione ad fidem innutritus sum, et nunc in sacerdotii ordine confoveor. Denique suo me clero vindicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear. »

V. « Sed de me ne quid ignores, scias antiquissimum

¹ Legite indice.

peccatorem, non ita olim de tenebris, et umbra mortis eductum, spiritum auræ vitalis hausisse, nec ita olim possuisse in aratro manum, et crucem Domini sustulisse; quam ut in finem perferre valeamus, orationibus tuis adjuvemur. Accumulabitur hæc meritis tuis merces, si interventu tuo onera nostra relevaveris. Sanctus enim laborantem adjuvans (quia fratrem non audemus dicere) exaltabitur sicut civitas magna. Et tu quidem super montem civitas ædificata es, vel accensa super candelabrum lucerna in septiformi claritate colluces; nos sub modio peccatorum delitescimus: visita litteris tuis, et profer in lucem in qua ipse versaris super aurea candelabra conspicuus. Eloquia tua lumen semitis nostris erunt, et oleo lucernæ tuæ impinguabitur caput nostrum. Et accendetur fides, cum spiritu oris tui cibum mentis et lumen animæ sumpserimus. »

VI. « Pax et gratia Dei tecum, et corona justitiæ tibi maneat in die illo, Domine pater merito dilectissime et venerabilis et exoptatissime. Benedictos sanctitatis tuæ comites et æmulatores, in domino fratres (si dignantur) nostros, tam in ecclesiis quam in monasteriis, Carthagini, Thagastæ, Hippone-regio, et totis parochiis tuis atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, Domino catholice servientes, multo affectu et obsequio salutari rogamus. Si ipsam membranam sancti Domnionis acceperis, transcriptam nobis remittere dignaberis. Et hoc rogo scribas mihi, quem hymnum meum cognoveris. Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem eulogiam esse tu facies dignatione sumendi. »

EPISTOLA XXV¹.

Domino fratri unanimo et venerabili AUGUSTINO PAULINUS et
THERASIA peccatores.

*Paulinus Augustino, exquisitis eum laudibus exor-
nans pro quinque ejus adversus Manichæos libris,
quos ab Alypio acceperat. Panem ipsi dono
mittit.*

I. « CHARITAS Christi quæ urget nos, et absentes licet per unitatem fidei alligat, ipsa fiduciam ad te scribendi pudore depulso præstitit, teque per litteras tuas visceribus meis intimavit quas et de scholasticis facultatibus affluentes, et de cœlestibus favis dulces, ut animæ meæ medicas et altrices, in quinque libris interim teneo, quos munere benedicti et venerabilis nobis episcopi nostri Alypii, non pro nostra instructione tantum, sed etiam pro Ecclesiæ multarum urbium utilitate suscepimus. Hos igitur nunc libros lectioni habeo; in his me oblecto; de his cibum capio, non illum qui perit, sed qui operatur vitæ æternæ substantiam per fidem nostram, qua adcorporamur in Christo Jesu Domino nostro: cum fides nostra quæ visibilibus negligens, invisibilibus inhiat, per charitatem omnia secundum veritatem omnipotentis Dei credentem, litteris et exemplis fidelium roboretur. O vere sal terræ, quo præcordia nostra ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur. O lucerna digne supra candelabum ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreti-

¹ Alias xxxi. quæ autem xxv erat, nunc cxv. — Scripta cum superiore.

corum caligines **discutis**, et lucem veritatis a confusione tenebrarum **splendore clarifici** sermonis enubilas. »

II. « Vides, **frater**, unanime admirabilis in Christo Domino et **suscipiente**, quam familiariter agnoverim te, quanto admirer **stupore**, quam magno amore complectar, qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor, et oris tui spiritu vescor. Os enim tuum fistulam aquæ vivæ et venam fontis æterni **merito** dixerim, quia fons in te aquæ salientis in vitam æternam Christus effectus est¹. Cujus desiderio sitiivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea **concupivit**. Ideoque cum hoc Pentateucho tuo contra **Manichæos** me satis armaveris, si qua in alios quoque **hostes** catholicæ fidei munimina comparasti (quia hostis noster, cui mille nocendi artes, tam variis expugnandus est **telis**, quam oppugnat insidiis) quæso promere mihi de armamentario tuo, et conferre non abnuas arma justitiæ. Sum enim laboriosus, etiam nunc sub magno onere peccator, **veteranus** in numero peccatorum, sed æterno regi novus in corpore tyro militiæ. Sapientiam mundi miser hujusque miratus sum, et per inutiles litteras reprobataque prudentiam Deo stultus et mutus fui. Postquam inveteravi inter inimicos meos, et evanui in cogitationibus meis, levavi oculos meos in montes, ad præcepta legis et gratiæ dona suspiciens: unde mihi auxilium venit a Domino, qui non secundum iniquitates retribuens, illuminavit cæcum, solvit compeditum, humiliavit erectum male, ut erigeret humiliatum pie. »

III. « Sequor igitur, non æquis adhuc passibus, magna justorum vestigia, si possim orationibus vestris apprehendere, in quo Dei **miserationibus** apprehensus sum. Rege ergo parvulum in terra reptantem, et tuis gressibus ingredi doce. Nolo enim me **corporalis** ortus magis quam spiritita-

¹ Joan. iv, 14.

lis exortus ætate consideres. Quippe ætas mihi secundum carnem ea jam est, qua fuit ille ab Apostolis in porta speciosa¹, verbi potestate sanatus. In naturalibus autem animæ, illius adhuc mihi tempus infantia est, quæ intentatis Christo vulneribus immolata, digno sanguine agni victimam præcucurrit, et dominicam auspicata est passionem. Atque ideo ut infantem adhuc verbo Dei et spiritali ætate lactentem, educa verbis tuis, uberibus fidei, sapientiæ², charitatis inhiantem. Si officium commune consideras, frater es: si maturitatem ingenii tui et sensuum, pater mihi es; etsi forte sis ævo junior, quia te ad maturitatem meriti et honorem seniorum provexit juvenem cana prudentia. Fove igitur et corrobora me in sacris Litteris, et spiritalibus studiis, tempore (ut dixi) recentem et ob hoc post longa discrimina, post multa naufragia, usu rudem, vix dum a fluctibus sæculi emergentem, tu qui jam in solido littore constitisti, tuto excipe sinu, ut in portu salutis, si dignum putas, pariter navigemus. Interea me de periculis vitæ istius et profundo peccatorum evadere nitentem, orationibus tuis tanquam tabula sustine, ut de hoc mundo quasi de naufragio nudus evadam. »

IV. Idcirco enim me levare sarcinis, et vestimentis onerantibus exuere curavi, ut undosum hoc, quod inter nos et Deum peccatis interlatrantibus separat, præsentis vitæ salum, omni amictu carnis, et cura diei sequentis, jubente et adjuvante Christo expeditus enatem. Neque id me perfecisse glorior, quod et si gloriari possem, in Domino gloriarer, cuius est perficere, quod nobis adjacet velle: sed concupiscit adhuc anima mea desiderare judicia Domini. Vide quando assequatur effectum Dei voluntatem, qui adhuc ipsum desiderare desiderat. Quod in me tamen est, dilexi decorem domus sanctæ, et quantum in me fuit, elegeram

¹ Act. iii, 7, et iv, 22. — ² Forte spei.

abjectus esse in domo Domini. Sed cui placuit segregare me ab utero matris meae, et ab amicitia carnis et sanguinis ad gratiam suam trahere, eidem placuit inopem me omnis boni meriti, suscitare de terra et de lacu miseriarum, ac de luto facis educere, ut collocaret me cum principibus populi sui, et partem meam in tua sorte poneret, ut te praestante meritis, officio sociatus aequarer. »

V. Præsumptione igitur non mea, sed placito et ordinatione Domini, fraternitatis tuæ mihi foedius usurpans, tanto indignus honore me dignor; quia te pro tua sanctitate certo scio, nam veritate sapis, non alta sapere, sed humilibus congruere. Ideoque prompte et intime recepturum spero charitatem humilitatis nostræ, quam quidem jam recepisse te per beatissimum sacerdotem Alypium (quia dignatur) patrem nostrum confido. Is enim sine dubio de se tibi exemplum præbuit nos ante notitiam et supra meritum diligendi, qui incognitos sibi nos, et longinqua soli vel salî intercapedine disparatos, spiritu veræ dilectionis, qui ubique et penetrat et effunditur, et videre diligendo potuit, et alloquendo pertingere. Hic nobis prima affectus sui documenta, et charitatis tuæ pignora in supradicto digno munere librorum dedit. Et quanto studuit impendio, ut sanctitatem tuam non ipsius tantum verbis, sed plenius eloquentia et fide tua cognitam non possemus amare mediocriter, tantopere curasse eundem credimus, ut nos vicissim ipsius imitatione plurimum diligas. Gratia Dei tecum, ut est, in æternum maneat optamur, frater in Christo Domino unanime, venerabilis, desiderantissime: totam domum, et omnem comitem, et æmulatorem in Domino sanctitatis tuæ, plurimo fraternitatis unanime salutamus affectu. Panem unum, quem unanimis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas. »

EPISTOLA XXVI¹.

LICENTIO AUGUSTINUS.

Augustinus Licentium juvenem nobilem et doctum, quondam ipsius discipulum hortatur ad mundi contemptum, abutens ad hoc ipsius Licentii carmine, quod ad præceptorem scripserat.

I. Vix reperi occasionem scribendi tibi: quis credat? Sed mihi tamen Licentium necesse est credere. Nolo te causas rationesque rimari, quæ etiamsi reddi possent, fidei tamen, qua mihi credis, non eas debeo. Nam et Litteras tuas non per eos accepi, per quos possem scripta redhibere. Quæ autem petisti ut peterem, curavi per epistolam quantum promendum videbatur; sed quid effecerim tu videris. Quod si nondum effectum est, vel cum sciero, agam instantius, vel cum rursus ipse admonueris. Hactenus quæ hujus vitæ vincula perstrepunt, tecum locutus sim: nunc paucis accipe pectoris mei æstus de spe tua non transitoria, quonam modo via tibi pateat in Deam.

II. Mi Licenti, etiam atque etiam recusantem et formidantem compedes sapientiæ, timeote rebus mortalibus validissime et perniciosissime compediri. Nam sapientia quos primo alligaverit, et exercitatoris quibusdam laboribus edomuerit, solvit postea, liberatisque sese donat ad fruendum; et quos primo temporalibus nexibus erudiverit, post æternis amplexibus alligat: quo vinculo nec jucundius nec

¹ Alias xxxix. quæ autem xxvi. erat, nunc cxxiii. — Scripta forte ineunte anno 395, et missa cum Epist. sequenti.

solidius cogitari quidquam potest. Prima hæc aliquantulum dura esse confiteor : illa vero ultima nec dura dixerim, quia dulcissima sunt, nec mollia, quia firmissima : quid igitur nisi quod dici non potest, sed credi tamen et sperari et amari potest? Vincula vero hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. His ne tu inseris et collum et manus et pedes, cum et honoribus hujuscemodi subjugari affectas, et facta tua non aliter fructuosa existimas, et ambis inhærere, quo non modo invitatus, sed nec compulsus quidem ire debuisti? Hic tu fortasse Terentiani servi mihi responsum dederis, « Ohe, tu verba fundis hic sapientia! » Cape igitur ut fundam potius quam effundam. Aut si ego canto, tu autem ad aliam vocem saltas, nec sic quidem me pœnitet. Habet enim suam hilaritatem ipsa cantatio, etiam cum ad eam membra non movet, cui plena charitatis modulatione cantatur. Verba quædam in epistolis tuis me moverunt, sed de his tractare, cum factorum vitæque totius tuæ cura excoquat, ineptum putavi.

Carmen² Licentii

ad Augustinum præceptorem.

III. Arcanum Varronis iter scrutando profundi
Mens hebet, adversamque fugit anterrita lucem.
Nec mirum, jacet omnis enim mea cura legendi
Te non dante manum, et consurgere sola veretur.
Nam simul ut perplexa viri compendia tanti
Volvere suasit amor, sacrosque attingere sensu,
Quis numerum dedit ille tonos, mundumque tonando

¹ Terent. in Adelph. act. v, scen. 1. — ² Alias Epistola xl.

Disseruit canere, et pariles agitare choreas,
Implicuit varia nostrum caligine pectus,
Induxitque animo rerum violentia nubem.
Inde figurarum positas sine pulvere formas
Posco amens, aliasque graves offendo tenebras.
Ad summam, astrorum causas clarosque meatus,
Obscuros quorum ille situs per nubila monstrat.
Sic jacui nutans, ut talem omnino ruinam,
Nec qui nos prohibet latebras agnoscere cœli,
Nec persona daret functorum freta cavernis.
Protea namque ferunt veterum commenta Pelasgum,
Qui dum sollicitis non vult aperire futura,
Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis,
Captum aliquando tamen in munera parva volucrum.
At mihi, qui nimium curis gravioribus angor,
Dulcia quæque animæ, subdulcia pabula quæro,
Varronis responsa latent. Quod supplice cantu
Præsidium nymphamve rogem et flumina poscam,
An te voce vocem, clari quem rector Olympi
Fontibus infantum præfecit, et abdita jussit
Ubertate animi longe ructare fluenta?
Ferto magister opem, ac tu tu ne desere vires
Invalidas, mecumque sacras subvertere glebas
Incipe : tempus enim, nisi me mortalia fallunt,
Labitur, in seniumque trahit. Tibi noster Apollo
Corda replet, patremque suum patremque deorum
Conciliat, legemque bonam, pacemque cruentam
Monstrat et abducto velamine singula pandit.
Viginti emensus nam longos forsitan orbes
Solis eras, cum te ratio pulcherrima mundi,
Ditior imperiis, et nectare dulcior omni
Corripuit, statuitque vagum, medioque locavit,
Omnibus unde aciem posses intendere rebus.

O bone, carpe iter annorum, sapientia quantum
 Crescit amore sui, inveniens nova culmina semper.
 Perge viam qua te soboles præcalara tonantis
 Perducit, sternens in planos ardua campos.
 Et cum luciferos præcordia : vesper in ortus
 Distulerit, sanctumque super benedixerit ignem,
 Sis memor ipse mei: bibulam qui ponitis aurem
 Legibus invictis, contundite petora palmis,
 Sternite membra solo, meritosque ciete dolores,
 Et prohibete nefas, Deus imperat omnibus unum,
 Admonet antistes, venturaque fulmina terrent.
 O mihi transactos revocet si pristina soles
 Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
 Otia tentantes, et candida jura bonorum
 Duximus Italiae medio, montesque per altos.
 Non me dura gela prohiberent frigora cano,
 Nec fera tempestas Zephyrum, fremitusque Borini,
 Quin tua sollicito premerem vestigia passu.
 Hoc opus ut jubeas tantum, cruor irriget artus,
 Solstitio Neuros, bruma sectabimur Istrum.
 Ignotus Garamas solvet mihi vincula gentis.
 Xamphrosque læus fugiens Hypaneius amnis
 Callipidum Scythias resonat spumousus ad undas.
 Ibimus et Leucos, qua Leucia solis in ortus
 Tenditur: et vasti deserta cacumina Cassi,
 Queis Epidamneæ aequat sibi Cassia rupes,
 Unde quiescentem auroram, currusque solutos,
 Sopitamque diem media sub nocte viderem,
 Te suadente petam: nec enim labor aut metus ullus
 Terret, ubi insontes precibus Deus audit apertis.
 Et nunc Romulicum sedes et inania tecti
 Culmina, bacchatasque domus, vanosque tumultus
 Desererem, et totus semel in tua corda venirem,

Ni mens conjugio incumbens retineret euntem,
 Crede meis, o docte, malis, veroque dolori,
 Quod sine te nullos promittunt carbasa portus,
 Erramusque procul turbata per æquora vitæ.
 Præcipites densa veluti caligine nautæ,
 Quos furor Australis, stridens et flatus ab Euro
 Perculit, et raptis privavit turbo magistris:
 Protinus abruptis miseri volvuntur in undis:
 Non forus aut proræ, non lintea deinde procellas
 Ferre valent, ratioque jacet stupefacta regendi:
 Sic me ventus agit, volvuntque cupidinis æstus
 In mare letiferum, nec terræ protinus absunt.
 Sed mecum reputans, tua candida verba magister,
 Hæc magis esse reor tibi credere: callida res est,
 Decipit, atque animis molitur retia nostris.
 Præteritos oblitus enim, præsentia præsto:
 Nunc tibi care tuo, nos nunc de pectore lapsi.
 Heu mihi quo ferar, unde velim tibi pandere mentem,
 Ante sub Ægeo aptabunt pia tecta palumbes,
 Et versa haleyone componet in arbore nidos,
 Esuriens vitulos alet ante læna sequaces,
 Atque impasta diu teneros lupa nutrit agnos,
 Mutantesque suis divisum partibus orbem,
 Aut Barcæus alet taurum, aut Hyrcania sauros:
 Ante Thyesteis iterum male territa mensis,
 Interrupta dies refugos vanascat in ortus:
 Ante dabunt imbres Nilum, super æthera damæ
 Errabunt, montesque canent, et flumina plaudent,
 Quam mihi post tergum veniant tua dona magister.
 Arcet amor, copulamque tenet communis honesti.
 Hic hic regnat amicitiae decus hoste fugato.
 Nam neque propter opes vitreas, aurumque rebelle,
 Jungimus assensus animorum: nam neque vulgi

Nos fortuna ruens, quæ separat ardua, junxit.
 Sed labor interiora legens, vulgata libellis,
 Atque animis inventa tuis, et nobile dogma
 Indictum, contraque bonus responsa relatus.
 Et mea Calliope, quamvis te cominus altum
 Horreat, et vultus abscondat, inutile tractans:
 Hoc tamen, hæc animi vinculum, nexusque fideles,
 Non qui montosis firmatas rupibus alpes
 Fregit, et Italicas pressit cum mœnibus urbes,
 Rumperet, aut nostro terreret robore quidquam.
 Ite procul latices tumidis anfractibus Oxi,
 Aut ab Arempheis Riphæos aut oppida Caspii
 Cimmeriasque domos sejungere flumine largo:
 Mæotidumque plagæ, pontus quas obruit Helles,
 Europæ atque Asiæ longe discrimina tendant.
 Nonne hominum per utrumque latus armenta fatigans
 Finibus abscondit Thalari Dodona Molossos,
 Cognatosque Arabas? nec pacis foedus amicum
 Sidonio inter mansit regnumque Pelopum,
 Sacrilegosque Phryges, quamvis pro tempore cunctis
 Hospitio commune fuit. Quid denique fratrum
 Discidium, pugnasque canam? quid honesta parentum
 Verbera, quid matrum furias, natosque superbos?
 Est etiam superum concors discordia rerum,
 Totque fluunt ritus, quot dat sententia leges.
 Nec tenet unus amor, non si mihi murmura centum
 Det Boreas, totidemque animas, centumque per ora
 Lingua rigens adamante fremat, memorare valebo
 Quæ sociata prius veterum natura locorum
 Distulit, et tereti limavit glareæ mundo.
 Sed nos prætereo, quod ab una exsurgimus urbe,
 Quod domus una tulit, quod sanguine tangimur uno
 Sæclorum, Christiana fidesconnexuit, et quod

Nos iter immensum disterminat, et plaga ponti.
 Interfusa coërcet, amor contemnit utrumque.
 Gaudia qui spernens oculorum, semper amico
 Absente fruitur; quoniam de corde profundo
 Pendet, et internæ rimatur pabula fibræ.
 Interea venient quæcumque futura bonorum
 Scripta salutiferi sermonis, et illa priorum
 Æquiparanda favis, reputans quæ pectore in alto,
 Conceptum in lucem vomuisti nectaream mel,
 Præsentem ipsa mihi te reddent, si mihi morem
 Gesseris, et libros quibus¹ in te lenta recumbit
 Musica tradideris, nam ferveo totus in illos.
 Annue, sic nobis verum ratione patescat,
 Sic plus Eridano fluat, et contagia mundi
 Nequidquam volitent nostri circum arva coloni.

IV. ¹ Si versus tuus momentis inordinatis perversus
 esset, si suis legibus non staret, si mensuris imparibus
 aures auditoris offenderet, puderet te certe, nec differ-
 res nec desisteres donec ordinares, corrigeres, statueres,
 æquares versum tuum, discendo et agendo artem metri-
 cam acerrimo studio, et labore quolibet: quid cum inor-
 dinatus ipse perverteris, cum legibus Dei tui ipse non stas,
 neque in agenda vita honestis tuorum votis, et huic ipsi
 eruditioni tuæ concinis, abjiciendum post tergum putas
 et negligendum; quasi præ sono linguæ tuæ sis tibi vilior,
 et in compositis moribus quod offendis aures Dei levius sit,
 quam si incompositis syllabis tuis grammatica succenseret
 auctoritas. Scribis: ®

O mihi transactos revocet si pristina soles
 Lætificis aurora rotis, quos libera tecum

¹ Vide libros de Musica. — ? Alias Epist. xli.

Otia tentantes, et candida jura bonorum
 Duximus Italix medio, montesque per altos:
 Non me dura gelu prohiberent frigora cano,
 Nec fera tempestas Zephyrum fremitusque Borini.
 Quin tua sollicito premerem vestigia passu.
 Hoc opus ut jubeas tantum.

Me miserum, si ego non jubeo, si non cogo atque impetro, si non rogo, ac supplico. Sed si aures tuæ adversus meas voces clausæ sunt, ori tuo pateant, pateant carmini tuo; exaudi te ipsum durissime, immanissime, surdissime. Quo mihi linguam auream et cor ferreum? quibus ego non carminibus, sed lamentationibus sufficiam plangere carmina tua: in quibus video, quam animam, quod ingenium non mihi liceat apprehendere, et immolare Deo nostro? Expectas ut ego jubeam, sis bonus, sis quietus, sis beatus, quasi quidquam mihi dierum gratius illuscescat, quam ut ingenio tuo fruar in Domino, aut vere tu nescias quam te esuriam et sitiam, aut non hoc ipso id carmine fatearis. Revoca animum quo ista scripsisti, nunc mihi dic: « Hoc opus ut jubeas tantum. » Ecce jussum meum, da mihi te, si hoc opus est tantum: da Domino meo te, qui omnium nostrum dominus est, qui tibi illud donavit ingenium. Nam ego quid sum, nisi servus tuus per ipsum et conservus sub ipso?

V. An ipse non jubet? audi Evangelium: « Stabat (inquit) Jesus, et clamabat: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. » Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est¹. » Si hæc non audiuntur, aut usque ad aures audiuntur,

¹ Matth. xi, 28-30.

expectas-ne Licenti, ut Augustinus jubeat conservo suo, et non plangat potius frustra jubere Dominum suum; imo non jubere, sed invitare et rogare quodam modo, ut qui laborant, reficiantur ab eo? Sed videlicet fortissimo et præfidenti collo, jugum mundi jugo Christi est jucundius: qui si laborare nos cogeret, vide quis cogeret, qua mercede cogeret. Vade in Campaniam, discite Paulinum egregium et sanctum Dei servum, quam grandem fastum sæculi hujus, tanto generosiore, quanto humiliore cervice incunctanter exusserit, ut eam subderet Christi jugo, sicut subdidit: et nunc illo moderatore itineris sui quietus, et modestus exultat: Vade, discite quibus opibus ingenii sacrificia laudis ei offerat, refundens illi quidquid boni accepit ex illo, ne amittat omnia, si non in eo reponat a quo hæc habet.

VI. Quid æstuas? quid fluctuas? quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, et avertis a nobis? mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt. Mentiantur Licenti, « sic nobis (sicuti optas) verum ratione patescat: sic plus Eridano fluat. » Non dicit verum nisi Veritas: Christus est veritas: veniamus ad eum, ne laboremus. Ut ipse nos reficiat, tollamus jugum ejus super nos, et discamus ab eo, quoniam mitis est et humilis corde, et inveniemus requiem animabus nostris. Jugum enim ejus lene est, sarcina ejus levis est. Ornari abs te diabolus quærit. Si calicem aureum invenisses in terra, donares illum ecclesie Dei. Accepisti a Deo ingenium spiritaliter aureum, et ministras inde libidinibus, et in illo Satanæ propinas te ipsum? Noli obsecro, sic aliquando sentias, quam misere et miserando pectore hæc scripserim; et miserearis jam mei, si tibi viluisti.

EPISTOLA XXVII¹.

Domino vere sancto et venerabili, et eximia in Christo laude prædicando,
fratri PAULINO AUGUSTINUS in Domino salutem.

Augustinus Paulino, amplectens illius benevolentiam, et mutuū declarans amorem: nonnulla de Romaniano et Alypio, necnon de Licentio, cujus ætati metuebat, ne vergeret ad ea que sunt mundi.

I. O BONE VIR et bone frater, latebas animam meam: et ei dico ut toleret, quod adhuc late oculos meos, et vix mihi obtemperat; imo non obtemperat: an vero tolerat? Cur ergo me excruciat desiderium tui apud ipsam intus animam? Nam si molestias corporis paterer, etsi non perturbarent æquitatem animi mei, recte illas tolerare dicerer: cum autem non æquo animo fero, quod te non video, intolerabile est istam appellare tolerantiam. Sed quando tu talis es, esse sine te fortasse intolerabilius toleraretur. Bene est ergo, quia æquo animo ferre non possum, quod si æquo animo ferrem, æquo animo ferendus non essem. Mirum est, sed tamen verum, quod mihi accidit: doleo quod te non video, et me ipse consolatur dolor. Ita mihi displicet fortitudo, qua patienter fertur absentia honorum sicuti es. Nam et Jerusalem futuram desideramus utique, et quanto impatientius desideramus ipsam, tanto patientius sustinemus omnia propter ipsam. Quis igitur potest non gaudere te viso, ut possit quandiu te non videt, non dolere? Ergo neutrum possum, et quoniam si

¹ Alias XXXII. quæ autem XXVII erat, anno CLIV. — Scripta circa ineuntem annum 395.

possem, immaniter possem, non posse delector, atque in eo quod delector nonnullum solatium est. Dolentem itaque me non sedatus, sed consideratus consolatur dolor. Ne reprehendas, quæso, sanctiore gravitate qua prævalet et dicas non recte me dolere, quod adhuc te non noverim, cum animum mihi tuum, hoc est te ipsum interiore aspiciendum patefeceris. Quid enim si uspiam te vel in terrena tua civitate didicissem fratrem et dilectorem meum, et tantum in Domino ac talem vitum, nullum-ne me dolorem sensurum fuisse arbitraberis, si non sinerer nosse domum tuam? Quomodo ergo non doleam, quod nondum faciem tuam novi, hoc est domum animæ tuæ, quam sicut meam novi?

II. Legi enim litteras tuas fluentes lac et mel, præferentes simplicitatem cordis tui, in qua quæris Dominum sentiens de illo in bonitate, et afferentes ei claritatem et honorem. Legerunt fratres, et gaudent infatigabiliter et ineffabiliter, tam uberibus et tam excellentibus donis Dei, bonis tuis. Quotquot eas legerunt, rapiunt, quia rapiuntur cum legunt. Quam suavis odor Christi, et quam fragrat ex eis, dici non potest. Illæ litteræ cum te offerunt ut videaris, quantum nos excitant ut quæraris: nam et perspicabilem faciunt et desiderabilem. Quanto enim præsentiam tuam nobis quodam modo exhibent, tanto absentiam nos ferre non sinunt. Amant te omnes in eis, et amari abs te cupiunt. Laudatur et benedicatur Deus, cuius gratia tu talis es. Ibi excitatur Christus, ut ventos et maria tibi placare dignetur tendenti ad stabilitatem suam. Videtur a legentibus ibi conjux non dux ad mollitiem viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui: quam in tuam unitatem redactam et redditam, et spiritalibus tibi tanto firmiter, quanto castioribus nexibus copulatam, officii vestræ sanctitati debitis, in te uno re-

salutamus. Ibi cedri Libani ad terram depositæ, et in arcæ fabricam compagine charitatis erectæ, mundi hujus fluctus imputribiliter secant. Ibi gloria ut acquiratur, contemnitur; et mundus ut obtineatur, relinquitur. Ibi parvuli, sive etiam grandiseuli filii Babylonis eliduntur ad petram, vitia scilicet confusionis superbicque sæcularis.

II. Hæc atque hujusmodi suavissima et sacratissima spectacula, litteræ tuæ præbent legentibus, litteræ illæ litteræ fidei non fictæ, litteræ spei bonæ litteræ puræ charitatis. Quo modo nobis anhelant sitim tuam, et desiderium defectumque animæ tuæ in atria Domini? quid amoris sanctissimi spirant? quantam opulentiam sinceri cordis exæstnant? quas agunt gratias Deo? quas impetrant a Deo? Blandiores sunt, an ardentiores; luminosiores, an fœcundiores? Quid eniã est, quod ita nos mulcent, ita accendunt, ita compluunt et ita serenæ sunt? Quid est quæso te, aut quid tibi pro eis rependam, nisi quia totus sum tuus in eo, cujus totus es? Si parum est, plus certe non habeo. Tu autem fecisti ut non mihi parum videatur, qui me in illa epistola tantis laudibus honorare dignatus es, ut cum tibi me refundo, si parum hoc putem, tibi non credidisse convincar. Pudet me quidem tantum boni de me credere, sed plus piget tibi non credere. Est quod faciam: non me credam talem qualem putas, quoniam non agnosco; et credam me abs te diligì, quoniam sentio et plane percipio: ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero. Et cum me tibi totum offero, parum non est; offero enim quem vehementissime diligis: et offero, si non qualem me esse arbitraris, eum tamen pro quo, ut talis esse merear deprecaris. Hoc enim magis jam peto facias, ne minus optes mihi adjici ad id quod sum, dum me existimas jam esse quod non sum.

IV. Ecce charissimus meus est, et ab ineunte adoles-

centia mihi familiariter amicissimus, qui hanc eximietati tuæ hac præstantissimæ charitati epistolam apportat. Hujus nomen est in libro¹ *De Religione*, quem tua sanctitas (quantum litteris indicas) libentissime legit: factus est enim tibi etiam tanti viri, qui tibi eum misit, commendatione jucundior. Neque tamen huic tam familiari amico meo velim credas, quæ de me forte laudans dixerit. Sensi enim etiam ipsum sæpe non mentiendi studio, sed amandi propensione falli judicantem et arbitrari jam me accepisse quædam, quibus accipiendis a Domino patente ore cordis inhiarem. Et si hoc in os meum, quis non conjiciat quanta de me absente meliora quau veriora lætus effundat? Librorum autem nostrorum copiam faciet venerabili studio tuo: nam nescio me aliquid, sive ad eorum qui extra Ecclesiam Dei sunt, sive ad aures fratrum scripsisse, quod ipse non habeat. Sed tu cum legis, mi sancte Pauline, non te ita rapiant, quæ per nostram infirmitatem veritas loquitur, ut ea quæ ipse loquor minus diligenter advertas: ne dum avidus hauris bona et recta, quæ data ministro, non ores pro peccatis et erratis, quæ ipse committo. In his enim, quæ tibi recte, si adverteris, displicebunt, ego ipse conspicio: in his autem, quæ per donum Spiritus, quod accepisti, recte tibi placent in libris meis, ille amandus, ille prædicandus est, apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine videbimus lumen, sine ænigmate, sed facie ad faciem; nunc autem in ænigmate videmus. In his ergo, quæ ipse de veteri fermento eructuavi, cum ea legens agnosco, me judico cum dolore: in his vero quæ de azymo sinceritatis et veritatis dono Dei dixi, exulto cum tremore. Quid enim habemus, quod non accepimus? At enim melior est qui majoribus et pluribus, quam qui minoribus et paucioribus donis Dei dives est:

¹ Romanianus laudatus in lib. de vera Religione, cap. vii, num. 12.

quis negat? Sed rursus melius est, vel de parvo Dei dono gratias ipsi agere, quam sibi agi velle de magno. Hæc ut ex animo semper confitear, meumque cor a lingua mea non dissonet, ora pro me, frater. Ora obsæcro, ut non laudari volens, sed laudans invocem Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

V. Est etiam aliud, quo istum fratrem amplius diligas: nam est cognatus venerabilis, et vere beati episcopi Alypii, quem toto pectore amplecteris, et merito: nam quisquis de illo viro benigne cogitat, de magna Dei misericordia, et de mirabilibus Dei muneribus cogitat. Itaque cum legisset petitionem tuam, qua desiderare te indicasti, ut historiam suam tibi scribat, et volebat facere propter benevolentiam tuam, et nolebat propter verecundiam suam: quem cum viderem inter amorem pudoremque fluctuantem, onus ab illo in humeros meos transtuli: nam hoc mihi etiam per epistolam iussit. Cito ergo, si Dominus adjuverit, totum Alypium inseram præcordiis tuis: nam hoc sum ego maxime veritus, ne ille vereretur aperire omnia, quæ in eum Dominus contulit, ne alicui minus intelligenti (non enim abs te solo illa legerentur) non divina munera concessa hominibus, sed ipsum prædicare videretur, et tu, qui nosti quomodo hæc legas, propter aliorum cavendam infirmitatem, fraternæ notitiæ debito fraudareris: quod jam fecissem, jamque illum legeres, nisi profectio fratris improvisa repente placuisset. Quem sic commendo cordi et linguæ tuæ, ut ita comiter ei te præbeas, quasi non nunc illum, sed mecum ante diceris. Si enim cordi tuo non dubitaverit aperire se ipsum, aut ex omni, aut ex magna parte sanabitur per linguam tuam. Volo enim eum numerosius contundi eorum vocibus, qui amicam non sæculariter diligunt.

VI. Filium autem ejus filium nostrum, cujus etiam

nomen in aliquibus nostris libris invenies¹: etsi ad tuæ charitatis præsentiam ipse non pergeret, statueram litteris in manum tuam tradere, consolandum, exhortandum, instruendum, non tam oris sono, quam exemplo roboris tui. Ardeo quippe, ut dum adhuc ætas ejus in viridi fœno est, zizania convertat in frugem, et credat expertis quod experiri periculose desiderat. Nunc ergo ex ejus carmine, et ex epistola², quam ad eum misi, intelligit benevolentissima et mansuetissima prudentia tua, quid de illo doleam, quid timeam, quid cupiam. Nec despero affuturum Dominum, ut per te ministrum ejus tantis curarum æstibus liberer. Sane quia multa scripta nostra, lecturus es, multo erit mihi gratior dilectio tua, si ex his quæ tibi displicuerint, emendaveris me justus in misericordia, et argueris me. Non enim talis es, cujus oleo timeam impinguari caput meum. Fratres non solum qui nobiscum habitant, et qui ubilibet habitantes Deo pariter serviunt, sed prope omnes qui nos in Christo libenter noverunt salutant, venerantur, desiderant germanitatem, beatitudinem, humanitatem tuam. Non audeo petere, sed si tibi ab Ecclesiasticis muneribus vacat, vides quid mecum sitiât Africa.

¹ Licentium cujus nomen in libris contra Academ., etc. — ² In Epistola superiore.

EPISTOLA XXVIII¹.

Domino dilectissimo, et cultu sincerissimo charitatis obsequendo atque amplectendo fratri et compresbytero HIERONYMO AUGUSTINUS.

Augustinus Hieronymo, de nova post LXX. Veteris Testamenti versione, deque Petro reprehenso a Paulo ad Galat. II expositulans de suscepto hinc patrocínio mendacii officiosi.

I. NUNQUAM æque quisquam tam facie cuilibet innotuit, quam mihi tuorum in Domino studiorum quieta, læta, et vere exercitatio liberalis. Quanquam ergo percipiam omnino te nosse, tamen exiguum quiddam tui minus habeo, præsentiam videlicet corporis: quam ipsam etiam postea quam te beatissimus nunc episcopus, tunc vero jam episcopatu dignus, frater Alypius vidit, remeansque a me visus est, negare non possus magna ex parte mihi esse relatu ejus impressam: et ante reditum, cum te ille ibi videbat, ego videbam, sed oculis ejus. Non enim animo me atque illum, sed corpore duos, qui noverit, dixerit, concordia duntaxat et familiaritate fidissima, non meritis quibus ille antecellit. Quia ergo me primitus communione spiritus, quo in unum neclimur, deinde illius ex ore jam diligis; nequaquam impudenter quasi aliquis ignotus commendo germanitati tuæ fratrem Profuturum (8), quem nostris conatibus deinde adjutorio tuo vere profuturum speramus; nisi forte quod talis est, ut ipse tibi per eum fiam commendatior, quam ille per me. Hactenus fortasse scribere debuerim, si esse vellem epistolarum solemnium

¹ Alias VIII. quæ autem XVIII. erat, nunc CLXVI. — Scripta anno 394 aut 395.

more contentus: sed scatet animus in loquelas communicandas tecum de studiis nostris, quæ habemus in Christo Jesu Domino nostro: qui nobis multas utilitates et viatica quædam demonstrati a se itineris, etiam per tuam charitatem non mediocriter ministrare dignatur.

II. Petimus ergo, et nobiscum petit omnis Africanarum ecclesiarum studiosa societas, ut interpretandis eorum libris, qui græce Scripturas nostras quam optime tractaverunt, curam atque operam impendere non graveris. Potes enim efficere, ut nos quoque habeamus tales illos viros, et unum potissimum, quem tu libentius in tuis litteris sonas. De vertendis autem in latinam linguam sanctis litteris canonicis laborare te nollem, nisi eo modo quo Job interpretatus es; ut signis adhibitis quid inter hanc tuam et Septuaginta, quorum est gravissima auctoritas, interpretationem distet, appareat. Satis autem nequeo mirari, si aliquid adhuc in Hebræis exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit. Omitto enim Septuaginta, de quorum vel consilii vel spiritus majore concordia, quam si unus homo esset non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præminentem auctoritatem in hoc munere sine controversia tribuendam existimo. Illi me plus movent, qui cum posteriores interpretarentur, et verborum locutionumque Hebræarum viam¹ atque regulas mordicus, ut fertur, tenerent, non solum inter se non consenserunt, sed etiam reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda et prodenda remanerent. Et aut obscura sunt, aut manifesta. Si enim obscura sunt, te quoque in eis falli potuisse creditur: si manifesta, illos in eis falli potuisse non creditur. Hujus igitur rei pro tua charitate, expositis causis, certum me facias obsecraverim.

¹ Forte vim.

III. Legi etiam quædam scripta, quæ tua dicerentur, in Epistolas apostoli Pauli, quarum ad Galatas, cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo apostolus Petrus a perniciosa simulatione revocatur. Ibi patrocinium mendacii susceptum esse vel abs te tali viro, vel a quopiam, si alius illa scripsit, fateor, non mediocriter doleo, donec refellantur (si forte refelli possunt) ea quæ me movent. Mihi enim videtur exitiosissime credi aliquod in Libris sanctis haberi mendacium; id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos. Alia quippe quæstio est, sit ne aliquando mentiri viri boni et alia quæstio est, utrum scriptorem sanctarum Scripturarum mentiri oportuerit: imo vero non alia, sed nulla quæstio est. Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.

IV. Si enim mentiebatur apostolus Paulus cum apostolum Petrum objurgans diceret; « Si tu cum sis Judæus, » gentiliter et non judaice vivis, quemadmodum gentes » cogis judaizare¹? » et recte illi videbatur Petrus fecisse, quem non recte fecisse et dixit et scripsit, ut quasi animos tumultuantium deliniret: quid respondebimus, cum exurrexerint perversi homines, prohibentes nuptias, quos futuros ipse prænuntiavit, et dixerint totum illud, quod idem Apostolus de matrimoniorum jure firmando locutus est², propter homines, qui dilectione conjugum tumultuari poterant, fuisse mentitum: scilicet non quod hoc senserit, sed ut illorum placaretur adversitas? non opus est multa commemorare. Possunt enim videri etiam

¹ Gal. ii, 14. — ² 1 Tim. iv, 30 et 1 Cor. vii, 10.

de laudibus Dei esse officiosa mendacia, ut apud homines pigriores dilectio ejus ardeat: atque ita nusquam certa erit in libris sanctis castæ veritatis auctoritas. Nonne attendimus, eundem Apostolum cum ingenti cura commendandæ veritatis dicere: « Si autem Christus non resurrexit » inanis est prædicatio nostra; inanis est et fides vestra. » Invenimur autem et falsi teste Dei: quia testimonium » diximus adversus Deum, quod suscitavit Christum, » quem non suscitavit¹. » Si quis huic diceret: Quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod etiamsi falsum sit, ad ludem Dei maxime pertinet? Nonne hujus detestatus insaniam, quibus posset verbis et significationibus, in lucem penetralia sui cordis aperriret, clamans non minore aut fortasse etiam majore scelere in Deo laudari falsitatem, quam vituperari veritatem? Agendum est igitur, ut ad cognitionem divinarum Scripturarum talis homo accedat, qui de sanctis libris tam sancte et veraciter existimet, ut nolit aliqua eorum parte delectari per officiosa mendacia, potiusque id, quod non intelligit, transeat, quam cor suum præferat illi veritati. Profecto enim cum hoc dicit, credi sibi expetit, et id agit, ut divinarum Scripturarum auctoritatibus non credamus.

V. Et ego quidem qualibuscumque viribus, quas Dominus suggerit, omnia illa testimonia, quæ adhibita sunt astruendæ utilitati mendacii, aliter oportere intelligi ostenderem, ut ubique eorum firma veritas doceretur. Quam enim testimonia mendacia esse non debent, tam non debent favere mendacio. Sed hoc intelligentiæ relinquere tuæ. Admota enim lectioni diligentiori consideratione, multo id fortasse facilius videbis quam ego. Ad hanc autem considerationem coget te pietas, qua cognoscis fluctuare auctoritatem Scripturarum divinarum, ut in

¹ 1 Cor. xv, 14.

eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel fuerit persuasum aliqua illos viros, per quos nobis hæc ministrata sunt in Scripturis suis officiose potuisse mentiri. Nisi forte regulas quasdam daturus es, quibus noverimus, ubi oporteat mentiri, ubi non oporteat. Quod si fieri potest, nullo modo mendacibus dubiisque rationibus id explices, quæso; nec me onerosum aut impudentem iudices, per humanitatem veracissimam Domini nostri. Nam, ut non dicam nulla, certe non magna culpa meus error veritati favet, si recte in te potest veritas favere mendacio.

VI. Multa alia cum sincerissimo corde tuo loqui cuperem, et de Christiano studio conferre: sed huic desiderio meo nulla epistola satis est. Uberius id ipsum possum per fratrem, quem miscendum et alendum dulcibus atque utilibus sermocinationibus tuis misisse me gaudeo. Et tamen, quantum vellem, nec ipse (quod pace ejus dixerim) forsitan capit: quanquam nihilo me illi prætulerim. Ego enim me fateor tui capacior: sed ipsum video fieri plenior, quo me sine dubitatione antecellit: et postea quam redierit, quod Domino adjuvante prosperatum iri spero, cum ejus pectoris abs te cumulati particeps fuero, non est impleturus, quod in me adhuc vacuum erit atque avidum sensuum tuorum. Ita fiet ut et ego etiam tunc egentior sim, ille copiosior. Sane idem frater aliqua scripta nostra fert secum: quibus legendis, si dignationem adhibueris, etiam sinceram atque fraternam severitatem adhibeas, quæso. Non enim aliter intelligo quod scriptum est: « Emendabit me justus in misericordia, et arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum¹: » nisi quia magis sanat objurgator sanans, quam adulator unguens caput. Ego autem difficillime

¹ Psal. cxl. 5.

bonus iudex lego quod scripserim, sed aut timidior recto, aut cupidior. Video etiam interdum vitia mea; sed hæc malo audire a melioribus, ne cum me recte fortasse reprehendero, rursus mihi blandiar; et meticulosam potius mihi videar in me, quam justam tulisse sententiam.

EPISTOLA XXIX¹.

Epistola presbyteri Hipponensium regionum ad ALYPIUM episcopum Thagastensium de die natalis Leontii quondam episcopi Hipponensis (9).

Augustinus presbyter Alypio Thagastensi episcopo narrat quibus adhortationibus obtinuerit demum, ut Hypponenses Catholici abhorrerent a luxuriosis conviviis, quæ in sanctorum natalitiis apud Africanas ecclesias celebrare mos erat.

(Prodit nunc primum ex MS. Codice RR. PP. Cisterciensium S. Crucis in Jerusalem in Urbe, in quo extat sub hocce titulo:)

I. De negotio interim, quod non curare non possum, nihil certum scribere potui, absente fratre Machario; qui cito dicitur rediturus; et quod Deo adjuvante peragi poterit, peragetur. De nostra autem pro eis sollicitudine quam fratres nostri cives qui aderant securos suos² facere possent: tamen digna res epistolari colloquio, quo nos invicem consolamur, a Domino præstita est; in quo promerendo multum nos adjutos esse credimus ipsa vestra sollicitudine, quæ profecto sine deprecatione pro nobis esse non potuit.

¹ Porro quæ alias xxix erat, nunc clxvii. Scripta anno 395.—² Forte vos.

II. Itaque ne prætermittamus vestræ charitati narrare quid gestum sit; ut nobiscum Deo gratias agatis de accepto beneficio, qui nobiscum preces de accipiendo fudistis; cum post protectionem tuam nobis nuntiatum esset tumultuari homines, et dicere se ferre non posse ut illa solemnitas prohiberetur (10), quam Lætitiā nominantes; vinolentiæ nomen frustra conantur abscondere, sicut etiam te præsentē jamjam nuntiabatur; opportune nobis occulta ordinatione omnipotentis Dei, ut quarta feria illud in Evangelio capitulum consequenter tractaretur: « Nolite » dare sanctum canibus, neque projeceritis margaritas » vestras ante porcos¹: » Tractatum est ergo de canibus et de porcis, ita ut et perversi latratu adversus Dei præcepta rixantes et voluptatum carnalium sordibus dediti erubescere cogerentur; conclusumque ita, ut viderent quam esset nefarium, intra Ecclesiæ parietes id agere nomine religionis, quod in suis domibus si agere perseverarent, a Sancto et Margaritis ecclesiasticis eos arceri oportet.

III. Sed hæc quamvis grate accepta fuerint: tamen quia pauci convenerant, non erat satisfactum tanto negotio. Iste autem sermo cum ab eis qui aderant, pro cujusque facultate ac studio, foris ventilaretur, multos habuit contradictores. Postea vero quam dies Quadragesimæ illuxisset, et frequens multitudo ad horam tractationis occurrit, lectum est istud in Evangelio, ubi Dominus de templo expulsis venditoribus animalium, et eversis mensis numulariorum dixit², domum Patris sui pro domo orationum speluncam latronum esse factam: quod capitulum, cum eos intentos proposita vinolentiæ quæstione feci, et ipse quoque recitavi; adjunxique disputationem, qua ostenderem quanto commotius et vehementius Dominus

¹ Matth. vii, 6. — ² Id. xxi, 12.

noster ebriosa convivia, quæ ubique sunt turpia, de templo expelleret, unde sic expulit concessa commercia; cum ea venderentur, quæ sacrificiis illo tempore licitis essent necessaria: quærens ab eis, quibus similiorem putarent speluncam latronum necessaria vendentibus, an immoderate bibentibus.

IV. Et quoniam mihi præparatæ lectiones suggerendæ tenebantur, adjunxi deinde, ipsum adhuc carnalem populum Judæorum, in illo templo, ubi nondum corpus et sanguis Domini offerebatur, non solum vinolenta, sed nec sobria quidem unquam celebrasse convivia; nec eos publice religionis nomine inebriatos inveniri in historia, nisi cum festa fabricato idolo exolverent¹. Quæ cum dicerem, codicem etiam accepi, et recitavi totum illum locum. Ad didi etiam cum dolore quo potui, quoniam Apostolus ait, ad discernendum populum Christianum a duritiæ Judæorum, epistolam suam non in tabulis lapideis scriptam², » sed in tabulis cordis carnalibus, cum Moyses famulus Dei, propter illos principes, binas lapideas tabulas confregisset³, quomodo non possemus istorum corda confringere, qui homines Novi Testamenti, Sanctorum diebus celebrandis ea vellent solemniter exhibere, quæ populus Veteris Testamenti et semel et idolo celebravit.

V. Tunc reddito Exodi codice crimen ebrietatis, quantum tempus sinebat, exaggerans sumpsit apostolum Paulum, et inter quæ peccata posita esset ostendi, legens illum locum: « Si quis frater nominetur aut fornicator, aut » idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, » aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere⁴; ingemiscendo admonens, cum quanto periculo convivemur cum eis, qui vel in domibus inebriarentur. Legi etiam illud quod non longo intervallo sequitur. « Nolite errare, neque

¹ Exod. xxxi, 6. — ² 2 Cor. iii, 3. — ³ Exod. xxxi, 19. — ⁴ 1 Cor. v, 11.

» fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri,
 » neque molles, neque masculorum concubitores, neque
 » fures, neque avari, neque ebrii, neque maledici,
 » neque raptores regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem
 » fuistis: sed abluti estis, sed justificati estis in nomine
 » Domini Jesu Christi, et spiritu Dei nostri¹. » Quibus
 » lectis dixi, ut considerarent quomodo possent fideles au-
 » dire, « sed abluti estis, » qui adhuc talis concupiscentiæ
 » sordes, contra quas clauditur regnum cælorum, in corde
 » suo, id est, in interiore Dei templo esse patiuntur. Inde
 » ventum est ad illud capitulum. « Convenientibus ergo
 » vobis in unum, non est dominicam cœnam celebrare:
 » unusquisque enim propriam cœnam præsumit in man-
 » ducando; et alius quidem esurit, alius ebrius est, man-
 » ducando et bibendo: an ecclesiam Dei contemnitis²? »
 » quo recitato diligentius commendavi, ne honesta quidem
 » et sobria convivia debere in ecclesia celebrari; quando-
 » quidem Apostolus non dixerit: « Numquid domos non ha-
 » betis ad inebriandos vos, ut quasi tantummodo inebriari
 » in ecclesia non liceret: « sed ad manducandum et biben-
 » dum, » quod potest honeste fieri, sed præter ecclesiam,
 » ab eis qui domos habent, ubi alimentis necessariis refici
 » possint: et tamen nos ad has angustias corruptorum
 » temporum et diffluentium morum esse perductos, ut iis
 » nondum modesta convivia, sed saltem domesticum reg-
 » num ebrietatis optemus.

VI. Commemoravi etiam Evangelii capitulum, quod
 » pridie tractaveram, ubi de pseudopropheta dictum est,
 » « Ex fructibus eorum cognoscetis eos³. » Deinde in memo-
 » riam revocavi fructus eo loco non appellatos, nisi opera:
 » tum quæsi inter quos fructus nominata esset ebrietas;
 » et recitavi illud ad Galatas: « Manifesta autem sunt

¹ 1 Cor. vi, 9. — ² Id. xi, 20. — ³ Matth. vii, 16.

» opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ,
 » luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, con-
 » tentiones, æmulationes, animositates, dissentiones, hæ-
 » reses, invidia, ebrietates, comessiones, et his simi-
 » lia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui
 » talia agunt regnum Dei non possidebunt¹. » Post quæ
 » verba interrogavi, quomodo de fructu ebrietatis agnos-
 » ceremur Christiani, quos de fructibus agnoscere Dominus
 » jussit. Adjunxi etiam legendum quod sequitur: « Fructus
 » autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas,
 » benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia². »
 » Egique ut considerarent, quam esset pudendum atque
 » plangendum, quod de illis fructibus carnis non solum
 » privatim vivere, sed etiam honorem Ecclesiæ deferre cu-
 » perent, et si potestas daretur, totum tam magnæ basilicæ
 » spatium turbis epulantium ebriorumque complerent: de
 » spiritualibus autem fructibus, ad quos et divinarum Scrip-
 » turarum auctoritate et nostris gemitibus invitarentur,
 » nolunt afferre Deo munera, et his potissimum celebrare
 » festa Sanctorum.

VII. Quibus peractis codicem reddidi, et imperata
 » oratione, quantum valui, et quantum me ipsum pericu-
 » lum urgebat, et vires administrare Dominus dignabatur,
 » constitui eis ante oculos commune periculum, et ipsorum
 » qui nobis commisi essent, et nostrum qui de illis ratio-
 » nem reddituri essemus pastorum principi, per cujus hu-
 » militatem, insignes contumelias, alapas, et sputa in fa-
 » ciem, et palmas, et spineam coronam, et crucem ac san-
 » guinem obsecravi, ut si se ipsi aliquid offendissent, vel
 » nostri miserentur, et cogitarent venerabilis senis Valerii
 » circa me ineffabilem charitatem, qui mihi tractandi verba
 » veritatis tam periculosum onus non dubitavit propter eos

¹ Gal. v, 19. — ² Ibid. 22.

imponere, eisque sæpe dixerit, quod orationes ejus exaudita essent de nostro adventu; quos non utique ad communem mortem vel spectaculum mortis illorum, sed ad communem conatum in æternam vitam ad se venisse lætatus est. Postremo etiam dixi certum esse me, et fidere in eum, qui mentiri nescit, qui per os Prophetæ sui pollicitus est de Domino nostro Jesu Christo dicens: « Si reliquerint » filii ejus legem meam, et in præceptis meis non ambula- » verint; si justificationes meas profanaverint; visitabo in » virga facinora eorum, et in flagellis delicta eorum: » misericordiam autem meam non auferam¹: » in eum ergo me fidere, quod si hæc tanta, quæ sibi essent lecta et dicta, contemnerent, visitaturus esset in virga et in flagello, nec eos permissurus cum hoc mundo damuari. In qua conquestione sic actum ut pro negotii atque periculi magnitudine tutor et gubernator noster animos facultatemque præbebat. Non ego illorum lacrymas meis lacrymis movi: sed cum talia dicerentur, fateor, eorum fletu præventus meum abstinere non potui. Et cum jam pariter flevissemus, plenissima spe correctionis illorum, finis sermonis mei factus est.

VIII. Postridie vero (11) cum illuxisset dies, cui solebant fauces ventresque se parare, nuntiatur mihi nonnullos, eorum etiam qui sermoni aderant, nondum a murmuratione cessasse, tantumque in eis valere vim pessimæ consuetudinis, ut ejus tantum voce uterentur et dicerent, Quare modo; non enim, antea qui hæc non prohibuerunt, Christiani non erant. Quo audito, quas majores commovendi eos machinas præpararem, omnino nesciebam: disponebam tamen, si perseverandum putarent, lecto illo loco de propheta Ezechiele, « Explorator » absolvitur, si periculum denunciaverit², » etiamsi illi

¹ Psal. LXXXVIII, 31. — ² Ezech. XXXIII, 9.

quibus denuntiatur, cavere noluerint; vestimenta mea excutere atque discedere. Tum vero Dominus ostendit quod nos non deserat, et quibus modis in se ut præsumamus hortetur, namque ante horam, qua exhedram ascenderemus, ingressi sunt ad me iidem ipsi, quos audieram de oppugnatione vetustæ consuetudinis fuisse conquestos: quos blande acceptos, paucis verbis in sententiam sanam transtuli: atque ubi ventum est ad tempus disputationis omissa lectione, quam præparaveram, quia necessaria jam non videbatur, dehac ipsa quæstione pauca disserui, nihil nos nec brevius nec verius posse afferre adversus eos qui dicunt: Quare modo, nisi et nos dicamus, Vel modo.

IX. Verumtamen ne illi, qui ante nos tam manifesta imperitæ multitudinis crimina vel permiserunt, vel prohibere non ausi sunt, aliqua a nobis afflicti contumelia viderentur, exposui eis qua necessitate ista in Ecclesia viderentur exorta: scilicet post persecutiones tam multas tamque vehementes (12), cum facta pace, turbæ gentilium in Christianum nomen venire cupientes hoc impedirent, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum et ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis et tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuisse majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos, post eos quos relinquebant, alios in honorem sanctorum Martyrum vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu celebrarentur: jam Christi nomine conligatis, et tantæ auctoritatis jugo subditis salutaria sobrietatis præcepta traderentur, quibus jam propter præcipientis honorem ac timorem resistere non valerent: quocirca jam tempus esse, ut qui non se audent negare Christianos, secundum Christi voluntatem vivere incipiant, ut ea quæ ut essent Christiani concessa sunt, cum Christiani sunt, respuantur.

X. Deinde hortatus sum, ut transmarinarum ecclesiarum, in quibus partim ista recepta nunquam sunt, partim jam per bonos rectores populo obtemperante correctae (13), imitatores esse vellemus. Et quoniam de basilica beati apostoli Petri (14), quotidianae vinolentiae proferebantur exempla; dixi primo audisse nos saepe esse prohibitum, sed quod remotus sit locus ab episcopi conversatione, et in tanta civitate magna sit carnalium multitudo, peregrinis praesertim, qui novi subinde veniunt, tanto violentius, quanto inscitius illam consuetudinem retinentibus, tam immanem pestem nondum compesci sedarique potuisse. Verumtamen nos si Petrum apostolum honoraremus, debere praecipua ejus audire, et multo devotius epistolam in qua voluntas ejus apparet, quam basilicam in qua non apparet, intueri: statimque accepto codice recitavi ubi ait: « Christo enim passus pro nobis per carnem, » et vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est » carne, desiit a carne, ut jam non hominum desideris, » sed voluntate Dei reliquum tempus in carne vivat. Sufficit enim vobis praeteritum tempus voluntate hominum » perfecisse, ambulantes in libidinibus, desideris, ebrietate, comessionibus et nefandis idolorum servitutibus¹. » Quibus gestis, cum omnes uno animo in bonam voluntatem ire contempta mala consuetudine cernerem, potatus sum ut meridiano tempore divinis lectionibus et psalmis interessent; ita illum diem multo mundius atque sincerius placere celebrandum: et certe de multitudine convenientium facile posse apparere, qui mentem, et qui ventrem sequeretur. Ita lectis omnibus sermo terminatus est.

XI. Promeridiano autem die major quam ante meridiem affuit multitudo; et usque ad horam, qua cum epis-

¹ 1 Petr. iv, 1.

copo egrederemur, legebatur alternatim et psallebatur: nobisque egressis duo Psalmi lecti sunt. Deinde me invitum, qui jam cupiebam peractum esse tam periculosum diem (15), jussum compulsi senex ut aliquid eis loquerer. Habui brevem sermonem, quo gratias agerem Deo. Et quoniam in haereticorum basilica audiebamus ab eis solita convivia celebrata, cum adhuc, etiam eo ipso tempore, quo a nobis ista gerebantur, illi in poculis perdurarent, dixi diei pulchritudinem noctis comparatione decorari, et colorem candidum nigri vicinitate gratiorem; ita nostrum spiritualis celebrationis conventum minus fortasse futurum fuisse jucundum, nisi ex alia parte carnalis ingurgitatio conferretur, hortatusque sum ut tales epulas instanter appeterent, si gustassent quam suavis est Dominus: illis autem esse metuendum, qui tanquam primum sectantur, quod aliquando destruetur; cum quisque comes efficiatur ejus rei, quam colit, insultaritque Apostolus talibus dicens, « quorum Deus venter¹, » cum idem alio loco dixerit, « Esca ventri et venter escis: Deus autem et hunc » et illas evacuabit². » Nos proinde oportere id sequi, quod non evacuatur, quod remotissimum a carnis affectu spiritus sanctificatione retinetur. Atque in hanc sententiam, pro tempore, cum ea, quae Dominus suggerere dignatus est, dicta essent; acta sunt vespertina, quae quotidie solent: nobisque cum Episcopo recedentibus, fratres eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriusque³ ad obscuratum diem manente atque psallente.

XII. Digessi vobis quantum breviter potui, quod vos audire desiderasse, quis dubitaverit. Orate ut a conatibus nostris omnia scandala et omnia taedia Deus dignetur avertere. Magna sane ex parte vobiscum requiescimus cum alacri-

¹ Philip. iii, 19. — ² 1 Cor. vi, 13. — ³ Forte deest sexus.

tate fervoris, quia spiritualis ecclesiae Thagastensium tam crebra nobis dona nuntiantur. Navis cum fratribus nondum venit. Apud Hasnam, ubi est presbyter frater Argentius, Circumcelliones invadentes basilicam nostram altare comminuerunt. Causa nunc agitur; quae ut pacate agatur et ut Ecclesiam catholicam decet ad opprimendas linguas haereseos impacatae, malum vos petimus ut oretis. Epistolam Asiarchae misimus. Beatissimi perseveretis in Domino, memores nostri. Amen.

EPISTOLA XXX¹.

Domino fratri sancto et unanimo AUGUSTINO PAULINUS et
THERASIA peccatores.

*Paulinus Augustino, non recepto ab eo responso,
denuo per alios scribit.*

I. « JAMDUDUM, frater in Christo Domino mi unanime, ut te in sanctis et piis laboribus tuis nescientem agnovi, absentemque vidi, tota mente complexus, alloquio quoque familiari atque fraterno per litteras audire properavi. Et credo in manu, et in gratia Domini sermonem meum ad te fuisse perlatum: sed morante adhuc puero, quem ad te aliosque dilectos aequae Deo salutandos, ante hyemem² miseramus, non potuimus ultra et officium nostrum suspendere, et desiderium sermonis tui cupidissimum temperare. Scripsimus itaque iterato nunc, si priores ad te litterae nostrae pervenire meruerunt: aut primo, si illis in manus tuas perveniendi felicitas non fuit. »

¹ Alias xxxiii. quae autem xxx erat, nunc clxxii. — Scripta circa annum 395.
— ² Sub finem anni 394.

II. « Sed tu, frater spiritualis omnia judicans, amorem in te nostrum ne pendas officio solo, aut tempore litterarum. Dominus enim testis est, qui unus atque idem operatur in suis ubique charitatem suam, jam abinde nobis, ex quo te beneficio venerabilium episcoporum Aurelii et Alypii, per tua in Manichaeos opera cognovimus, ita inditam dilectionem tuam, ut nobis non novam aliquam amicitiam sumere, sed quasi veterem charitatem resumere videremur. Denique nunc etsi sermone, non tamen tantam et affectu rudes scribimus: teque vicissim spiritu per interiorem hominem, quasi recognoscimus. Nec mirum si et absentes adsumus nobis, et ignoti nosmet novimus: cum unius corporis membra simus, unum habeamus caput, una perfundamur gratia, uno pane vivamus, una incedamus via, eadem habitemus domo. Denique in omne quod sumus, tota spe ac fide, qua stamus in praesenti, nitimur in futurum, tam in spiritu, quam in corpore Domini unum sumus, ne simus nihil si ab uno excidamus. »

III. « Quantulum ergo est, quod absentia corporalis nobis invidet nostri, nisi sane fructum istum, quo pascentur oculi temporalium expectatores: quamvis nec corporalis quidem gratia, temporalis in spiritualibus dici debeat, quibus etiam corporum aeternitatem resurrectio largietur, ut audemus in virtute Christi et bonitate Dei Patri vel indigni praesumere. Quare utinam hoc quoque nobis munus amueret gratia Dei, per Dominum nostrum Jesum Christum, ut etiam in carne faciem tuam videremus: non solum desiderii nostris magnum conferretur gaudium; sed etiam mentibus lumen accresceret, et ex tua copia locupletaretur inopia nostra. Quod quidem et absentibus largiri potes, hac praesertim occasione, qua filii nostri unanimes et charissimi nobis in Domino, Romanus et Agilis, quos ut nos alteros tibi commendamus, in

nomine Domini revertentur, opere charitatis impleto; in quo tuæ charitatis affectu specialiter utantur, rogamus. Nosti enim quam celsa promittat Altissimus fratri fratrem adjuvanti. Per hos, si quo me gratiæ, quæ tibi data est, dono remunerari voles, tuto facies. Sunt enim, velim credas, unum cor et una in Domino anima nobiscum. Gratia Dei tecum, ut est, in æternum maneat, frater in Christo Domino unanime, venerabilis, dilectissime, et desiderabilis. Omnes in Christo sanctos, quales tibi cohærere non dubium est, a nobis saluta. Commenda nos omnibus sanctis, ut tecum pro nobis orare dignentur. »

CLASSIS II.

EPISTOLA XXXI¹.

Domini dilectissimis et sincerissimis, vere beatissimis atque abundantissima Dei gratia præstantissimis fratribus, PAULINO et THERASIE, AUGUSTINUS in Domino salutem.

Paulino pro secundis litteris ab eo receptis, grati animi obsequium exhibet, seque Valerio coëpiscopum Hipponensem ordinatum esse renuntians, exoptat ut in Africam trajicere ipse velit, magno cum sibi solatio, tum cæteris Christianis exemplo futurus.

I. CUM litteras meas, quibus respondi prioribus vestris, si tamen vestris litteris ullo modo a me responderi potest, celerrime optaverim venire in vestræ charitatis manus, ut quoquo pacto absens cito possem esse vobiscum, lucrum mihi vestræ epistolæ contulit tarditas mea. Bonus Dominus, qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod malleus attribuat. Aliud enim est quod accepta epistola mea scripturi estis, aliud quod non accipiendo scripsistis. Quod cum lætissime legerimus, defuisset nobis certe ista lætitia, si ut optavimus, maximeque volumus, cito ad vestram sanctitatem nostræ litteræ permeassent. Nunc vero et hæc habere scripta, et illa sperare rescripta, gaudio cumulatione delectat. Ita nec nostra culpa accusari

¹ Alias xxxiv. quæ autem xxxi erat, nunc xxv. — Scripta ineunte an. 396.

nomine Domini revertentur, opere charitatis impleto; in quo tuæ charitatis affectu specialiter utantur, rogamus. Nosti enim quam celsa promittat Altissimus fratri fratrem adjuvanti. Per hos, si quo me gratiæ, quæ tibi data est, dono remunerari voles, tuto facies. Sunt enim, velim credas, unum cor et una in Domino anima nobiscum. Gratia Dei tecum, ut est, in æternum maneat, frater in Christo Domino unanime, venerabilis, dilectissime, et desiderabilis. Omnes in Christo sanctos, quales tibi cohærere non dubium est, a nobis saluta. Commenda nos omnibus sanctis, ut tecum pro nobis orare dignentur. »

CLASSIS II.

EPISTOLA XXXI¹.

Domini dilectissimis et sincerissimis, vere beatissimis atque abundantissima Dei gratia præstantissimis fratribus, PAULINO et THERASIE, AUGUSTINUS in Domino salutem.

Paulino pro secundis litteris ab eo receptis, grati animi obsequium exhibet, seque Valerio coëpiscopum Hipponensem ordinatum esse renuntians, exoptat ut in Africam trajicere ipse velit, magno cum sibi solatio, tum cæteris Christianis exemplo futurus.

I. CUM litteras meas, quibus respondi prioribus vestris, si tamen vestris litteris ullo modo a me responderi potest, celerrime optaverim venire in vestræ charitatis manus, ut quoquo pacto absens cito possem esse vobiscum, lucrum mihi vestræ epistolæ contulit tarditas mea. Bonus Dominus, qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod malleus attribuat. Aliud enim est quod accepta epistola mea scripturi estis, aliud quod non accipiendo scripsistis. Quod cum lætissime legerimus, defuisset nobis certe ista lætitia, si ut optavimus, maximeque volumus, cito ad vestram sanctitatem nostræ litteræ permeassent. Nunc vero et hæc habere scripta, et illa sperare rescripta, gaudio cumulatione delectat. Ita nec nostra culpa accusari

¹ Alias xxxiv. quæ autem xxxi erat, nunc xxv. — Scripta ineunte an. 396.

potest, et Domini largior benignitas fecit, quod nostro desiderio conducibilis esse iudicavit.

II. Sanctos fratres Romanum et Agilem aliam epistolam vestram audientem voces atque reddentem, et suavissimam partem vestræ præsentiae, sed qua vobis visendis inhiaremus avidius, cum magna in Domino jucunditate suscepimus. Unde, aut quando, aut quomodo vel vos præstare, vel nos possemus exigere, ut nos de vobis tanta scribendo doceretur, quanta eorum ore didicimus? Aderat etiam quod nulli chartæ adesse potest, tantum in narrantibus gaudium, ut per ipsum etiam vultum oculosque loquentium, vos in cordibus eorum scriptos cum ineffabili lætitia legeremus. Hoc quoque amplius erat, quod pagina quælibet quantacumque bona scripta contineat, nihil ipsa proficit, quamvis ad profectum explicetur aliorum: hanc autem epistolam vestram, fraternam scilicet animam, sic in eorum colloquio legebamus, ut tanto beatior appareret nobis, quanto uberius conscripta esset ex vobis. Itaque illam ad ejusdem beatitudinis imitationem, studiosissime de vobis omnia percunctando, in nostra corda transcripsimus.

III. Nec ideo tamen eos tam cito a nobis, licet ad vos remeantes, sine molestia passi sumus. Videte enim, quæso vos, quibus quatiēbamur affectibus. Tanto utique dimittendi erant velocius, quanto vobis impensius obedire cupiebant: sed quanto id cupiebant magis, tanto vos nobis præsentius exhibebant: eo quippe indicabant, quam chara vestra viscera essent: tanto igitur eos minus dimittere volebamus, quanto justius ut dimitterentur instabant. O rem non ferendam, nisi a nobis ista discessione non discederemus, nisi « unius essemus corporis membra, unum » haberemus caput, una perfunderemur gratia, uno pane » viveremus, una incederemus via, eadem habitaremus

» domo. » Cur enim non eisdem etiam verbis uteremur? Agnoscis enim, credo, hæc esse ex epistola vestra¹. Sed cur potius hæc vestra sint verba quam mea, quæ utique quam vera sunt, tam nobis ab ejusdem capitis communionem proveniunt? Et si aliquid proprium vobis donatum habent, tanto magis ea sic dilexi, ut obsiderent viam pectoris mei, neque a corde ad linguam meam verba transire sinerent, donec tanto priora, quanto sunt vestra, procederent sancti fratres, et dilecti Deo, nostraque invicem membra, quis dubitet nos uno spiritu vegetari, nisi qui non sentit, qua nobis dilectione vinciamur?

IV. Vellem tamen scire, utrum hanc absentiam, corporalem, vos patientius quam nos, faciliusque toleretis? Si ita est, fateor, non amo istam fortitudinem vestram, nisi forte quia nos tales sumus, ut minus a vobis desiderari, quam vos desiderare debeamus. In me certe si esset patientia vestræ absentiae perferendæ, displiceret mihi: segniter enim agerem ut vos viderem: quid autem absurdus, quam fortitudine fieri segniorem? Sed qua ecclesiae cura tenear, ex hoc vestra charitas oportet attendat, quod beatissimus pater Valerius, qui vos nobiscum quantum salutet quantumque sitiatur, audietis ex fratribus, nec presbyterum me esse suum passus est, nisi majorem mihi coepiscopatus sarcinam imponeret (16). Quod quidem quia tanto ejus charitate, tantoque populi studio Dominum id velle credidi, nonnullis jam exemplis præcedentibus, quibus mihi omnis excusatio claudabatur, vehementer timui excusare. Sed quanquam jugum Christi per se ipsum lene sit, et sarcina levis: tamen propter nostram asperitatem atque infirmitatem, si quid me mordet hoc vinculum, atque urget hoc onus, ineffabiliter mihi aliquanto vestræ præsentiae solatio, tolerabilius et portabilius redde-

¹ Ex Epist. xxx.

retur, quos audio curis ejusmodi expeditiores liberioresque vivere (17). Quare non impudenter ego rogo vos, et postulo, et flagito, ut in Africam majore talium hominum siti, quam siccitatis nobilitate laborantem, venire dignemini.

V. Scit Deus, quia non solum propter desiderium meum, neque solum propter eos qui vel per nos vestrum propositum, vel undecumque fama prædicante didicerunt, sed etiam propter cæteros qui partim non audiunt, partim audita non credunt, tamen possunt comperita diligere, vos istis terris etiam corporaliter adesse cupimus. Quamvis enim sedulo atque misericorditer id agitis, tamen etiam coram hominibus regionum nostrarum luceant opera vestra, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Piscatores vocante Domino, quod naviculas et retia dimiserunt, omnia se dimisisse, et Dominum secutos esse, etiam commemorando lætati sunt. Et revera omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit. Sed in eo quod cupiebatur, oculi Dei testes sunt; in eo quod habebatur, et hominum. Nescio quo autem modo, cum superflua et terrena diliguntur, actius adepta quam concupita constringunt. Nam unde tristis ille discessit, qui consilium vitæ æternæ consequendæ quærebat a Domino, cum audisset vendenda esse omnia sua, et distribuenda pauperibus, et habendum thesaurum in cælo, si vellet esse perfectus: nisi quia magnas, ut Evangelium loquitur, habebat divitias¹. Aliud est enim, nolle incorporare quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Illi velut cibi repudiantur, illa velut membra præciduntur. Quanto igitur et quantum mirabili gaudio nostris temporibus Christiana charitas conspicit, per Domini Evangelium cum

¹ Luc. xviii, 22.

lætitia fieri, quod ex ore Domini cum tristitia dives audivit?

VI. Quanquam nullis verbis explicem conceptionem ac parturitionem cordis mei: tamen quia prudenter et pie intelligitis non esse istam vestram, hoc est humanam, sed in vobis Domini gloriam. Nam et inimicum cautissime intuemini, devotissimeque agitis, ut tanquam discipuli Christi humiles corde ac mites sitis. Utilius enim terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquitur. Quia ergo recte intelligitis non hanc esse vestram, sed Domini gloriam, videtis quam parva et exigua dixerim. Dixi enim de laudibus Christi, quibus sunt linguæ impares Angelorum. Hanc ergo Christi gloriam etiam oculis nostrorum hominum cupimus admoveri, in uno conjugio proposita utrique sexui calcandæ superbiam, non desperandæ perfectionis exempla. Nescio si quidquam misericordius agitis, quam si tantum nolitis latere, quod tales estis, quantum tales esse voluistis.

VII. Vetustum impiis quoque miserabilem puerum vestræ benignitati charitatique commendo: causas calamitatis et peregrinationis ejus audietis ex ipso. Nam et propositum ejus, quo servitutum se esse pollicetur Deo, tempus prolixius, et ætas robustior, et transactus timor certius indicabunt. Tres libros, atque utinam tam grandis quæstionis ita explicatores ut grandes, tanto minus metuens in te laborem legendi, quanto ardorem perspicio diligendi, nisi sanctitati et charitati tuæ: nam quæstio eorum de *libero arbitrio* est. Hos autem non habere, aut omnes non habere fratrem Romanianum scio, per quem prope omnia, quæ quibuslibet auribus accommodata scribere potui, studio in nos tuo, non apportanda dedi, sed legenda indicavi. Habebat enim jam ille omnia, secumque gestabat: per eum autem primare scripta¹ trans-

¹ Epist. xxvii.

misi. Credo jam expertam sanctitatem tuam sagacitate spiritali, quam tibi Dominus tribuit, quid ille vir boni animo gerat, et quæ in illo infirmitate pars claudicet. Unde humanitati et charitati tuæ tam ipsum quam filium ejus, legisti, ut spero, qua sollicitudine commendaverim, et quanta mihi necessitudine copulati sint. Ædificet eos per te Dominus. Quod ab illo magis petendum est: nam id tu quam velis novi.

VIII. Adversus paganos te scribere didici ex fratribus: si quid de tuo pectore meremur, indifferenter mitte ut legamus. Nam pectus tuum tale Domini oraculum est, ut ex eo nobis tam placita, et adversus loquacissimas quæstiones explicatissima dari responsa præsumamus. Libros beatissimi papæ Ambrosii credo habere sanctitatem tuam, eos autem multum desidero, quos adversus nonnullos imperitissimos et superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissime et copiosissime scripsit.

IX. Beatissimus frater Severus de condiscipulatu nostro Milevitane antistes ecclesie, bene apud eandem civitatem fratribus cognitus, debito nobiscum officio sanctitatem vestram salutatur. Fratres quoque omnes nobiscum Domino servientes, tam id faciunt, quam vos desiderant: tam vos desiderant, quam vos diligunt: et tam diligunt, quam estis boni. Panis quem misimus, uberior benedictio fiet, dilectione accipientis vestræ benignitatis. Custodiat vos Dominus ab ista generatione in æternum, Domini dilectissimi et sincerissimi, vere benigni, et abundantissima Domini gratia præstantissimi fratres.

¹ Non extant hi libri Ambrosii.

EPISTOLA XXXII.

Domino merito prædicabili, et honorando fratri ROMANIANO,
PAULINUS et THERASIA.

*Paulinus Romano, gratulans ecclesie Hippo-
nensi, quod Augustinum meruit episcopi collegam.
Licentium, pro quo scripserat Augustinus, hortatur
et prosa et carmine, ut contento aulae fastu,
se dedit Christo.*

I. « PRIDIE quam has daremus, reversis ex Africa fratribus nostris, quorum expectatione nos pendere vidisti, optatissime sanctorum et charissimorum virorum, inde epistolas receperamus, id est Aurelii, Alypii, Augustini, Profuturi, Severi, jam omnium pariter Episcoporum. Ergo tot sanctorum talium recentissimis sermonibus, gratulantes properavimus ad te nostram referre lætitiā, ut tibi quoque expectatum in peregrinatione sollicita gaudium festivissimis conferremus indicis. Si forte eadem de venerabilibus et amantissimis viris per aliarum adventus navium comperisti, per nos etiam repetita accipe, et quasi renovata hilaritate rursus exulta. Quod si primus hic a nobis tibi nuntius veniet, gratulare tantam nobis in tua patria charitatem Christo donante partam, ut quidquid illic divina providentia gerat, « mirabilis semper (ut » scriptum est) in sanctis suis², » vel primi, vel cum primis sciamus. »

II. « Non autem tantum hoc scribimus gratulandum,

¹ Alias xxxvi. quæ autem xxxii erat, nunc xxvii. — Scripta paulo post superiorē. — ² Psal. LXVII, 36.

quod episcopatum Augustinus acceperit, sed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ ecclesiæ, ut verba cœlestia Augustini ore perceperint, qui ad majorem Dominici muneris gratiam novo more prævectus, ita consecratus est, ut non succederet in cathedra episcopo, sed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponensis ecclesiæ coepiscopus Augustinus est. Et ille beatus senex, cui purissimam mentem nulla unquam liventis invidiæ macula suffudit, dignos sui cordis pace nunc ab altissimo fructus capit, ut quem successorem sacerdotii sui simpliciter optabat, hunc mereatur tenere collegam. Credi-ne hoc potuit antequam fieret? Sed in hoc quoque omnipotentis opere dici evangelicum illud potest: « Hominibus hæc ardua, apud Deum autem omnia possibilis¹. » Exultemus itaque et lætemur in eo, qui facit mirabilia solus, et qui facit unanimes habitare in domo, quoniam ipse respexit humilitatem nostram, et visitavit in bono plebem suam: qui erexit cornu in domo David pueri sui, et nunc exaltavit cornu Ecclesiæ suæ in electis suis, ut cornua peccatorum, sicut per Prophetam spondet, hoc est Donatistarum Manichæorumque, confringat. »

III. « Utinam hæc nunc Domini tuba, qua per Augustinum intonat, filii nostri Licentii pulset auditus, sed ut illa audiat aure, qua Christus ingreditur, de qua non rapit Dei semen inimicus. Tunc vere sibi summus Christi pontifex Augustinus videbitur, quia se tunc et exauditum sentiet ab excelso, si quem tibi dignum genuit in litteris, hunc et sibi digne filium pariat in Christo. Nam et nunc, velim credas, flagrantissima de ipso nobis sollicitudine scripsit. Credimus in omnipotentem Christum, quod adolescentis nostri votis carnalibus spiritalia vota Augustini prævaleant. Vincetur vel invitus, (mihi crede) vincetur

¹ Luc. xviii, 27.

piissimi parentis fide, ne mala victoria vincat, maluerit in perniciem suam vincere, quam pro salute superari. Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis (18), in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter et filio nostro Licentio misimus. Non enim potuimus a benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere. Paucis tamen et ad ipsum loquamur, ne neget sibi scriptum, quod de se tibi scriptum est. Æschino enim dicitur, quod audit Mitio. Sed quid de alienis loquar cum de proprio cuncta possimus, et aliena loqui non soleat esse sani capitis? quo Dei gratia sano et salvo sumus, quibus caput est Christus. Incolumem te ætate quamplurima, et beatum semper cum tota domo tuâ, ut cupimus, habeamus in Christo, Domine frater merito honorandissime et desiderantissime. »

IV. « Audi ergo, fili, legem patris tui, id est, fidem Augustini, et noli repellere consilia matris tuæ, quod æque nomen in te Augustini pietas jure sibi vindicat, qui te tantillum gestavit sinu suo, et a parvulis primo lacte sapientiæ sæcularis imbutum, nunc etiam spiritalibus lactare et enutrire Domino gestit uberibus. Quoniam te adultum ætate corporea, in spiritalibus adhuc cunabulis vagientem, videt adhuc infantem verbo Dei, vixdum in Christo primis passibus et vestigio titubante repentem: si tamen Augustini doctrina tanquam manus matris et ulna nutricis instabilem regat parvulum. Quem si audias et sequaris ut rursus te sermone Salomonis alluciam, « Fili » coronam accipies gratiarum tuo vertici¹. » Et tunc vere eris ille non phantasmate somniatus, sed ab ipsa veritate formatus consul et pontifex, vacuas imagines falsi operis implente Christo solidis suæ operationis effectibus. Vere

¹ Prov. iv, 9.

enim pontifex et vere consul Licenti eris, si Augustini vestigiis propheticis et apostolicis disciplinis, ut sacro beatus Helisæus Helix, ut illustri Apostolo Timotheus adolescens, adhæreas, indivulso per itinera divina comitatu, ut et sacerdotium corde perfecto discas mereri, et populis ad salutem magistro ore consulere. »

V. « Sat hoc monitis et hortatui : modico enim sermone at labore te arbitror, mi Licenti, ad Christum posse incitari, jam a pueris ad studia veritatis et sapientiæ, quod utrumque vere est Christus, et omnis boni summum bonum venerabilis Augustini spiritu et ore flammatum. Qui si parum apud te pro te valuit, quid ego tanto intervallo posterior, et omnium illius opum pauper, efficiam? Sed quia et illius facultatis potentia, et tui ingenii humanitate confusus, pleniora atque majora in te spero elaborata quam elaboranda, ausus sum discere duplici gratia, ut et illi viro debita charitate comparer in sollicitudine tui, et inter eos qui salutem tuam diligunt, vel contestato numerarer affectu. Nam effectus in tui perfectione palmam Augustino potissimum destinatum scio. Vereor, fili, ne aures tuas asperitate temerarii sermonis offenderim, et per aures animo etiam tuo tædii mei vulnus intulerim. Sed in mentem venit¹ epistola tua, qua te musicis familiarem modis intellexi : a quo studio ego ævi quondam tui non abhorruui. Itaque mihi ad tuam mentem, si in aliquo exulcerassem, deliniendam remedium, litteras tuas recordatus reperi, ut te ad Dominum harmoniæ omniformis artificem, modulamine carminis evocarem. Quæso te ut aure audias, neque causam salutis tuæ in verbis meis spernas; sed piam curam et mentem paternam etiam in despiciendis sermonibus libenter accipias, quibus insitum Christi nomen, quod est supra omne no-

¹ Carmen Licentii contentum, Epist. xxvi.

men, hanc deberi venerationem facit, ut non possit a credente contemni.

Carmen elegiacum Paulini ad Licentium.

Quare age rumpe moras, et vincla tenacia sæcli :
 Nec metuas placidi mite jugum Domini.
 Pulchra quidem, sed mira vagis præsentia rerum.
 Mentibus, at sapiens non stupet ista animus.
 Nunc te sollicitat variis malesuada figuris,
 Heu validos etiam vertere Roma potens.
 Sed tibi nate precor, semper pater Augustinus
 Occurset, cunctas Urbis ad illecebras,
 Illum tanta inter fragilis discrimina vitæ
 Aspiciens, et habens pectore, tutus eris.
 Hoc tamen et repetens iterumque iterumque monebo,
 Ut fugias duræ lubrica militiæ.
 Blandum nomen bonos, mala servitus, exitus æger.
 Quem nunc velle juvat, mox voluisse piget.
 Scandere celsa juvat, tremor est descendere celsis :
 Si titubes, summa pejus ab arce cades.
 Nunc tibi falsa placent bona, nunc rapit omnibus auris,
 Ambitus, et vitreo fert cava fama sinu.
 Ast ubi te magno damno succinxerit empto
 Baltheus, et sterilis fregerit inde labor,
 Serus et incassum spes accusabis inanes,
 Et modo quæ neclis, rumpere vincla voles.
 Tunc reminisceris frustra patris Augustini
 Contempsisse dolens veridicos monitus.
 Quare si sapiens, et si pius es puer, audi,
 Et cape verba patrum, consiliumque senum.
 Quid retrahis fera colla iugo? mea sarcina lenis,
 Suave jugum. Christi est vox pia; crede Deo :

Et caput adde jugis, da mollibus ora capistris,
 Demissosque levi subde humeros oneri.
 Nunc potes hoc, dum liber agis, dum nulla retentant
 Vincula, nulla thori cura, nec altus honor.
 Hæc bona libertas, Christo servire, et in ipso
 Omnibus esse supra: non dominis hominum,
 Non vitiiis servit, non regibus ille superbis,
 Tantum qui Christo se dederit Domino.
 Nec tibi nobilitas videatur libera, quam nunc
 Sublimem attonita conspicias Urbe vehi.
 Quam cernis tanta sibi libertate videri,
 Ut dedignetur flectere colla Deo,
 Multis ille miser mortalibus, et quoque servis
 Servit, et ancillas ut dominantur, emit.
 Norunt Eunuchos et magna palatia passi,
 Et quisquis Romam, sponte miser, patitur:
 Quanto sudoris pretio, damnoque decoris
 Constet ibi chlamydis, hic honor officii.
 Nec tamen ipse potens, qui celsior omnibus esse
 Emerit, ut nulli serviat, assequitur.
 Cum bene se tota dominum jactaverit Urbe,
 Servit dæmoniis, si simulacra colit.
 Pro dolor! hos propter remoraris in Urbe Licenti,
 Et regnum Christi spernis, ut his placeas:
 Hos vocitas dominos, curva et cervice salutas,
 Quos ligni servos conspicias et lapidis.
 Nomine divino argentum venerantur et aurum,
 Religio est quod amat morbus avaritiæ.
 Imprecor hos ut amet, qui non amat Augustinum,
 Non colat et Christum, cui placet hos colere.
 Inde ait ipse Deus, dominis non posse duobus
 Serviri; quoniam mens placet una Deo:
 Una fides, Deus unus, et unicus e Patre Christus,

Haud duplex uni servitus est domino.
 Quanta etenim cælo ac terris distantia, tanta est
 Cæsaris et Christi rebus et imperiis.
 Tollere humo, sed nunc dum spiritus hos regit artus,
 Mente polum penetra, nil mora carnis obest.
 Corporeis jam nunc morere actibus, et bona vitæ
 Cœlestis liquido præmeditare animo.
 Spiritus es, quanquam tenearis corpore, si nunc
 Mente pia victor carnis opus perimas.
 Hæc tibi chare puer fido compulsus amore
 Scripsi, si recipis suscipere Deo.
 Crede Augustinum tibi nunc in me geminatum,
 Sume duos una cum pietate patres.
 Spernimur? abstraheris majore dolore duobus:
 Audimur? pignus dulce duobus eris.
 In te læta patrum sudavit cura duorum,
 Et tibi magnus honos lætificasse duos.
 Sed me Augustino, cum copulo, non meritum
 Jacto parem, solo comparo amore tui,
 Nam quid ergo effundam, rorans tibi paupere rivo?
 Me præter, gemino flumine prolueris,
 Frater Alypius est, Augustinusque magister,
 Sanguinis hic consors, hic sator ingenii.
 Tanto fratre vales et præceptore Licenti,
 Et dubitas pennis talibus astra sequi?
 Quidquid agas (nam te nec speret mundus amicum)
 Non daberis terræ, debita Christo anima.
 Tu thalamos licet, et celsos mediteris honores
 Nunc olim Domino restituere tuo.
 Credo unum vincent justus duo peccatorem,
 Et tua fraternæ vota preces abigent.
 Ergo redi, qua voce parens, qua sanguine frater,
 Ambo sacerdotes te remeare jubent.

Ac tua te retrahunt, nam nunc aliena petescis,
 Hæc mage, quæ retinent regna tui, tua sunt.
 Hæc repete, his inhia, externis ne contere tempus,
 Si tua nolueris, quisquam aliena dabit?
 Non eris ipse tuus, missusque per extera longe
 Sensibus heu proprii pectoris exul ages.
 Sollicitum satis hæc nato cecinisse parentem,
 Dum tibi quæ mihimet, vel volo, vel metuo.
 Hæc tibi, si recipis, feret olim pagina vitam:
 Si renuis, eadem hæc pagina testis erit.
 Incolumem mihi te, fili charissime, Christus
 Annuat, et servum det sibi perpetuo.
 Vive precor, sed vive Deo; nam vivere mundo
 Mortis opus: viva est vivere vita Deo.

EPISTOLA XXXIII¹.

Domino honorabili et dilectissimo PROCULEIANO AUGUSTINUS.

*Augustinus Proculeiano partis Donatianæ apud
 Hypponem episcopo, invitans illum ut mutua col-
 latione schisma componatur.*

I. PROPTER imperitorum hominum vanitates diutius apud te de titulo epistolæ meæ disputare non debeo. Cum enim nos revocare invicem ab errore conamur, quamvis ante plenissimam discussionem causæ quibusdam videri possit, quis nostrum erret, incertum: servimus tamen invicem nobis, si bono animo nobiscum agimus, ut a per-

¹ Alias cXLVII. quæ autem XXXII erat, nunc XXX. — Scripta initio episcopatus Augustini.

versitate discordiæ liberemur. Quod me sincero corde agere, et cum tremore christianæ humilitatis, etiamsi plerisque hominibus apertum non est, videt tamen ille, cui nulla corda clauduntur. Quid autem in te honorare non dubitem, facile intelligis. Non enim errorem schismatis, unde omnes homines, quantum ad me attinet, cupio sanari, dignum honore aliquod existimo: sed te ante omnia, quod ipsius nobis humanæ societatis vinculo astringeris, et quod nonnulla in te præeminent placidioris mentis indicia, quibus nullo modo desperandum est facile te posse veritatem, cum fuerit demonstrata, complecti, sine ullo æstu dubitationis honorandum puto. Dilectionis autem tantum tibi debeo, quantum nobis imperat ipse qui nos dilexit usque ad crucis opprobrium.

II. Sed ne mireris, quod apud benevolentiam tuam tandiu tacui; non putabam in hac te esse sententia, quam mihi frater Evodius, cui fidem non habere non possum, gaudens indicavit. Nam cum forte contigisset, ut in unam domum conveniretis, et sermo inter vos de spe nostra, hoc est de Christi hæreditate ortus esset, ait dixisse benignitatem tuam, velle te bonis viris sedentibus conferre nobiscum. Quod te multum gaudeo nostræ humilitati offerre dignatum: neque ullo modo possum tantam occasionem benigni animi tui deserere, ut quantum vires Dominus præbere dignabitur, quæram tecum atque discussionem, quæ causa, quæ origo, quæ ratio in Ecclesia Christi, cui dixit, « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo » vobis¹, tam lugendæ atque plangendæ discussionis extiterit.

III. Audiavi quidem de memorato fratre te fuisse conquestum, quod nescio quid tibi contumeliose responderit: quod, quæso te, ne illam contumeliam deputes, quam

¹ Joan. XIV, 27.

certum mihi est non de superbo animo **processisse**, novi enim fratrem meum, sed si quid in **disputando** pro fide sua, et pro Ecclesiae charitate dixit **fortasse** ferventius, quod tua gravitas nollet audire, non illa **contumacia**, sed fiducia nominanda est. Collatorem enim **et** disputatorem, non assentatorem et adulatorem se esse **cupiebat**. Nam hoc est oleum peccatoris, quo **Propheta non vult impinguari caput**. Ita enim dicit: « **Emendabit** me justus in » misericordia, et arguet me, oleum autem **peccatoris non » impinguet caput meum** ¹. » **Mavult enim** severa misericordia justis emendari, quam leni **adulationis** unctio laudari. Unde etiam illud **propheticum est**: « Qui vos » felices dicunt, in errorem vos mittunt ². » **Ideoque** de homine, quem **falsae blanditiae** faciunt **arrogantem**, recte etiam vulgo dicitur, **Crevit caput**. **Impinguatum** est enim oleo peccatoris: hoc est, non **aspera** veritate corrigentis, sed leni falsitate laudantis. **Neque** hoc in eam partem peto accipias, quasi ego te a **fratre Evodio** tanquam a justo, emendatum intelligi **velim**. Vereor enim ne me quoque aliquid contumeliose in **te dicere** existimes, quod vehementer caveo, quantum **possum**. Sed justus est ille qui dixit; « **Ego sum veritas** ³. » **Itaque** de cujuslibet hominis ore nobis verum cum aliqua **asperitate** sonuerit, non ab illo homine, qui forte **peccator est**, sed ab ipsa veritate, hoc est, a Christo, qui justus **est**, emendamur: ne nostrum caput blandae, sed **perniciosae** adulationis unctio, hoc est, oleum peccatoris **impinguet**. Quanquam etiam si frater Evodius aliquantum pro **suae** communionis defensione turbator, aliquid elatius **animo** commotiore dixisset, aetati hominis et necessitati **causae** te oporteret ignoscere.

IV. Illud tamen quod promittere **dignatus es**, peto

¹ Psal. cxi, 7. — ² Isai. lvi, 12. — ³ Joan. xiv, 6.

memineris, ut sedentibus quos ipse delegeris, (dummodo verba nostra non inaniter ventilentur, sed stylo excipiantur, ut et tranquillius et ordinatius disseramus, et si quid forte a nobis dictum de memoria lapsum fuerit, recitatione revocetur) rem tam magnam, et ad salutem omnium pertinentem cum concordia requiramus. Aut si placet, nullo medio interposito, prius nobiscum sive per epistolas, sive per collocationem atque lectionem, ubi placuerit, conferamus: ne forte intemperantes nonnulli auditores malint quasi nostrum expectare certamen, quam de nostra salute in nostra collocatione cogitare: ut quod fuerit inter nos terminatum, postea per nos populus noverit; aut si per epistolas agi placet, ipsae plebibus recitentur, ut aliquando non plebes, sed plebs una dicatur. Prorsus sicut volueris, sicut jusseris, sicut tibi placuerit, libenter amplector. Et de animo beatissimi et venerabilis mihi patris Valerii nunc absentis tota securitate polliceor, hoc eum cum magna laetitia cogniturum. Novi enim quantum diligit pacem, et nulla vani fastus inanitate jactetur.

V. Rogo te quid nobis est cum veteribus dissensionibus? Huc usque vulnera illa duraverint, quae animositas hominum superborum nostris membris inflixit: quorum vulnere putrefactione etiam dolorem perdidimus, quo solet medicus implorari. Vides quanta et quam miserabili **faeditate** christianae domus familiaeque turbatae sint. Mariti et uxores de suo lecto sibi consentiunt, et de Christi altari dissentiunt. Per illum sibi jurant, ut inter se pacem habeant, et in illo habere non possunt. Filii cum parentibus unam domum habent suam, et domum Dei non habent unam. Succedere in eorum haereditatem cupiunt, cum quibus de Christi haereditate rixantur. Servi et domini communem Dominum dividunt, qui formam servi accepit, ut omnes serviendo liberaret. Honorant nos ves-

tri, honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri. Omnium verba suscipimus, neminem offendere volumus. Quid nos solus Christus offendit, cuius membra laniamus? Et homines quidem causas suas sæculares apud nos finire cupientes, quando eis necessarii fuerimus, sic nos sanctos et Dei servos appellant, ut negotia terræ suæ peragant: aliquando agamus et nos negotium salutis nostræ et salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis et pecoribus, pro quibus rebus quotidie submisso capite salutatur, ut dissensiones hominum terminemus, sed de ipso capite nostro tam turpis inter nos et perniciosa dissensio est. Quantumlibet capita submittant qui nos salutant, ut eos concordēs in terra faciamus, de cælo usque ad crucem submissum est caput nostrum, in quo concordēs non sumus.

VI. Rogo te atque obsecro, si est in te aliqua humanitas, quam multi prædicant, hic appareat bonitas tua, si non propter honores transitorios simulatur, ut contremiscant in te viscera misericordiæ, et velis aliquando rem discuti instando nobiscum orationibus, et omnia pacifice conferendo: ne miseræ plebes, quæ nostris honoribus obsequuntur, premant nos obsequiis suis in iudicio Dei; sed potius nostra non ficta charitate nobiscum revocatæ ab erroribus et dissensionibus, in veritatis et pacis itinera dirigantur. Opto te coram oculis Dei beatum esse, Domine honorabilis et dilectissime.

EPISTOLA XXXIV¹.

Domino eximio meritoque suscipiendo atque honorabili fratri EUSEBIO AUGUSTINUS.

De Juvene, qui matrem cædere solitus, demum et mortem minatus transiit ad Donatistas, ab iisque iterato baptizatus est, quod an Proculeiani episcopi mandato factum sit, uti presbyter ipsius Victor publico officio renuntiaret, inquiri postulat Augustinus, sese interim paratum asserens ad totam, si Proculeianus velit, schismatis causam placide pertractandam.

I. Scripsit Deus, cui manifesta sunt arcana cordis humani, quantum pacem diligo christianam, tantum me moveri sacrilegis eorum factis, qui in ejus dissensione indigne atque impie perseverant eumque motum animi mei esse pacificum, neque me id agere ut ad communionem catholicam quisquam cogatur invitus, sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur, et per nostrum ministerium, Deo juvante, manifestata se amplectendam atque sectandam satis ipsa persuadeat.

II. Quid enim execrabilius, quæso te, ut alia taceam, quam id quod nunc accidit? Corripitur ab episcopo suo juvenis, crebris cædibus matris insanus, et impias manus nec illis diebus, cum etiam severitas legum sceleratissimis pareit, a visceribus unde natus est revocans. Minatur eidem matri se in partem Donati transiturum, et eam quam

¹ Alias cXLVIII. quæ autem xxxiv erat, nunc xxxi. — Scripta post superiorem.

incredibili furore solet cædere perempturum. Minatur ei, transit ad partem Donati, rebaptizatur furens, et in maternum sanguinem fremens albis vestibus candidatur. Constituitur intra cancellos eminens atque conspicuus, et omnium gementium oculis matricidii meditator tanquam renovatus opponitur.

III. Hæccine tandem tibi placent vir gravissime? Nequam hoc de te crediderim: novi considerationem tuam. Cæditur mater carnalis in membris, quibus genuit et nutritivum ingratum; prohibet hoc Ecclesia mater spiritualis, cæditur et ipsa in Sacramentis quibus genuit et nutritivum ingratum. Nonne tibi videtur dixisse parricidaliter frendens, Quid faciam Ecclesiæ, quæ me prohibet cædere matrem meam? inveni quid faciam: injuriis quibus potest etiam ipsa feriatur; fiat in me aliquid unde membra ejus doleant. Vadam mihi ad eos qui moverunt exsufflare gratiam in qua illi natus sum; destrungere formam, quam in utero ejus accepi. Ambas matres meas sævis cruciatibus torqueam: quæ me posterior peperit, efferat prior. Ad hujus dolorem, spiritaliter moriar; ad illius cædem, carnaliter vivam. Quid aliud expectamus, vir honorabilis Eusebi, nisi ut in miseram mulierem, senectute decrepitam, viduitate destitutam, a cujus cædibus in Catholica prohibebatur, jam Donatista securus armetur? Quid enim aliud furibundo corde concepit, cum diceret matri: Transferam me in partem Donati, et bibam sanguinem tuum? Ecce jam conscientia cruentus, veste dealbatus perfecit partem pollicitationis suæ, restat pars altera, ut matris sanguinem bibat. Si ergo placent ista, urgeatur a clericis et sanctificationibus suis, ut intra octavas suas totum quod novit exsolvat¹.

IV. Potens est quidem dextera Domini, quæ furorem

¹ Octavæ in albis.

illius a misera vidua et desolata compescat, et eum, quibus modis novit, a tam scelerata dispositione deterreat: verumtamen ego tanto animi dolore percussus, quid facerem nisi saltem loquerer? An vero ista illi faciunt, et mihi dicitur tace? Avertat a me Dominus hanc amentiam, ut cum ipse mihi imperet per Apostolum suum, et dicat, ab episcopo refelli oportere docentes quæ non oportet¹, ego illorum indignationibus territus taceam? Quod enim publicis Gestis hædere volui tam sacrilegum nefas, ad hoc utique volui, ne me quisquam, maxime in aliis civitatibus ubi opportunum fuerit, ista deplorantem fingere aliquid arbitretur, quando etiam apud ipsam Hypponem jam dicitur, non hoc Proculeianum mandasse, quod publicum renuntiavit officium.

V. Quid autem modestius agere possumus, quam ut tam gravem causam, per te tamen agam, virum et clarissima dignitate præditum et considerantissima voluntate tranquillum? Peto igitur sicut jam petivi per fratres nostros bonos atque honestos viros, quos ad tuam eximietatem misi, ut quærere digneris, utrum Proculeiani presbyter Victor non hoc ab episcopo suo mandatum acceperit, quod officio publico renuntiavit; an forte cum et ipse Victor aliud dixerit, falsum illi apud Acta prosecuti fuerint, cum sint communionis ejusdem? Aut si consentit, ut ipsam totam quæstionem dissensionis nostræ placide pertractemus, ut error qui jam manifestus est, manifestius innotescat, libenter amplector. Audivi enim quod dixerit, ut sine tumultu populari adsint nobiscum denique ex utraque parte graves et honesti viri, et secundum Scripturas, quid in vero sit, perquiramus. Nam illud quod rursus eum dixisse nonnulli ad me pertulerunt, cur non ierim Constantinam, quando ibi plures ipsi erant, vel me debere ire

¹ Tit. 1, 9.

Milevim, quod illic, sicut perhibent, concilium proxime habituri sunt, ridiculum est dicere, quasi ad me pertineat cura propria, nisi Hypponensis Ecclesiæ. Mihi tota hujus quæstionis ratio maxime cum Proculeiano est. Sed si forte imparem se putat, cujus voluerit collegæ sui imploret auxilium. In aliis enim civitatibus tantum agimus, quod ad Ecclesiam pertinet, quantum vel ad nos permittunt, vel nobis imponunt earundem civitatum episcopi fratres et consacerdotes nostri.

VI. Quanquam et iste qui se tot annorum episcopum dicit, quid in me tyrone timeat, quominus mecum velit conferre sermonem, non satis intelligo: si doctrinam liberalium litterarum, quas forte ipse aut non didicit, aut minus didicit; quid hoc pertinet ad eam quæstionem, quæ vel de sanctis Scripturis, vel documentis ecclesiasticis aut publicis discutienda est, in quibus ille per tot annos versatur, unde in eis deberet esse peritior? Postremo est hic frater et collega meus Samsueius episcopus Turrensis ecclesiæ, qui nullas tales didicit, quales iste dicitur formidare. Ipse adsit, agat cum illo. Rogabo eum, et ut confido in nomine Christi, facile mihi concedet, ut suscipiat in hac revicem meam, et eum Dominus pro veritate certantem, quamvis sermone impolitum, tamen vera fide eruditum, sicut confidimus, adjuvabit. Nulla ergo causa est, cur ad alios nescio quos deferat, ne inter nos quod ad nos pertinet peragamus. Nec tamen, ut dixi, etiam illos defugio, si eorum ipse poscit auxilium.

EPISTOLA XXXV¹.

Domino eximio meritoque suscipiendo et dilectissimo fratri EUSEBIO
AUGUSTINUS.

Rursus interpellat Eusebium, ut Clericorum Donatistarum licentiam curet coercendam per Proculeianum episcopum: alioquin ut de se nullus quæretur, si hanc illi perferri in notitiam per codices publicos fecerit.

I. Nox ego recusanti voluntati tuæ iudicium, sicut dicis, inter episcopos subeundum molestus exhortator aut deprecator imposui. Quod quidem etiamsi suadere voluissem, possem fortasse facile ostendere, quam valeas iudicare inter nos in tam manifesta atque aperta causa, et quale sit illud quod facis, ut non auditis partibus jam ferre non dubites pro una parte sententiam, qui iudicium reformidas: sed hoc, ut dixi, interim omittam. Nihil autem rogaveram aliud honorabilem benignitatem tuam, quod quæso tandem in hac saltem epistola digneris advertere, nisi ut quæres a Proculeiano, utrum hoc ipse dixerit Victori presbyteri suo, quod ab eo sibi dictum publicum officium renuntiavit, an forte qui missi sunt, non quod a Victore audierunt, sed falsum Gestis persecuti sint: deinde quid illi de tota ipsa quæstione inter nos discutienda videretur. Arbitror autem non iudicem fieri eum, qui rogatur ut interroget aliquem, et quod ei responsum fuerit rescribere dignetur. Hoc ergo etiam nunc rogo ut facere

¹ Alias clxix. quæ autem xxxv erat, nunc xxiv. — Scripta paulo post superiore.

non graveris; quia litteras meas, sicut etiam expertus sum, non vult accipere: quod si voluisset, non utique per tuam eximietatem id agerem. Cum autem id non vult, quid possum mitius agere, quam ut per te talem virum, et qui eum diligis, interrogetur aliquid, unde me tacere mea sarcina prohibet? Quod autem mater a filio cæsa, tuæ gravitati displicuit; sed ille, dixisti, si sciret, a communionem sua tam nefarium juvenem prohibiturus esset, breviter respondeo; modo cognovit, modo prohibeat.

II. Addo etiam illud; Subdiaconus quondam Spaniensis ecclesiæ vocabulo Primus, cum ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata et sana præcepta contemneret, a clericatu remotus est, et ipse irritatus adversus disciplinam Dei transtulit se ad illos, et rebaptizatus est. Duas enim sanctimoniales concolonas suas de fundo catholicorum Christianorum, sive idem transtulit, sive illum secutæ etiam ipsæ tamen rebaptizatae sunt: et nunc cum gregibus Circumcellionum inter vagabundos greges fœminarum, quæ propterea maritos habere noluerunt, ne habeant disciplinam, in detestabilis vinolentiæ bacchationibus superbus exultat, gaudens latissimam sibi apertam esse licentiam malæ conversationis, unde in Catholica prohibebatur. Et hoc fortasse Proculianus ignorat. Ergo per tuam gravitatem atque modestiam eidem in notitiam perferatur; jubeat eum, qui non ob aliud illam communionem delegit, nisi quia in Catholica clericatum amiserat, propter inobedientiam et perditos mores, a sua communionem removeri.

III. Etenim ego, si Domino placet, istum modum servo, ut quisquis apud eos propter disciplinam degradatus ad Catholicam transire voluerit, in humiliatione pœnitentiæ recipiatur, quo et ipsi eum forsitan cogèrent, si apud eos manere voluisset. Ab eis vero considera, quæso te, quam

execrabiliter fiat, ut quos male viventes ecclesiastica disciplina corripimus, persuadeatur eis ut ad lavacrum alterum veniant, atque ut id accipere mereantur, Paganos se esse respondeant; quæ vox ne procederet de ore christiano, tantus sanguis Martyrum fusus est: deinde quasi renovati et quasi sanctificati, disciplinæ, quam ferre non potuerunt, deteriores facti, sub specie novæ gratiæ, sacrilegio novi furoris insultent. Aut si male facio, per tuam benevolentiam ista corrigenda curare, de me nullus quærat, si hæc illi perferri in notitiam per codices publicos fecero, qui mihi negari, ut arbitror in Romana civitate non possunt (19). Nam cum Deus imperet ut loquantur et prædicemus verbum, et docentes quæ non oportet refellamus, et instemus opportune atque importune, sicut Dominicis et Apostolicis litteris probo, nullus hominum mihi silentium de his rebus persuadendum arbitretur. Violenter autem vel latrocinanter si quid audendum putaverint, non deerit Dominus ad tuendam Ecclesiam suam, qui jugo suo in gremio ejus toto orbe diffuso omnia terrena regna subjecit.

IV. Nam cum ecclesiæ quidam colonus filiam suam, quæ apud nos fuerat catechumena, et ab illis seducta est invitis parentibus, ut ibi baptizata etiam sanctimonialis formam susciperet, ad communionem catholicam paterna vellet severitate revocare, et ego fœminam corruptæ mentis nisi volentem, et libero arbitrio meliora deligentem suscipi noluissem; ille rusticus etiam plagis instare cœpit, ut sibi filia consentiret; quod statim omnimodo fieri prohibui: tamen per Spanianum transeuntibus nobis, presbyter ipsius stans in medio fundo catholicæ ac laudabilis fœminæ, voce impudentissima post nos clamavit, quod traditores et persecutores essemus: quod convicium etiam in illam fœminam jaculatus est, quæ communionis est

nostræ, in cujus medio fundo stabat : quibus vocibus auditis, non solum me ipsum a lite refrenavi, sed etiam multitudinem, quæ me comitabatur, compescui. Et tamen si dicam, Quærat qui sint vel fuerint traditores vel persecutores : respondetur mihi, Disputare nolumus, et rebaptizare volumus. Nos oves vestras insidiantibus morsibus luporum more deprædemur; vos, si boni pastores estis, tacete. Quid enim aliud mandavit Proculianus, si vere ipse mandavit : Si Christianus es, serva hoc iudicio Dei, nisi nos faciamus, tu tace. Ausus est etiam idem presbyter homini rusticano conductori fundi ecclesiæ comminari.

V. Hæc quoque omnia per te, quæso, noverit Proculianus, coëreant insaniam clericorum suorum, unde, honorabilis Eusebi, non apud te tacui. Dignaberis itaque non quid tu de his omnibus sentias, ne tibi arbitreris a me iudicis onus imponi, sed quid illi respondeant mihi rescribere. Misericordia Dei te incolumem tueatur, Domine eximie et merito suscipiende ac dilectissime frater.

EPISTOLA XXXVI¹.

Dilectissimo et desiderantissimo fratri et compresbytero CASULANO
AUGUSTINUS in Domino salutem,

Augustinus Casulano presbytero refellens Urbici, id est, cujusdam e Romana urbe dissertationem pro sabbati jejunio scriptam perquam imperitissime.

I. Nescio unde sit factum, ut primis tuis litteris meas non redderem : non tamen contemptu id me fecisse scio. Nam et studiis tuis et ipso sermone delector, teque in ista ætate juvenili proficere in verbo Dei et abundare ad ædificationem, et opto et exhortor. Nunc vero scriptis tuis alteris sumptis, quibus tibi tandem aliquando responderi jure charitatis, in qua unum sumus, fraterno et æquissimo flagitas, differendum tuæ dilectionis ulterius desiderium non putavi : et inter arctissimas occupationes meas suscepti isto me debito apud te absolvere.

II. Quod ergo me consulis, utrum liceat sabbato jejunare : respondeo, Si nullo modo liceret, profecto quadraginta continuos dies nec Moyses, nec Elias, nec ipse Dominus jejunasset. Verum ista ratione concluditur, etiam Dominico die non illicitum esse jejunium. Et quisquis tamen hunc diem jejunio decernendum putaverit, sicut quidam jejunantes sabbatum observant, non parvo scandalo erit Ecclesiæ ; nec immerito. In his enim rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi

¹ Alias LXXXVI. quæ vero XXXVI erat, nunc XXXII. — Scripta forte anno 396 aut initio 397.

Dei, vel inssitata majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis cum certa documenta nulla veritatis insinuet, utique cavendum est, ne tempestate contentionis serenitatem charitatis obnubilet. Quod periculum vitare neglexit, cujus mihi prolixam disputationem, ut ei responderem cum tuis prioribus litteris existimasti esse mittendam.

III. Non autem usque adeo mihi spatia temporum larga sunt, ut ea refellendis singulis sententiis ejus impendam, quæ aliis operibus magis urgentibus explicandis habeo necessaria. Sed eo quo te mihi in tuis epistolis ostendis ingenio, quod in te donum Dei admodum diligo, eundem sermonem cujusdam, ut scribis, Urbici (20) paulo diligentius ipse considera, et videbis eum pene universam Ecclesiam Christi, ab ortu solis usque ad occasum, verbis injuriosissimis nequaquam lacerare timuisse. Nec dixerim pene universam, sed plane universam. Nam neque ipsis quorum consuetudinem sibi videntur defendere, invenitur pepercisse Romanis; sed quomodo in eos quoque redundet conviciorum ejus impetus nescit, quoniam non advertit. Nam cum ei argumenta deficiunt, quibus probet sabbato jejunandum, in luxurias epularum et temulenta convivia et nequissimas ebrietates insultabundus invehitur, quasi non jejunare, hoc sit inebriari. Quod si hoc est, quid ergo prodest Romanis sabbato jejunare? quandoquidem aliis diebus, quibus non jejunant, necesse est eos, secundum disputationem hujus, ebriosos et ventricolas judicari. Porro si aliud est gravare corda in crapula et ebrietate, quod semper est malum; aliud est autem modestia et temperantia custodita relaxare jejunium, quod certe cum fit die Dominico, reprehensionem non habet Christianum,

prandia prius Sanctorum a voracitate et ebriositate ventricolarum iste discernat, ne Romanos ipsos, quando non jejunant, ventricolas faciat, et tunc inquirat, non utrum liceat inebriari sabbato, quod nec die Dominico licet; sed utrum nec sabbato jejunandum sit, sicut Dominico non solet.

IV. Quod utinam sic quæreret, aut sic affirmaret, ut toto terrarum orbe diffusam, exceptis Romanis, et adhuc paucis Occidentalibus, apertissime non blasphemaret Ecclesiam. Nunc vero quis ferat per omnes Orientales, et multos etiam Occidentales populos Christianos de tot tantisque famulis famulabusque Christi, sabbato sobrie modesteque prandentibus, ab isto dici, quod in carne sint, et Deo placere non possint, et quod de illis sit scriptum, « Recedant iniqui a me, viam eorum nosse » nolo: » et quod sint ventricolæ, Judæam Ecclesiæ præponentes et ancillæ filios; et lege non justa, sed voluptaria, consulentes ventri, non disciplinæ succumbentes; et quod caro sint, et mortem sapiant, et cætera hujusmodi: quæ si de uno quopiam Dei famulo diceret, quis eum audire, quis non devitare deberet? Cum vero his opprobriis atque maledictis insectatur Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem et die sabbati pene, ubique prandentem, admoneo quisquis est, ut sese cohibeat. Nam cujus me nomen ignorare voluisti, profecto de illo me judicare noluisti.

V. « Filius hominis, inquit, sabbati Dominus est; in quo maxime, bene quam male facere licet! » Si ergo male facimus, quando prandemus; nullo die Dominico bene vivimus. Quod autem fatetur Apostolos sabbato manducasse, et dicit, ut tunc jejunaretur temporis non fuisse, propter quod ait Dominus: « Venient dies ut auferatur sponsus ab eis, et tunc jejunabunt filii sponsi: »

¹ Matth. xiii, 8.

» quia tempus gaudii, et tempus est luctus¹: » primum attendere debuit, quod illic Dominus de jejunio, non de sabbati jejunio loquebatur. Deinde cum vult intelligi luctum jejunio, cibo gaudium deputandum, cur non cogitat quidquid est illud, quod significare Deus voluit in eo quod scriptum est, eum die septimo requievisse ab omnibus operibus suis², non ibi luctum significatum fuisse, sed gaudium: nisi forte dicturus est, in illa requie Dei et sanctificatione sabbati gaudium Judæis, luctum significatum esse Christianis. Et tamen nec quando sanctificavit Deus diem septimum, quia in illo requievit ab omnibus operibus suis, aliquid de jejunio vel prandio sabbati expressit: nec cum postea populo Hebræo de ipsius diei observatione mandavit, aliquid de alimentis vel sumendis vel non sumendis locutus est. Vacatio tantum homini a suis, vel a servilibus operibus imperatur; quam prior populus in umbra accipiens futurorum, sic vacavit ab operibus, quemadmodum nunc Judæos vacare conspiciamus: non ut putatur Judæis carnalibus non recte intelligentibus, quod recte intelligunt Christiani. Neque enim melius hoc intelligimus quam Prophetæ, qui tamen eo tempore, quo ita fieri oportuit, servaverunt hanc sabbati vacationem, quam Judæi putant adhuc esse servandam: Unde illud est, quod lapidare Deus hominem jussit³, qui Sabbato ligna collegerat, nusquam autem legimus lapidatum, vel aliquo dignum supplicio judicatum, sive jejunantem sabbato, sive prandentem. Quid tamen horum duorum quieti conveniat, quid labori, iste ipse viderit, qui gaudium manducantibus, luctum jejunantibus deputavit, vel a Domino deputari intellexit, ubi de jejunio respondens ait: « Non possunt lugere filii sponsi, quandiu » cum eis est sponsus⁴. »

¹ Matth. ix, 15. — ² Gen. ii, 2. — ³ Num. xv, 35. — ⁴ Matth. ix, 1.

VI. Quod autem propterea dicit sabbato Apostolos manducasse, quia nondum erat tempus ut sabbato jejunarent; quod scilicet veterum traditio prohibebat: numquid ergo jam erat tempus ut sabbato non vacarent? Nonne et hoc traditio veterum prohibebat, et vacare coegebat; et tamen eo ipso sabbati die, quo Christi legimus manducasse discipulos, vulserunt utique spicas, quod sabbato non licebat, quia veterum traditio prohibebat. Videat igitur ne forte congruentius ei respondeatur ideo Dominum die illo a discipulis hæc duo fieri voluisse: unum de spicis vellendis, alterum de alimentis sumendis, ut illud esset adversus eos, qui sabbato volunt vacare, hoc autem adversus eos, qui cogunt sabbato jejunare: cum illud mutato tempore jam superstitiosum esse significasset, hoc autem utroque tempore liberum esse voluisset. Neque id confirmando dixerim, sed quid ei multo aptius, quam sunt ea quæ loquitur, responderi possit ostenderim.

VII. « Quomodo, inquit, non cum Pharisæo damnabimur bis in sabbato jejunantes¹? » tanquam Pharisæus ideo damnetur, quia bis in sabbato jejunabat; et non quia super Publicanum se tumidus extollebat. Potest autem iste dicere, etiam illos, qui omnium fructuum suorum decimas dant pauperibus, cum Pharisæo damnari; quia hoc quoque ille inter sua opera prædicabat: quod cupimus a multis fieri Christianis, et vix paucissimos invenimus. Aut vero qui non fuerit injustus, adulter et raptor, cum Pharisæo damnabitur; quia ille se talem non esse jactabat: quod certe quisquis sentit, insanit. Porro si hæc sine dubio bona, quæ sibi Pharisæus inesse commemorabat, non habenda sunt cum superbiente jactantia, quæ in illo apparebat; sed tamen habenda sunt cum pietate humili, quæ in illo non erat: sic et bis in sabbato

¹ Luc. xviii, 11.

jejunare in homine, qualis fuerat ille **Pharisæus**, infructuosum est; in homine autem **humiliter** fidei, vel fideliter humili, religiosum est: **quamvis** Evangelica scriptura non dixerit damnatum **Pharisæum**, sed magis iustificatum dixit **Publicanum**.

VIII. Verum si hoc modo putat iste intelligendum quod ait Dominus: « Nisi abundaverit **iustitia** vestra plus » quam Scribarum et **Pharisæorum**, non intrabitis in » regnum cœlorum¹, » et nisi amplius quam bis in sabbato jejunemus, hoc præcepto non **possimus** implere, bene quod septem dies sunt qui **voluntate** temporum per sua vestigia revocantur. Cum ergo **ex his** biduum quisque detraxerit, ne sabbato **Dominicoque** jejunet, remanent dies quinque in quibus **Pharisæum** superare possit bis in sabbato jejunantem. Puto enim quod si ter in sabbato quis jejunat, jam superat **Pharisæum**, qui bis in sabbato jejunabat. Quod si et quater, vel etiam ut nullus dierum, excepto sabbato et **Dominico**, prætermittatur, in hebdomade quinquies jejunetur, quod **multi** tota vita sua faciunt, maxime in **monasteriis** constituti: non solum **Pharisæus** qui bis in sabbato jejunabat, **verum** etiam **Christianus** qui quarta et sexta et ipso sabbato jejunare consuevit, quod frequenter **Romana** plebs facit, in labore jejuniî superabitur: et tamen nescio quis iste, ut dicis, **Urbicus** disputator, etiam si quis **quinque** continuis præter sabbatum et **Dominicum** diebus ita jejunet, ut nullo die omnino reficiat corpus, eum **carnalem** vocat, quasi cibus et potus cæteris diebus non **pertineat** ad carnem; et ventricolam judicat, quasi solius **sabbati** prandium descendat in ventrem.

IX. Huic sane non sufficit quod **ad** vincendum **Pharisæum** jam sufficit, ut ter in sabbato jejunetur, sed excepto

¹ Matth. v. 20.

Dominico sex cæteris diebus ita jejunare compellit, ut dicat: « Antiqua remota labe, duo in carne una, **Christi** jam sub disciplina manentes, non debent cum filiis sine lege et cum principibus **Sodomorum**, et cum plebe **Gomoræ** voluptaria convivia exercere; sed cum sanctimoniam incolis ac Deo devotis solemnem et ecclesiastico jure magis ac magis legitime jejunare, ut sex dierum vel levis error, jejuniî, orationis et eleemosynæ fontibus abluatur, quo possimus **Dominica** alogia refecti omnes æquali corde digne cantare: « Saturasti, Domine, animam inanem, et potasti animam sitientem. » Ista dicens et a frequentia jejunandi solum diem **Dominicum** excipiens, non tantum **Orientis** et **Occidentis** populos **Christianos**, in quibus sabbato nemo jejunat, verum et ipsam **Romanam** ecclesiam improvidus et incautus accusat. Cum enim dicit; sub disciplina **Christi** manentes, non debere cum filiis sine lege, cum principibus **Sodomæ**, cum plebe **Gomorræ** voluptaria sabbatorum exercere convivia, sed cum sanctimoniam incolis ac Deo devotis, solemnem et ecclesiastico jure magis ac magis legitime jejunare: ac deinde definiens quid sit legitime jejunare, subjungit et dicit, « ut sex dierum vel levis error, jejuniî, orationis et eleemosynæ fontibus abluatur: » profecto eos qui minus quam sex diebus in hebdomade jejunant, non putat legitime exercere jejunium, nec Deo esse devotos, nec maculas erroris, quæ de ista mortaliter contrahuntur, abluere. Videant ergo **Romani** quid agant, quia etiam ipsi nimium contumeliose hujus disputatione tractantur; apud quos omnibus istis sex diebus, præter paucissimos clericos aut monachos, quotus quisque invenitur, qui frequenter quotidiana jejunia? maxime quia ibi jejunandum quinta sabbati non videtur.

X. Deinde quæro: Si uniuscujusque diei vel levis error ipsius diei jejunio solvitur vel abluatur: sic enim dicit,

« ut sex dierum vel levis error jejunii quoque fontibus abluatur : » quid faciemus de illo errore, qui subreperit Dominico die, in quo scandalum est jejunare? Aut si die ipso nullus Christianis error obrepit, videat homo iste, qui ventricolas tanquam magnus jejunator accusat, quantum honoris et utilitatis ventribus tribuat, si tunc non erratur, quando prandetur. An forte in jejunio sabbati tantum bonum constituit, ut aliorum sex dierum, hoc est, ipsius etiam Dominici vel levem, sicut dicit, errorem, solum jejunium sabbati possit abolere, et solo ipso die non erratur, quo toto utique jejunatur? Quid est ergo quod diem Dominicum sabbato, velut Christiano jure, præponit? Ecce secundum ipsum dies sabbati multo sanctior invenitur, in quo et non erratur, cum ejus toto spatio jejunatur, et eodem jejunio sex cæterorum dierum, ac per hoc ipsius Dominici error abluatur: puto quod tibi non placet ista præsumptio.

XI. Jam vero cum se hominem spiritalem videri velit, et tanquam carnales, pransores sabbati accuset, attende quemadmodum Dominici diei non parco prandio reficiatur, sed alogia delectetur. Quid est autem alogia, quod verbum ex Græca lingua usurpatum est, nisi cum epulis indulgetur, ut a rationis tramite devietur? Unde animalia ratione carentia dicuntur aloga, quibus similes sunt ventri dediti: propter quod, immoderatum convivium, quo mens, in qua ratio dominatur, ingurgitatione vescendi ac bibendi quodammodo obruitur, alogia nuncupatur. Insuper etiam propter eibum ac potum, non mentis, sed ventris alogia diei Dominici dicit esse cantandum: « Saturasti, Domine, animam inanem, et potasti animam sitientem. » O virum spiritalem, o carnalium reprehensorem, o magnum jejunatorem, et non ventricultorem! Ecce qui nos admonet ne lege ventris legem Domini cor-

rumpamus, ne panem cœli vendamus esca terrena: et adjungit, « Quia esca Adam paradiso periit, esca Esau primatum amisit. » Ecce qui dicit: « Est enim Satanæ usitata calumnia, tentatio ventris, qui modicum suadet ut auferat totum. Et horum, inquit, interpretatio præceptorum ventricolas minus incurvat. »

XII. Nonne his verbis suis id agere videtur, ut etiam die Dominico jejunetur? Alioquin sanctior erit sabbati dies, quo Dominus in monumento requievit, quam Dominicus, quo a mortuis resurrexit. Sanctius est enim profecto sabbatum, si secundum verba hujus, in sabbato per jejunium peccatum omne vitatur, et quod diebus aliis contractum est, aboletur: in Dominico autem per escam ventris tentatio non cavetur, et diabolicæ calumniæ locus datur, et paradiso peritur, et primatus amittitur. Quid ergo est, quod rursus sibi ipse contrarius admonet, ut non prandio modesto, sobrio, Christiano, reficiamur Dominico die, sed in alogia lætantes plaudentesque cantemus, « Saturasti, Domine, animam inanem, » et potasti animam sitientem? » Nempe si tunc non erramus, quando jejunamus, et aliorum sex dierum errores tunc abluimus, cum sabbato jejunamus, nullus erit die Dominico deterior, nullus sabbato melior. Crede, dilectissime frater, nemo legem sicut iste intelligi nisi qui non intelligit. Si enim Adam non cibus¹, sed prohibitus cibus perdidit, et Esau nepotem sancti Abraham non esca², sed usque ad contemptum sacramenti, quod in primatu suo habuit, concupita esca damnavit: sic a sanctis et fidelibus pie prandetur, quemadmodum a sacrilegis et incredulis impie jejunatur. Præponitur autem dies Dominicus sabbato fide resurrectionis, non consuetudine refectionis, aut etiam vinolentæ licentia cantionis.

¹ Gen. iii, 6. — ² Id. xxv, 33.

XIII. « Moyses, inquit, **quadraginta** diebus panem non manducavit, nec bibit **aquam**. » Cur autem hoc dixerit, subjungit atque ait, « **Ecce** Moyses amicus Dei, nubis inquilinus, delator legis, et populi dux ter bina sabbata jejuniu celebrans non offensam, sed meritum collocavit. » Numquid attendis quid hinc possit consequenter opponi? Quia utique **sicut** Moysi jejunantis propterea ponit exemplum, quoniam **in** illis quadraginta diebus ter bina, sicut loquitur, sabbata jejunavit, et ex hoc vult persuadere, ut sabbato jejunetur: ex hoc ergo persuadeat, ut et Dominico jejunetur, quia **in** illis quadraginta diebus nihilominus Moyses ter binos Dominicos jejunavit. Sed addit ac dicit, « Et adhuc **cum** Christo Dominicus dies imminente Ecclesiae servabatur = » quod cur dixerit, nescio. Si enim propterea quia **multo** magis jejunandum est, postea quam venit cum Christo Dominicus dies: ergo, quod absit, etiam ipso Dominico jejunetur. Si autem timuit, ne propter dierum **quadraginta** jejuniu obiceretur etiam Dominico jejunandum, et ideo addidit, quod adhuc cum Christo imminente Ecclesiae dies Dominicus servabatur, ut videlicet ea **causa** intelligatur jejunasse Moyses etiam die, qui sequitur sabbatum, quia nondum venerat Christus, per quem **factus** est ipse dies Dominicus, quo non expedit jejunari: **cur** ipse Christus quadraginta diebus similiter jejunavit? **Cur** non in illis diebus quadraginta, ter binis, qui sequebantur sabbatum, jejuniu solvit, ut jam Dominici diei prandiu commendaret etiam ante resurrectionem suam, **sicut** sanguinem suum potandum dedit ante passionem? **Vides** certe dierum quadraginta jejuniu, quod iste commemorat, sic ad rem non pertinere ut sabbato jejunemus, quomodo ad rem non pertinet ut Dominico jejunemus.

XIV. Prorsus non attendit, quid ei de die Dominico

possit opponi, quando sicut accusanda sunt ebriosa convivium, et omnis vorax ac temulenta luxuries; sic accusat prandia sabbatorum, cum possint et ipsa esse modestorum atque sobriorum. Et ideo non est illi ad singula respondendum, quoniam pro sabbati prandio vitia luxuriae reprehendendo, eadem atque eadem saepe dicit, aliud non inveniendū quod dicat, nisi quod inaniter et ad rem non pertinens dicit. Utrum non sit sabbato jejunandum quaeritur, non utrum sabbato non sit luxuriandum; quod nec Dominico faciunt, qui Deum timent, quamvis in illo utique non jejunent. Quis autem diceret quod iste ausus est dicere? « Quomodo, inquit, pro nobis, aut per nos rata erunt Deo, aut digna, quae nos sanctificata die ad peccatum cogant? » Sanctificatam diem sabbati confitetur, et ad peccatum dicit cogi homines, quia prandetur. Ac per hoc secundum istum, aut dies Dominicus sanctificatus non est, et incipit esse sabbatum melius: aut si est et Dominicus dies sanctificatus, ad peccatum cogimur, quia prandemus.

XV. Et conatur testimoniis probare divinis sabbato jejunandum. Sed unde hoc probet omnino non invenit. « Manducavit, inquit, et bibit Jacob vinum, et satiatus » est, et recessit a Deo salutari suo, et ceciderunt una » die viginti tria millia¹, » quasi dictum sit: Prandit sabbato Jacob, et recessit a Deo salutari suo. Et Apostolus quando commemoravit cecidisse tot millia, non ait; Neque prandeamus sabbato, sicut illi pranderunt: sed ait, « Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt » et ceciderunt una die viginti tria millia². » Quid sibi etiam vult quod ait, « Sedit autem populus manducare et » bibere, et surrexerunt ludere? » Posuit quidem et Apostolus hoc testimonium, sed ut a servitute idolorum, non

¹ Exod. xxxii, 9 et 28. — ² 1 Cor. x, 8.

a sabbati prandio prohiberet. Sabbato autem illud factum esse, iste non probat, sed ut libitum est suspicatur. Sicut autem fieri potest ut jejunetur, et cum jejunium solvitur, si quis ebriosus est, tunc inebrietur: ita fieri potest ut non jejunetur, et si temperantes sunt homines, modestissime prandeatur. Quid est ergo quod sabbati volens persuadere jejunium, adhibet Apostolum testem dicentem: « Nolite inebriari vino, in quo est omnis luxuria¹; » quasi diceret. Nolite prandere sabbato, quia ibi est omnis luxuria. Sicut autem hoc præceptum apostolicum, ne inebrientur vino, in quo est omnis luxuria, observatur a Christianis Deum timentibus, quando prandetur die Dominico, ita observatur quando prandetur et sabbato.

XVI. « Ut expressius, inquit, errantibus contradicam, nemo jejunio Deum, etsi non promeretur, offendit; porro et non offendere promereri est. » Quis hoc diceret, nisi qui nollet considerare quid diceret? Ergo pagani quando jejunant, non ideo magis offendunt Deum? Aut si de Christianis voluit quod dixit intelligi, quis non Deum offendet, si velit cum scandalo totius, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, die Dominico jejunare? Deinde subjicit testimonia de Scripturis ad causam, quam suscepit, nihil valentia. « Jejunio, inquit, Elias paradiso donatus in corpore regnat: » quasi jejunium non prædicent qui sabbato non jejunant, sicut jejunium prædicant, qui tamen die Dominico non jejunant: aut Elias eo tempore² jejunaverit, quo populus Dei etiam sabbato jejunabat. Quod autem respondimus de quadraginta diebus jejunii Moysis, hoc deputa esse responsum, et de quadraginta diebus Eliæ. « Jejunio, inquit, Daniel leonum siccam rabiem illæsus evasit, » quasi legerit quod sabbato jejunaverit, aut etiam cum ipsis leonibus sabbato fuerit: ubi tamen legimus quod et pranderit. « Jejunio,

¹ Ephes. v, 28. — ² Forte non.

inquit, trium fida germanitas ignibus coruscanti carceri dominata, rogi hospitio susceptum Dominum adoravit. » Hæc exempla sanctorum, nec ad persuadendum cujuscumque diei jejunium valent, quanto minus sabbati? quandoquidem non solum non legitur tres viros sabbato fuisse missos in caminum ignis ardentem; sed ne illud quidem legitur, tamdiu illic eos fuisse, ut possit quisquam dicere eos jejunasse, imo vero vix unius horæ spatium est, quo eorum confessio hymnusque cantatur. Nec amplius inter illas flammæ innoxias deambulaverunt, quam canticum illud terminaverunt. Nisi forte ab isto etiam unius horæ spatium jejunio deputatur. Quod si ita est, non habet quod succenseat pransoribus sabbati. Usque ad horam enim prandii, multo quam in illo camino prolixius jejunatur.

XVII. Adhibet et illud Apostoli testimonium, ubi ait, « Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, » et gaudium, in Spiritu sancto¹. » Et regnum Dei, Ecclesiam vult intelligi, in qua Deus regnat. Obsecro te, numquid hoc agebat Apostolus, cum ista loqueretur, ut sabbato a Christianis jejunaretur? Sed nec de ipso cujuscumque diei jejunio loquebatur, cum hæc diceret. Dictum est enim adversus eos, qui more Judæorum secundum veterem legem in observatione quorumdam ciborum putabant esse munditiam, et ad eorum fratrum admonitionem, per quorum escam et potum indifferenter acceptum scandalizabantur infirmi. Ideo cum dixisset: « Noli illum in » esca tua perdere, pro quo Christus mortuus est: » et « Non ergo blasphemetur bonum nostrum: » tunc adjunxit, « Non enim est regnum Dei esca et potus³. » Nam sicut iste verba hæc Apostoli intelligit, ut regnum Dei, quod est Ecclesia, non sit in esca et potu, sed in jejunio:

¹ Rom. xiv, 17. — ² Ibid. 15.

non dico sabbatis jejunare, sed nunquam omnino cibum ac potum sumere deberemus, ne de isto Dei regno unquam recederemus. Puto autem quia, isto confitente, aliquanto religiosius die Dominico ad Ecclesiam pertinemus, quando tamen et ipso concedente prandemus.

XVIII. « Cur, inquit, sacrificium potiori Domino charum murmuramus offerre, quod spiritus desiderat et Angelus laudat? » Deinde adjungit Angeli testimonium dicentis: « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna¹. » Quid dixerit, « potiori Domino, » nescio nisi forte scriptor erravit, et te fugit, ut quod mihi legendum misisti, non emendares. Sacrificium ergo Domino charum, jejunium vult intelligi, quasi de jejunio versetur hæc quæstio, et non de jejunio sabbati. Neque enim Dominicus dies sine sacrificio, quod Deo charum est, peragitur, quia non jejunatur. Sequitur adhuc et ingerit testimonia a causa, quam defendendam suscepit, penitus aliena. « Immola, inquit, » Deo sacrificium laudis²: » et istam vocem divini Psalmi volens ad quod agitur nescio quomodo connectere, « Uti- que, inquit, non sanguinis aut ebrietatis convivium, quo non laudes debitæ Deo, sed blasphemiam diabolo suffragante sylvescunt. » O improvidam præsumptionem! Non ergo immolatur sacrificium laudis Dominico die, quia non jejunatur; sed agitur ebrietatis convivium, et blasphemiam diabolo suffragante sylvescunt. Quod si nefas est dicere; intelligat non jejunium significari in eo quod scriptum est, « Immola Deo sacrificium laudis. » Jejunium quippe certis diebus, et maxime festis non agitur. Sacrificium vero laudis ab Ecclesia toto orbe diffusa diebus omnibus immolatur. Alioquin quod nullus, non dico Christianus, sed nec insanus dicere auderet, dies illi quinquaginta post Pascha usque ad Pentecosten quibus non jejunatur, erunt se-

¹ Tobie, xii, 18. — ² Psal. xlix, 14.

cundum istum a sacrificio laudis alieni quibus tantummodo diebus in multis ecclesiis, in omnibus autem maxime cantatur Halleluia, quam vocem laudis esse nullus Christianus, quamlibet imperitus ignorat.

XIX. Confitetur tamen etiam ipso die Dominico non in ebrietate, sed in jucunditate pranderi, cum dicit, debere nos ex Judæis et Gentibus multos Christianos nomine, fide paucos electos, vespertino sabbatorum incenso, pro pecudum victimis jejunium Deo placitum laudibus immolare, cujus fervore cremata deficient opera delictorum. « Et mane, inquit, exaudiat nos a nobis auditus, et erunt nobis domus ad manducandum et bibendum, non in ebrietate, sed in jucunditate Dominica celebritate perfecta. » Tunc ergo eulogia, non ut superius ait, alogia celebratur. Sed quid eum offendit sabbati dies quem Dominus sanctificavit, ignoro, ut in eo non putet posse manducari et bibi cum tali jucunditate, quæ careat ebrietate, cum sit ante sabbatum jejunare possimus, quomodo dicit ante Dominicum sabbato jejunandum: an continuo biduo pranderi nefas esse arbitrat? Videat ergo quanta afficiat contumelia ipsam quoque Romanam ecclesiam, ubi et his hebdomadibus, in quibus quarta et sexta et sabbato jejunatur, tribus tamen diebus continuis Dominico scilicet ac deinde secunda et tertia prandetur.

XX. « Ovium vitam certum est, inquit, arbitrio pendere pastorum. Sed vae qui dicunt, quod bonum malum » et tenebras lucem, et lucem tenebras, et amarum dulce, » et dulce amarum¹. » Quid sibi velint hæc verba ejus, non non satis intelligo. Si enim hæc, ut scribis, sic Urbicus dicit, in Urbe plebs pendens ex pastoris arbitrio cum episcopo suo jejunat sabbato. Si autem sic ad te ista scripsit, tibi quia in epistola tua et ipse quiddam tale scripsisti, non

¹ Isai. v, 20.

persuadeat urbem Christianam sic laudare sabbato jejunantem, ut cogaris orbem Christianum damnare prandentem. Cum dicit, « Væ qui dicunt quod bonum malum, et tenebras lucem, et lucem tenebras, et amarum dulce, et dulce amarum, » jejunium sabbati volens intelligi bonum et lucem et dulce; prandium vero, malum et tenebras et amarum: quis eum dubitat in omnibus Christianis sabbato prandentibus universum orbem damnare terrarum? Nec se ipse respicit, nec quid dicat attendit, ut scriptis suis ab ista præcipiti cohibeatur audacia. Continuo quippe subjunxit: « Nemo ergo vos judicet in esca aut in potu¹: » quod ipse utique facit, qui sabbato sumentes escam, potumque sic arguit. Quantum erat, ut hinc ei veniret in mentem etiam illud, quod idem Apostolus alibi dicit, « Qui manducat, non manducantem non spernat: et qui non manducat, manducantem non judicet²? » Istum modum, hoc temperamentum, quo scandala devitaret, inter jejunantes sabbato et manducantes teneret, ut et ipsum non manducantem manducans quisque non sperneret, et ipse non manducans manducantem non judicaret.

XXI. « Petrus etiam, inquit, Apostolorum caput, cæli janitor, et Ecclesiæ fundamentum, extincto Simone, qui diaboli fuerat non nisi jejunio vincendi figura, id ipsum Romanos edocuit, quorum fides annuntiatur universo orbi terrarum. » Numquid ergo cæteri Apostoli prandere Christianos contra Petrum docuerunt in universo orbe terrarum? Sicut itaque inter se vixerunt concorditer Petrus, et condiscipuli ejus, sic inter se concorditer vivant sabbato jejunantes quos plantavit Petrus, et sabbato prandentes quos plantaverunt condiscipuli ejus. Est quidem et hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod apostolus Petrus cum Simone

¹ Coloss. II, 16. — ² Rom. XIV, 3.

Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis ecclesia jejnaverit, et consecuto tam prospero gloriosoque successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatae sint nonnullæ Occidentis ecclesiæ. Sed si, ut iste dicit, Simon Magus figura erat diaboli; non plane sabbatarius aut Dominicarius, sed quotidianus est ille tentator: nec tamen adversus eum quotidie jejunatur, quando et diebus Dominicis omnibus, et quinquaginta post Pascha, et per diversa loca diebus solemnibus Martyrum et festis quibusque prandetur: et tamen diabolus vincitur, si oculi nostri sint semper ad Dominum, ut ipse evellat de laqueo pedes nostros: et sive manducamus, sive bibimus, sive quodcumque facimus, omnia in gloriam Dei faciamus: et quantum in nobis est, sine offensione simus Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei. Quod parum cogitant, qui cum offensione manducant, vel cum offensione jejunant, et per utramlibet intemperantiam scandala concitant, quibus non superatur diabolus, sed lætatur.

XXII. Quod si respondeatur, hoc docuisse Jacobum Jerosolomis, Ephesi Joannem, cæterosque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id est, ut sabbato jejunetur, sed ab hac doctrina terras cæteras deviasse, atque in ea Romam stetisse: et e contrario refertur Occidentis potius aliqua loca, in quibus Roma est, non servasse quod Apostoli tradiderunt: Orientis vero terras, unde cœpit ipsum Evangelium prædicari, in eo quod ab omnibus simul cum ipso Petro Apostolis traditum est, ne sabbato jejunetur, sine aliqua varietate mansisse: interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo una fides universæ, quæ ubique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo

modo quod in fide verum est impeditur. « Omnis enim » pulchritudo filiæ Regis intrinsecus¹ : » Illæ autem observationes quæ varie celebrantur, in ejus veste intelliguntur : unde ibi dicitur, « in fimbriis aureis circumamicta » varietate. » Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.

XXIII. « Postremo, inquit, si Judæus sabbatum colendo Dominicum negat, quomodo Christianus observat sabbatum ? Aut simus Christiani, et Dominicum colamus ; aut simus Judæi, et sabbatum observemus : « Nemo enim » potest duobus dominis servire². » Nonne ita loquitur, tanquam sabbati alius dominus sit, alius Domini ? Nec illud audit, quod et ipse commemoravit : « Dominus est » enim sabbati filius hominis³. » Quod autem ita nos vult esse a sabbato alienos, sicut Judæi sunt a Dominico alieni, nonne tantum errat ut possit etiam dicere, ita nos non debere accipere Legem nec Prophetas, sicut Judæi non accipiunt Evangelium nec Apostolos ? Quod qui sapit, quid mali sapiat utique intelligis. « Sed vetera, inquit, » omnia transierunt, et in Christo facta sunt nova : » hoc verum est. Nam propterea sicut Judæi sabbatis non vacamus, etiamsi ad significandam requiem, quæ illo die significata est, Christiana sobrietate et frugalitate servata, jejunii vinculum relaxamus. Et si aliqui fratres nostri requiem sabbati, relaxatione jejunii significandam esse non putant, nequaquam de vestis regiæ varietate litigamus, ne ipsius regiæ, ubi unam fidem etiam de ipsa requie retinemus, interiora membra vexemus. Etsi enim quia vetera transierunt, cum eis transiit etiam carnalis vacatio sabbati : non tamen quia sabbato et Dominico sine supersticiosa vacatione prandemus, ideo duobus dominis servimus, quia et sabbati et Domini unus est Dominus.

¹ Psal. XLIV, 14. — ² Matth. VI, 24. — ³ Luc. VI, 5.

XXIV. Iste autem qui vetera transisse sic dicit, « ut in Christo cederet ara altari, gladius jejunio, precibus ignis, pani pecus, poculo sanguis, » nescit altaris nomen magis Legis et Prophetarum litteris frequentatum, et altare Deo prius in tabernaculo, quod per Moysen factum est, collocatum ; aram quoque in apostolicis litteris inveniri, ubi Martyres clamant sub ara Dei. Dicit cessisse jejunio gladium, non recordans illum ; quo milites Evangelici armantur ex utroque Testamento, gladium bis acutum. Dicit cessisse precibus ignem, quasi non et tunc preces deferbantur in templum, et nunc a Christo ignis est missus in mundum. Dicit cessisse pani pecus, tanquam nesciens et tunc in Domini mensa panes propositionis poni solere, et nunc se de agni immaculati corpore parem sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem. Quanto ergo melius et congruentius vetera transisse, et nova in Christo facta esse, sic diceret, ut cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini. Videmus quippe in his omnibus carnalem vetustatem spiritali cedere novitati. Sic ergo intelligendum est, sive in isto die volubili septimo prandatur, sive a quibusdam etiam jejunetur, tamen sabbato spiritali sabbatum carnale cessisse : quando in isto sempiterna et vera requies concupiscitur ; in illo vacatio temporalis jam supersticiosa contemnitur.

XXV. Cætera quæ sequuntur, quibus suam disputationem iste concludit, sicut alia quædam quæ inde commemoranda non arbitratus sum, multo magis ad causam non pertinent in qua de jejunio sabbati vel prandio disputatur. Sed ea tibi ipsi, maxime si ex iis quæ a me dicta sunt aliquid adjuvaris, advertenda et judicanda dimitto. Si autem quoniam huic quantum potui sufficienter respondisse

me puto de hac re sententiam meam quæris, ego in Evangelicis et Apostolicis litteris, totoque instrumento quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum. Ac per hoc sentio, non quidem ad obtinendam, quam fides obtinet atque justitia, in qua est pulchritudo filiae regis intrinsecus, sed tamen ad significandam requiem sempiternam, ubi est verum sabbatum, relaxationem quam constrictionem jejunii aptius convenire.

XXVI. Verumtamen in hujus sabbati jejunio sive prandio, nihil mihi videtur tutius pacatiusque servari, « quam ut qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non judicet: quia neque si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus egebimus¹: » custodita scilicet eorum inter quos vivimus, et cum quibus Deo vivimus, in his rebus inoffensa societate. Sicut enim quod ait Apostolus verum est, « malum esse homini, qui per offensionem manducat²: » ita malum est homini, qui per offensionem jejunat. Non itaque simus eis similes, qui videntes Joannem non manducantem nec bibentem, dixerunt, « Dæmonium » habet³. » Sed nec rursus eis, qui videntes Christum manducantem et bibentem, dixerunt: « Ecce homo vorax » et vinosus, amicus publicanorum et peccatorum. » Rem quippe valde necessariam his dictis Dominus ipse subjecit atque ait: « Et justificata est Sapientia in filiis suis. » Qui sint autem isti, si requiris, lege quod scriptum est; « Filii » sapientiæ Ecclesia justorum⁴: » ii sunt, qui quando manducant, non manducantes non spernant, quando non manducant, manducantes non judicant? sed eos plane,

¹ Rom. xiv, 3. — ² Ibid. 30. — ³ Matth. xi, 18. — ⁴ Eccli. iij, 1.

qui per offensionem non manducant, sive manducant, vel spernant vel judicant.

XXVII. Et de die quidem sabbati facilior causa est, quia et Romana jejunat Ecclesia, et aliæ nonnullæ, etiamsi paucæ, sive illi proximæ sive longinquæ: die autem Dominico jejunare scandalum est magnum, maxime postea quam innotuit detestabilis multumque fidei catholicæ Scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum tantquam constituerunt legitimum diem; per quod factum est, ut jejunium diei Dominici horribilius haberetur. Nisi forte aliquis idoneus sit nulla refectione interposita ultra hebdomadam perpetuare jejunium, ut jejunio quadraginta dierum, quantum potuerit, appropinquet; sicut aliquos fecisse cognovimus. Nam et ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quemdam, a fratribus fide dignissimis nobis asseveratum est. Quemadmodum enim veterum patrum temporibus, Moyses et Elias nihil contra prandia sabbatorum fecerunt, cum diebus quadraginta jejunaverunt: ita qui potuerit septem dies jejunando transire, non sibi ad jejunandum eligit Dominicum diem, sed in iis eum invenit, quos jejunaturum se vovit plurimos dies. Jejunium tamen etiam continuatum si in hebdomade solvendum est, nullo congruentius quam Dominico die solvitur. Si autem post hebdomadem corpus reficitur, non utique ad jejunandum dies Dominicus eligitur; sed in numero, quem voveri placuit, invenitur.

XXVIII. Nec illud moveat quod Priscillianistæ Manichæorum simillimi ad jejunandum die Dominico solent testimonium de Apostolorum Actibus adhibere, cum esset apostolus Paulus in Troade. Sic enim scriptum est: « In » una autem sabbati congregatis nobis frangere panem, » Paulus disputabat illis exiturus alia die, produxitque

» sermonem usque ad medium noctis ¹. » Deinde cum descendisset de coenaculo, ubi congregati erant, ad resuscitandum adolescentem, qui gravatus somno de fenestra ceciderat et mortuus ferebatur, de ipso Apostolo Scriptura sic loquitur, « Ascendens autem, inquit, cum fregisset » panem atque gustasset, satisque esset allocutus usque ad » diluculum, sic profectus est. » Absit ut hoc sic accipiatur, tanquam solerent Apostoli Dominico die solemniter jejunare. Una enim sabbati tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Evangeliiis apertius invenitur. Nam dies resurrectionis Domini, prima sabbati a Matthæo ², a cæteris autem tribus, una sabbati dicitur: quem constat eum esse, qui Dominicus postea appellatus est. Aut ergo post peractum diem sabbati, noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox jam ad diem Dominicum, hoc est, ad unam sabbati pertinebat: et ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramento corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post sacramenta celebrata, rursus usque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum festinabat, ut lucescente proficisceretur Dominico die. Aut certe si in una sabbati non per noctem, sed per diem hora Domini fuerant congregati; eo ipso quo dictum est, « Paulus » disputabat illis exiturus alia die, » expressa est causa producendi sermonis, quia fuerat exiturus, et eos sufficienter instruere cupiebat. Non ergo solemniter die Dominico jejunabat sed necessarius sermo, qui studii ferventissimi audiebantur ardore, reficiendi corporis causa interrumpendus esse non visus est profecturo Apostolo, qui eos, propter alios suos usquequaque discursus, vel alias nunquam vel rarissime visitabat; præsertim quia tunc ex illis terris sicut consequentia docent, ita discessurus erat, ut jam non esset

¹ Act. xx, 7. — ² Matth. xviii, 1.

eos in carne visurus. Ac per hoc magis ostenditur Dominicis diebus solita illis non fuisse jejunia: quia ne hoc crederetur, curavit scriptor libri causam producendi sermonis exponere: ut sciremus si aliqua necessitas oriatur, urgentiori actioni non esse prandium præferendum; quamvis ab istis avidissime audientibus, et ipsum fontem cogitantibus profecturum, atque ideo magna siti non aquæ, sed verbi sine satietate quidquid influebat haurientibus, non tantum carnale prandium, verum etiam cœna contempta est.

XXIX. Sed tunc quamvis Dominico die solita illis jejunia non fuissent, non erat tamen Ecclesiæ tam insignis offensio, si aliqua tali necessitate, qualem apostolus Paulus habuit, die toto Dominico usque ad medium noctis, vel etiam usque ad diluculum reficere corpora non curarent. Nunc vero postea quam hæretici, maxime impiissimi Manichæi, jejunia diei Domini non aliqua necessitate occurrente peragere, sed quasi sacra solemnitate statuta dogmatizare cœperunt et innotuerunt populis christianis; profecto nec tali necessitate, qualem Apostolus habuit, existimo faciendum esse quod fecit: ne majus malum incurratur in scandalo, quam bonum percipiatur ex verbo. Quidquid tamen causæ vel necessitatis extiterit, cur homo christianus die Dominico jejunare cogatur, sicut etiam illud in Actibus Apostolorum invenimus in naufragii periculo ¹, ubi et ipse Apostolus navigabat, quatuordecim diebus: ac per hoc duobus Dominicis jejunatum: nullo modo dubitare debemus, Dominicum diem, quando non plures dies sine ulla refectioe continuandi voverentur, inter jejuniorum dies non esse ponendum.

XXX. Cur autem quarta et sexta maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio,

¹ Act. xxvii, 33.

ipsa quarta sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermissio autem uno die, cujus vespera Dominus Pascha cum Discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam sabbati, deinde traditus est ea nocte quæ jam ad sextam sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit a vespera incipiens. Sed Matthæus evangelista quintam sabbati dicit fuisse primam diem azymorum; quia ejus vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum et ovis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam sabbati fuisse, quando ait Dominus: « Scitis quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis » tradetur ut crucifigatur¹. » Ac per hoc dies ipse jejunio deputatus est, quia sicut Evangelista sequitur et dicit, « Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caïphas, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. » Intermissio autem uno die, de quo dicit Evangelium: « Prima autem azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha²? » Hoc ergo die intermisso passus est Dominus, quod nullus ambigit, sexta sabbati, quapropter et ipsa sexta recte jejunio deputatur: jejunia quippe humilitatem significant. Unde dictum est: « Et humiliabam in jejunio animam meam³. »

XXXI. Sequitur sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit, sicut in primis operibus mundi requievit Deus die illo ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in reginæ illius veste varietas, ut alii, sicut maxime populi Orientis, propter requiem significandam mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis

¹ Matth. xxvi, 2. — ² Ibid. 17. — ³ Psal. iv, 13.

Domini jejunare, sicut Romana et nonnullæ Occidentis ecclesiæ. Quod quidem uno die, quo Pascha celebratur propter renovandam rei gestæ memoriam, qua Discipuli humanitus mortem Domini doluerunt, sic ab omnibus jejunatur, ut etiam illi sabbati jejunium devotissime celebrent, qui cæteris per totum annum sabbatis prandent, utrumque videlicet significantes, et in uno anniversario die luctum Discipulorum, et cæteris sabbatis quietis bonum. Duo quippe sunt, quæ justorum beatitudinem, et omnis miseriæ finem sperari faciunt, mors et resurrectio mortuorum. In morte requies est, de qua dicitur per Prophetam: « Plebs mea intra in cellaria tua, abscondere pusillum » donec transeat ira Domini¹. » In resurrectione autem in homine toto, id est, in carne et spiritu perfecta felicitas. Hinc factum est ut duorum utrumque non significantum putaretur labore jejunii, sed potius refectionis hilaritate, excepto paschali uno sabbato, quo Discipulorum, sicut diximus, luctus propter rei gestæ memoriam fuerat jejunio prolixiore signandus.

XXXII. Sed quoniam non invenimus, ut jam supra commemoravi, in evangelicis et apostolicis litteris, quæ ad Novi Testamenti revelationem proprie pertinent, certis diebus aliquibus evidenter præceptum observanda esse jejunia, et ideo res quoque ista sicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile est, invenit in veste illius filix regis, hoc est, Ecclesiæ, varietatis locum; indicabo tibi quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, a quo baptizatus sum, Mediolanensis episcopus. Nam cum in eadem civitate mater mea mecum esset, et nobis adhuc catechumenis parum ista curantibus, illa sollicitudinem gereret utrum secundum morem nostræ civitatis sibi esset sabbato jejunandum, an ecclesiæ Mediolanensis more

¹ Isai. xxvi, 20.

prandandum, ut hac eam cunctatione liberarem, interrogavi hoc supradictum hominem Dei. At ille, « Quid possum, inquit, hinc docere amplius quam ipse facio? » Ubi ego putaveram nihil eum ista responsione præcepisse, nisi in sabbato pranderemus; hoc quippe ipsum facere sciebam: sed ille secutus adjecit: « Quando hic sum, non jejuno sabbato: quando Romæ sum, jejuno sabbato: et ad quamcumque ecclesiam veneritis, inquit, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere. » Hoc responsum vetuli ad matrem, eique suffecit, nec dubitavit esse obediendum: hoc etiam nos secuti sumus. Sed quoniam contingit maxime in Africa, ut una ecclesia vel unius regionis ecclesiæ, alios habeant sabbato prandentes, alios jejunantes; mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est. Quapropter si consilio meo, præsertim quia in hac causa plus forte quam satis fuit, te petente atque urgente, locutus sum, libenter acquiescis: Episcopo tuo in hac re noli resistere, et quod facit ipse, sine illo scrupulo vel disceptatione sectare.

EPISTOLA XXXVII¹.

Domino beatissimo et venerabiliter sincerissima charitate amplectendo patri
SIMPLICIANO (21) AUGUSTINUS in Domino salutem.

Gratulatur sibi Augustinus litterarias suas lucubrationes legi et approbari a Simpliciano; ejusque censuræ subjicit tum cæteros suos libros, tum eos quos de quæstionibus ab ipso propositis conscripsit.

I. PLENAS bonorum gaudiorum litteras, quod sis memor mei, meque ut soles diligas, magnæque gratulationi tibi sit quidquid in me donorum suorum Dominus conferre dignatus est misericordia sua, non meritis meis, missas munere sanctitatis tuæ accepi: in quibus affectum in me paternum de tuo benignissimo corde non repentinum et novum hausi, sed expertum sane cognitumque repetivi, Domine beatissime et venerabiliter sincerissima charitate amplectende.

II. Unde autem tanta exorta est felicitas litterario labori nostro, quo in librorum quorumdam conscriptione sudavimus, ut a tua dignatione iegerentur: nisi quia Dominus, cui subdita est anima mea, consolari voluit curas meas, et a timore recreare, quo me in talibus operibus necesse est esse sollicitum, necubi forte indoctior vel incautior, quamvis in planissimo campo veritatis, offendam. Cum enim tibi placet quod scribo, novi cui placeat; quoniam quis te inhabitet novi. Idem quippe omnium munerum

¹ Ex tomo IV Benedictinorum, quæ autem XXXVIII erat, nunc CIX. — Scripta circiter annum 397.

spiritualium distributor atque largitor per tuam sententiam confirmabit obedientiam meam. Quidquid enim habent illa scripta delectione tua dignum, in meo ministerio dixit Deus, Fiat, et factum est: in tua vero approbatione vidit Deus, quia bonum est.

III. Quæstionculas sane, quas mihi enodandas jubere dignatus es, etsi mea tarditate implicatus non intelligerem, tuis meritis adjutus aperirem. Tantum illud quæso, ut pro mea infirmitate depreceris Deum, et sive in iis quibus me exercere benigne paterneque voluisti, sive in aliis quæcumque nostra in tuas sanctas manus forte pervenerint, quia sicut Dei data, sic etiam mea errata cognosco, non solum curam legentis impendas, sed etiam censuram corrigentis assumas. Vale.

EPISTOLA XXXVIII¹.

Fratri PROFUTURO AUGUSTINUS.

Augustinus Profuturo, de toleranda adversa valetudine, de morte Megalii, et de cohibenda ira.

I. SECUNDUM spiritum, quantum Domino placet, atque vires ipse præbere dignatur, recte sumus: corpore autem ego in lecto sum. Nec ambulare enim, nec stare, nec sedere possum, rhagadis vel exochadis dolore et tumore (22). Sed etiam sic, quoniam id Domino placet, quid aliud dicendum est, nisi quia recte sumus? Potius enim si id nolumus quod ille vult, nos culpandi sumus, quam ille non recte aliquid vel facere vel sinere existimandus est. Nosti

¹ Alias CXLIX. quæ autem VIII erat, nunc CCXLIII. — Scripta circa mediam anni 397.

hæc omnia: sed quia mihi es alter ego, quid libentius tecum loquerer nisi quod tecum loquor? Commendamus ergo sanctis orationibus tuis et dies et noctes nostras, ut oretis pro nobis, ne diebus intemperanter utamur; ut noctes æquo animo toleremus, ut etiamsi ambulemus in medio umbræ mortis, nobiscum sit Dominus, ne timeamus mala.

II. Quod senex Megalius defunctus sit (23), jam vos audisse quis dubitet? Erant enim a depositione corporis ejus, cum hæc scriberem, dies ferme viginti quatuor. Utrum jam videris, disponebas enim, successorem primatus ejus, si fieri potest, nosse volumus. Non desunt scandala, sed neque refugium: non desunt mœrores, sed neque consolationes. Atque inter hæc quam vigilandum sit, ne cujusquam odium cordis intima teneat, neque sinat ut oremus Deum in cubiculo nostro clauso ostio, sed adversus ipsum Deum claudat ostium, nosti optime frater: subrepat autem, dum nulli irascenti ira sua videtur injusta. Ita enim inveterascens ira fit odium, dum quasi justis doloris admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasque corrumpat. Quapropter multo melius, nec juste cuiquam irascimur, quam velut juste irascendo in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis, solemus dicere, multo esse melius malum hominem perpeti, quam forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus ne recipiatur malus: sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est etiam iræ juste pulsanti non aperire penetrabile cordis, quam admittere non facile recessuram, et perventuram de surculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam crescere citius quam putatur. Non enim erubescit in tenebris, cum super eam sol occiderit. Recolis certe qua cura et quanta sollicitudine ista scripserim,

si recolis quid mecum nuper in itinere quodam locutus sis.

III. Fratrem Severum, et qui cum eo sunt, salutamus. Etiam fortasse ipsis scriberemus, si per festinationem perlatoris liceret. Peto autem ut apud eundem nostrum Victorem, cui ago apud tuam sanctitatem etiam gratias, quod Constantinam cum pergeret, indicavit, petendo adjuves propter negotium quod ipse novit, de quo gravissimum pondus pro ea re multum deprecantis Nectarii majoris patior: per Calamum remeare ne gravetur: sic enim promisit mihi. Vale.

EPISTOLA XXXIX¹.

Domino vere sancto et beatissimo Papæ AUGUSTINO HIERONYMUS
in Christo salutem.

Hieronymus Augustino, commendans illi Præsidium, et salvere jubens Alypium.

I. « ANNO præterito per fratrem nostrum Asterium hypodiamonum dignationi tuæ epistolam miseram, promptum reddens salutationis officium, quam tibi arbitror redditam. Nunc quoque per sanctum fratrem meum Præsidium diaconum, obsecro primum ut memineris mei. Deinde ut bajulum litterarum habeas commendatum, et mihi scias germanissimum, et in quibuscumque necessitas postulaverit, foveas atque sustentens; non quo aliqua re (Christo tribuente) indigeat, sed quo bonorum amicitias avidissime expetat, et se in his conjungendis maximum

¹ Alias xvii. quæ autem xxxix erat, nunc xxvi. — Scripta circa annum 397.

putet beneficium consecutum. Cur autem ad Occidentem navigaverit, ipso poteris narrante cognoscere. »

II. « Nos in monasterio constituti, variis hinc inde fluctibus quatimur, et peregrinationis molestias sustinemus. Sed credimus in eo qui dixit: « Confidite, ego vici » mundum¹, » quod ipso tribuente et præsule, contra hostem diabolum victoriam consequamur. Sanctum et venerabilem fratrem nostrum Papam Alypium, ut meo obsequio salutes, obsecro, Sancti fratres, qui nobiscum in monasterio Domino servire festinant, oppido te salutant. Incolumem te et memorem mei, Christus Deus noster tueatur omnipotens, Domine vere sancte et suscipiende Papa. »

EPISTOLA XL².

Domino dilectissimo, et cultu sincerissimo charitatis observando atque amplectendo fratri et compresbytero HIERONYMO AUGUSTINUS.

Augustinus Hieronymo de titulo vulgati ab ipso libri de Scriptoribus ecclesiasticis. Tum de Petro reprehenso non mendaciter a Paulo, de quo jam eidem scripsit epistolam 28. Hortatur postremo ut prodatur Origenis et singulorum hæreticorum errata.

I. HABEO gratiam, quod pro subscripta salutatione, plenam mihi epistolam reddidisti sed breviorum multo, quam ex te vellem sumere, tali viro, a quo tempora quantalibet occupet, nullus sermo prolixus est. Quanquam itaque nos negotiorum alienorum, eorumque sæcularium,

¹ Joan. xvi, 3. — ² Alias ix. quæ autem xl erat, continetur xxvi. — Scripta circa annum 397.

curis circumstemur ingentibus; tamen epistolæ tuæ brevitati facile non ignoscerem, nisi cogitarem, quam paucioribus verbis meis redderetur. Quare, aggredere, quaeso, istam nobiseum litterariam colloctionem, ne multum ad nos disjungendos liceat absentiae corporali: quanquam simus in Domino Spiritus unitate conjuncti, etiamsi ab stylo quiescamus, et taceamus. Et libri quidem, quos de horreo dominico elaborasti, pene totum te nobis exhibent. Si enim propterea te novimus, quia faciem tui corporis non vidimus: hoc modo nec ipse te nosti; tam tu quoque non vides eam. Si autem tibi non ob aliud notus es, nisi quia nosti animum tuum; et nos eum non mediocriter novimus in litteris tuis; in quibus benedicimus Domino, quod tibi, et nobis, omnibusque fratribus qui tua legunt, te talem dedit.

II. Liber quidam tuus inter cætera non diu est ut venit in manus nostras: quæ sit ejus inscriptio, nescimus adhuc. Non enim hoc codex ipse, ut assolet, in liminari pagina prætendebat. Epitaphium tamen appellari dicebat frater, apud quem inventus est, quod ei nomen tibi placuisse ut inderetur crederemus, si eorum tantum vel vitas, vel scripta ibi legissemus, qui jam defuncti essent. Cum vero multorum et eo tempore quo scribebatur, et nunc usque viventium, ibi commemorentur opuscula; miramur, cur hunc ei titulum vel imposueris, vel imposuisse credaris. Sane utiliter a te conscriptum eundem librum satis approbamus.

III. In expositione quoque Epistolæ Pauli ad Galatas, invenimus aliquid, quod nos multum moveat. Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas? Statim enim ut

protuleris; si aliter sapit, qui contra nititur; dicet illud, quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum. Ubi enim hoc non poterit, si potuit in ea narratione, quam exorsus Apostolus ait, « Quæ autem » scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior¹, » credi affirmarique mentitus, eo loco ubi dixit de Petro et Barnaba, « Cum viderem, quia non recte ingrediuntur » ad veritatem Evangelii²? » Si enim recte illi ingrediebantur, iste mentitus est: si autem ibi mentitus est, ubi verum dixit? An ibi verum dixisse videbitur, ubi hoc dixerit, quod lector sapit; cum vero contra sensum lectoris aliquid occurrerit, officioso mendacio deputabitur? Non enim deesse poterunt causæ, cur existimetur non solum potuisse, verum etiam debuisse mentiri, si huic regulæ conceditur locus. Non opus est hanc causam multis verbis agere, præsertim apud te, cui sapienter providenti dictum sat est. Nequaquam vero mihi arrogaverim, ut ingenium tuum, divino dono aureum, meis obolis ditare contendam: nec est quisquam te magis idoneus, qui opus illud emendet.

IV. Neque enim a me docendus es quomodo intelligatur, quod dicit: « Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem³: » et cætera quæ ibi dicuntur compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto: non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi serviri vellet, si ipse ægrotaret. Nam utique Judæus erat; Christianus autem factus, non Judæorum Sacramenta reliquerat; quæ convenienter ille populus et legitimo tempore quo oportebat, acceperat. Itaque suscepit ea celebranda, cum jam Christi esset Apostolus; sed ut doceret non esse perniciosam

¹ Gal. i, 20. — ² Id. ii, 14. — ³ I Cor. ix, 20.

iis, quia ea vellent, sicut a parentibus per Legem acceperant, custodire, etiam cum Christo credidissent, non tamen in eis jam constituerent spem salutis; quoniam per Dominum Jesum salus ipsa, quæ illis Sacramentis significabatur, advenerat. Ideoque gentibus¹, quod insuetos a fide revocarent onere gravi et non necessario, nullo modo imponenda esse censebat.

V. Quapropter non ideo Petrum emendavit, quod paternas traditiones observaret²: quod si facere vellet, nec mendaciter nec incongrue faceret; quamvis enim jam superflua, tamen solita non nocerent: sed quoniam gentes cogebat judaizare, quod nullo modo posset, nisi ea sic ageret, tanquam adhuc etiam post Domini adventum necessaria salutis forent: quod vehementer per apostolatum Pauli veritas dissuasit. Nec apostolus Petrus hoc ignorabat: sed id faciebat, timens eos, qui ex circumcissione erant. Ita et ipse vere correctus est, et Paulus vera narravit, ne sancta Scriptura, quæ ad fidem posteris edita est, admissa auctoritate mendacii, tota dubia nutet et fluctet. Non enim potest aut oportet litteris explicari, quanta et quam inexplicabilia mala consequantur, si hoc concesserimus. Posset autem opportune minusque periculose demonstrari, si coram inter nos colloqueremur.

VI. Hoc ergo Judæorum Paulus dimiserat, quod malum habebant: et in primis illud, quod ignorantes Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti³. Deinde quod post passionem et resurrectionem Christi, dato ac manifestato Sacramento gratiæ secundum ordinem Melchisedech, adhuc putabant Sacramenta vetera, non ex consuetudine solemnitate, sed ex necessitate salutis esse celebranda. Quæ tamen si nunquam fuissent necessaria, infructuose atque inaniter

¹ Act. xv, 28. — ² Gal. ii, 14. — ³ Rom. x, 10.

pro eis Machabæi martyres fierent⁴. Postremo istud quod prædicatores gratiæ Christianos⁵ Judæi tanquam hostes Legis persequebantur. Hos atque hujusmodi errores et vitia, dicit se damna et stercora arbitratum, ut Christum lucrifaceret: non observationes Legis³, si more patrio celebrarentur, sicut ab ipso celebratæ sunt sine ulla salutis necessitate non sicut Judæi celebrandas putabant, aut fallaci simulatione, quod in Petro reprehenderat. Nam si propterea illa sacramenta celebravit, quia simulavit se Judæum ut illos lucrifaceret: cur non etiam sacrificavit cum Gentibus, quia et iis qui sine Lege erant, tanquam sine Lege factus est, ut eos quoque lucrifaceret; nisi quia et illud fecit, ut natura Judæus; et hoc totum dixit, non ut fallaciter se fingeret esse quod non erat, sed ut misericorditer eis ita subveniendum esse sentiret, ac si ipse in eodem errore laboraret; non scilicet mentientis astu, sed compatiens affectu? Sicut eo ipso loco generaliter intulit, « Factus sum infirmis infirmus, ut in- » firmos lucrifacerem⁴: » ut sequens conclusio, « Omni- » bus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem, » ad hoc referenda intelligatur, ut cujusque infirmitatem tanquam in se ipso miseratus appareat. Non enim et cum diceret: « Quis infirmatur, et ego non infirmor⁵ » infirmitatem alterius simulasse se potius quam condoluisse, volebat intelli.

VII. Quare arripe, obsecro te, ingenuam et vere christianam cum charitate severitatem ad illud opus corrigendum atque emendandum, et *παινοδίαν*, ut dicitur, cane. Incomparabiliter enim pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa heroës

⁴ 2 Mach. vii, 1. — ⁵ Forte Christianæ. — ³ Philip. iii, 8. — ⁴ 1 Cor. ix, 22. — ⁵ 2 Cor. xi, 29.

adversus Trojam, dimicaverunt. Neque hoc ideo dico, ut oculos cordis recipias; quos absit ut amiseris: sed ut advertas, quos cum habeas sanos et vigiles, nescio qua dissimulatione advertisti, ut non intenderes quæ consequantur adversa, si semel creditum fuerit, posse honeste ac pie scriptorem divinorum librorum in aliqua sui operis parte mentiri.

VIII. Scripseram hinc jam aliquando ad te epistolam, quæ non perlata est, quia nec perrexit cui perferendam[†] tradideram: ex qua illud mihi suggestum est, cum istam dictarem, quod in hac quoque prætermittere non debui, ut si alia est sententia tua, eademque est melior, timori meo libenter ignoscas. Si enim aliter sentis, verumque tu sentis (nam nisi verum sit melius esse non potest) ut non dicam nulla, certe non magna culpa meus error veritati favet, si recte in quoquam veritas potest favere mendacio.

IX. De Origene autem quod rescribere dignatus es, jam sciebam non tantum in ecclesiasticis litteris, sed in omnibus recta et vera, quæ invenerimus, approbare atque laudare, falsa vero et prava improbare atque reprehendere. Sed illud de prudentia doctrinaque tua desiderabam, et adhuc desidero, ut nota nobis facias ea ipsa ejus errata, quibus a fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur. In libro etiam quo cunctos, quorum meminisse potuisti, scriptores ecclesiasticos et eorum scripta commemorasti, commodius, ut arbitror, fieret, si nominatis eis quos hæresiotas esse nosti, (quando ne ipsos quidem prætermittere volueris) subjungeres etiam in quibus cavendū essent: quanquam nonnullos etiam præterieris, quod scire cuperem quo consilio factum sit. Aut si illud volumen forte onerare noluisti, ut commemoratis hæreticis, non adderes in quibus eos catholica damnarit

[†] Profuturus.

auctoritas; peto ne grave sit litterario labori tuo, quo non mediocriter per Domini Dei nostri gratiam in latina lingua sanctorum studia et accendisti et adjuvisti, id quod tibi per humilitatem meam fraterna charitas indicit, ut si occupationes tuæ sinunt, omnium hæreticorum perversa dogmata, qui rectitudinem fidei christianæ usque ad hoc tempus vel impudentia, vel imperitia, vel perversa depravare conati sunt, uno libello breviter digesta edas, in notitiam eorum, quibus aut non vacat propter alia negotia, aut non valent propter alienam linguam tam multa legere atque cognoscere. Diu te rogarem, nisi hoc soleret esse indicium minus præsumptis de charitate. Hunc interea fratrem nostrum Paulum in Christo multum commendo benignitati tuæ, cujus in nostris regionibus existimationi bonum coram Deo testimonium perhibemus.

EPISTOLA XLI¹.

Domino beatissimo et venerabiliter suscipiendo, sincerissimeque charissimo fratri et consacerdoti papæ AURELIO, ALYPIUS et AUGUSTINUS in Domino salutem.

Alypius et Augustinus Aurelio gratulantes de sermonibus quos presbyteri præsentate ipso ad populum habere cœperant, ipsumque rogantes ut aliqui eorum sermones sibi mittantur.

I. IMPLETUM est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione, nuntiantibus litteris tuis sanctam cogitationem tuam adjuvante Domino qui eam inspiravit, ad effec-

¹ Alias LXXVII. quæ autem XLI erat, continetur XXVI. — Scripta sub initium episcopatus August.

tum esse perductam de omnibus ordinatis fratribus nostris, et præcipue de sermone presbyterorum, qui te præsentem populo infunditur, per quorum linguas clamat charitas tua majore voce in cordibus hominum, quam illi in auribus: Deo gratias. Nam quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus quam, Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te et tam fideli pectore ditavit erga filios tuos, et id quod in intimo animæ habebas, quo humanus oculus non penetrat, eduxit in lucem, donando tibi, non solum ut bene velles, verum etiam in quibus posset apparere quod velles. Ita plane fiat, fiat: luceant hæc opera coram hominibus, ut videant, gaudeant, glorificent Patrem, qui in cælis est. Talibus delecteris in Domino ipse te pro eis orantem dignetur exaudire, quem tu per eos loquentem non dedignaris audire. Eatur, ambuletur, curratur in via Domini, benedicantur pusilli cum magnis, jucundati in his qui dicunt eis; « In domum Domini ibimus¹: » præcedant illi, et sequantur isti imitatores facti eorum, sicut et illi Christi. Ferveat iter sanctarum formicarum, fragent opera sanctarum apum, feratur fructus in tolerantia cum salute perseverandi usque in finem. Nec sinat Dominus tentari supra quam possumus ferre², sed faciat cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere.

II. Orate pro nobis digni exaudiri; cum tanto quippe sacrificio acceditis ad Deum sincerissimæ dilectionis et laudis ejus in operibus vestris: orate ut et in nobis hæc luceant: quoniam novit ille quem oratis, cum quanto nostro gaudio in nobis luceant. Hæc sunt vota nostra, hæc multitudines solatorum secundum multitudinem dolorum nostrorum in corde nostro jucundant ani-

¹ Psal. cxxi, t. — ² 1 Cor. x, 13.

nam nostram. Ita est, quia ita promissum est; ita erit quod restat, sicut promissum est. Obsecramus te per eum, qui tibi ista donavit, et populum cui servis hac per te benedictione perfudit, ut jubeas singulos, quos volueris sermones eorum conscriptos, et emendatos mitti nobis. Nam et ego quod jussisti non negligo, et de Tychonii septem regulis vel clavibus, sicut sæpe jam scripsi, cognoscere quid tibi videatur expecto. Fratrem Hilarinum Hipponensem Archiatrum et Principalem multum commendamus. Nam de fratre Romano quid satagas novimus, nihilque petendum est nisi ut te pro illo adjuvet Dominus: Amen.

EPISTOLA XLII¹.

Dominis laudabilibus in Christo sanctissimis fratribus PAULINO et
THERASIE AUGUSTINUS in Domino salutem.

Augustinus Paulino, flagitans ut litterarum debitum amplius anno integro non redditum exolvat, mittatque sibi opus adversus Paganos, cum id perfecit.

(Prodit nunc primum ex corticeo codice qui olim Narbonensis ecclesie fuit, nunc vero est illustris familie Phimarconensis.)

I. NUM etiam hoc sperari aut expectari posset, ut per fratrem Severum rescripta flagitarem, tam diu tam ardentibus nobis a vestra charitate non reddita. Quid est

¹ Porro quæ alias XLII erat, nunc CCXXXII. — Scripta exeunte æstate anni 397.

quod duas ætates, easdemque in Africa sitire cogamur? Quid amplius dicam? O qui res vestras quotidie donatis, debitum reddite. An forte quod adversus dæmonicolas te scribere audieram, atque id opus vehementer desiderare me ostenderam¹, volens perficere ac mittere tanto tempore ad nos epistolas distulisti? Utinam saltem tam opima mensa jam annosum ab stylo tuo jejunium meum excipias: quæ si nondum parata est, non desinemus conqueri, si nos dum illud perficis, non interim reficis. Salutate fratres, maxime Romanum et Agilem. Hinc qui nobiscum sunt vos salutant, et parum nobiscum irascuntur, si parum diligunt.

EPISTOLA XLIII².

Dominis dilectissimis et merito prædicandis fratribus GLORIO, ELEUSIO, FELICIBUS, GRAMMATICO, et cæteris omnibus, quibus hoc gratum est, AUGUSTINUS.

Quanta impudentia Donatistæ persistent in suo schismate tot iudiciis convicti.

I. DIXIT quidem apostolus Paulus; « Hæreticum hominem post unam correptionem devita, sciens quia subversus est ejusmodi, et peccat, et est a semetipso damnatus³. » Sed qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepere-
runt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem,

¹ In Epist. xxxi. — ² Alias cxxii. quæ autem xliii erat, nunc xvi. — Scripta circa finem anni 397 aut initium 398. — ³ Tit. iii, 10.

corrigi parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Tales ergo vos nisi esse crederem, nullas fortasse vobis litteras mitterem. Quanquam et ipsum hæreticum quamlibet odiosa superbia tumidum et pervicacia malæ contentionis insanum, sicut vitandum monemus, ne infirmos et parvulos fallat; ita non abnuimus, quibuscumque modis possumus corrigendum. Unde factum est, ut etiam ad nonnullos Donatistarum primarios scriberemus, non communicatorias litteras, quas jam olim propter suam perversitatem ab unitate catholica, quæ toto orbe diffusa est, non accipiunt; sed tales privatas, quilibet nobis uti etiam ad Paganos licet, quas illi etsi aliquando legerunt, respondere tamen eis sive noluerunt, sive, ut magis creditur, nequiverunt. Ubi nobis satis visum est implevisse nos officium charitatis, quam non solum nostris, sed et omnibus nos debere sanctus Spiritus docet, qui nobis ait per Apostolum: « Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat in charitate, in invicem et in omnes¹. » Monet etiam alio loco, in modestia corripiendos diversa sentientes; « ne forte, inquit, det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, » et respiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso in ipsius voluntatem². »

II. Hæc prælocutus sum, ne quis me existimet impudentius vobis quam prudentius scripta misisse, et hoc modo vobiscum de negotio animæ vestræ aliquid agere voluisse, quia nostræ communionis non estis: cum tamen si de negotio fundi, aut alicujus pecuniariæ litis dirimendæ vobis aliquid scriberem, nemo fortasse reprehenderet. Usque adeo charus est hic mundus hominibus, et sibi met ipsi viluerunt. Erit ergo mihi ad defensionem testis hæc epistola in iudicio Dei, qui novit

¹ 1 Thess. iii, 12. — ² 2 Tim. ii, 26.

quo animo fecerim, et qui dixit: « Beati pacifici, quia » ipsi filii Dei vocabuntur¹. »

III. Ergo ut meminisse dignamini, cum essemus in vestra civitate, et nonnulla vobiscum de communione christianæ unitatis ageremus, prolata sunt a partibus vestris Gesta quædam, quibus recitatum est quod septuaginta ferme episcopi Cæcilianum quondam nostræ communionis episcopum Carthaginensis ecclesiæ cum suis collegis et ordinatoribus damnaverunt. Ubi etiam Felicis Aptungitani (24) causa multo præ cæteris invidiosius et criminosis ventilata est. Quæ cum essent cuncta perlecta, respondimus non esse mirandum, si homines qui tunc illud schisma fecerunt, non sine confectione Gestorum, eos in quos fuerant ab æmulis et perditis concitati, absentes causa incognita, temere damnandos esse putaverunt. Nos autem alia habere Gesta ecclesiastica (25), in quibus Secundus Tigisitanus, qui tunc agebat in Numidia primatum, præsentis et confessos traditores reliquit Deo judicandos, et eos in episcopalibus sedibus, sicuti erant, manere permisit, quorum nomina inter damnatores Cæciliani numerantur, cum etiam Secundus ipse concilii ejusdem principatum teneret, ubi absentes quasi traditores per eorum sententias damnavit, quibus præsentibus et confessis ignovit.

IV. Deinde diximus: aliquanto post Majorini ordinationem, quem contra Cæcilianum nefario scelere levaverunt, erigentes altare contra altare, et unitatem Christi discordiis furialibus dissipantes, eos petiisse a Constantino tunc Imperatore iudices episcopos (26), qui de suis quæstionibus, quæ in Africa exortæ pacis vinculum dirimebant, arbitro medio judicarent. Quod postea quam factum est, præsentem Cæciliano et illis qui adversus eum naviga-

¹ Matth. v. 9.

verant, judicante Melchiade tunc Romanæ urbis episcopo cum collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæcilianum nihil probari potuisse, ac per hoc illo in episcopatu confirmato Donatum, qui adversus eum tunc aderat, improbatum. Quibus peractis rebus, cum illi omnes in pertinacia scelestissimi schismatis permanerent, post apud Arelatum¹ memoratum Imperatorem eandem causam diligentius examinandam terminandamque curasse². Illos vero ab ecclesiastico iudicio provocasse, ut causam Constantinus audiret. Quo posteaquam ventum est, utraque parte assistente, innocentem Cæcilianum fuisse judicatum, atque illos recessisse superatos, et in eadem tamen perversitate mansisse. Nec de Felicis Aptungitani causa negligentiam consecutam, sed ad ejusdem principis jussionem proconsularibus Gestis (27) etiam ipsum fuisse purgatum.

V. Sed quia hæc omnia dicebamus tantum non etiam legebamus, minus profecto vobis agere videbamur, quam de nostra expectabatis instantia. Quod ubi sensimus, ad ea quæ legenda promiseramus, non distulimus mittere. Quæ omnia dum excurrimus ad ecclesiam Gelizitanam, inde ad vestrum oppidum reversuri, bidui non pleni intermissione venerunt, atque ut nostis, quantum tempus admisit, uno die recitata sunt vobis. Primo ubi Secundus Tigisitanus confessos traditores a collegio suo remove non ausus est, cum quibus postea non confesum et absentem Cæcilianum aliosque suos collegas damnare ausus est. Deinde Gesta proconsularia, ubi Felix diligentissimo examine probatus est innocens. Hæc ante meridiem vobis lecta esse meministis. Post meridiem vero recitavimus preces eorum ad Constantinum, datisque ab eo

¹ In concilio 1 Arelatensi. anno 314. — ² Ab Imperatore apud Mediolan. anno 316, ex lib. post Collat. cap. 33.

judicibus Gesta ecclesiastica in Romana urbe habita, quibus illi improbati sunt, Cæcilianus autem in episcopali honore firmatus. Postremo Constantini imperatoris litteras, quibus omnia multo maxime testatissima claruerunt.

VI. Quid vultis amplius homines, quid vultis amplius? Non de auro et argento vestro agitur, non terra, non prædia, non denique salus corporis vestri in discrimen vocatur: de adispiscenda vita æterna et fugienda morte æterna compellamus animas vestras. Expergiscimini aliquando; non in aliqua obscura questione versamur, non recondita secreta rimamur, quibus penetrandis vel nulla vel rara humana corda sufficiant: res in aperto est. Quid eminet clarius, quid cernitur citius? Dicimus temerario concilio, quamlibet numerosissimo, innocentes absentesque fuisse damnatos. Probamus hoc proconsularibus Gestis, quibus ab omni traditionis crimine alienus iudicatus est ille, quem maxime criminis a vestris prolata concilii Gesta sonuerunt. Dicimus a traditoribus confessis, in eos qui traditores dicerentur, dictas fuisse sententias. Probamus hoc ecclesiasticis Gestis, ubi nominatim declarantur, in quibus Secundus Tigisitanus ea, quæ cognovit, velut contuitu pacis ignovit, et cum quibus postea non cognovit, discissa pace damnavit. Unde apparuit eum etiam primo non paci consuluisse, sed sibi timuisse. Objecerat ei namque Purpurius Limatensis, quod etiam ipse cum detentus esset a curatore et ordine, ut Scripturas traderet, dimissus est, utique non frustra, nisi quia tradidit, aut tradi aliquid jussit. Hanc ille suspicionem satis probabilem metuens, accepto consilio a minore Secundo consanguineo suo, consultisque cæteris, qui cum eo erant episcopis, manifestissima crimina Deo iudicanda dimisit, atque ita paci prospexisse visus est; quod falsum erat, cum sibi prospexerit.

VII. Nam si in ejus corde cogitatio pacis habitaret, non

apud Cartharginem postea cum traditoribus, quos præsentibus atque confessos Deo dimiserat, damnaret, crimine traditionis, quos absentes apud eum nemo convicerat. Tanto magis enim timere debuit, ne pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla et illustris, unde se per totum Africæ corpus malum, quod ibi esset exortum, tanquam a vertice effunderet. Erat etiam transmarinis vicina regionibus et fama celeberrima nobilis: unde non mediocri utique auctoritatis habebat episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et Romanæ ecclesiæ, in qua semper apostolicæ cathedræ viguit principatus, et cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset causam suam dicere, si adversarii ejus ab eo illas ecclesias alienare conarentur. Quia ergo venire noluit ad hospitium collegarum, quos a suis inimicis contra veritatem suæ causæ perversos esse sentiebat vel suspicabatur, vel ut ipsi asserunt, simulabat, tanto magis Secundus, si veræ pacis custos esse voluisset, cavere debuit ne damnarentur absentes, qui iudicio eorum omnino interesse noluerunt. Neque enim de presbyteris aut diaconis aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum iudicio, præsertim apostolicarum ecclesiarum, causam suam integram reservare; ubi contra eos sententiæ dictæ in absentes, nullo modo aliquid valerent, quando eorum iudicium non primo aditum postea deseruerunt, sed suspectum semper habitum nunquam adire voluerunt.

VIII. Hæc res maxime sollicitare debuit Secundum, qui tunc erat primas, si propterea concilium regebat, ut paci consuleret: facile enim fortassis rabida in absentes ora placata vel frenata comprimeret, si diceret: Videtis

fratres post tantam stragem persecutionis misericordia Dei a principibus sæculi pacem esse concessam; non debemus nos Christiani et episcopi unitatem disrumpere christianam, quam jam Paganus non insequitur inimicus. Itaque aut istas omnes causas, quas clades turbulentissimi temporis infligit Ecclesiæ, Deo iudici dimittamus: aut si aliqui in vobis sunt, qui certa istorum crimina ita noverint, ut ea facile valeant edocere, negantesque convincere, et talibus communicare formidant, pergant ad fratres et collegas nostros transmarinarum ecclesiarum episcopos, et ibi prius de istorum factis et contumacia conquerantur, quod ad iudicium collegarum Afrorum male sibi conscii venire noluerunt, ut inde illis denuntietur ut veniant, ibique objectis respondeant. Quod si non fecerint, ibi etiam eorum pravitas et perversitas innotescet, missaque tractatoria (28) super eorum nomine per totum orbem terrarum quacumque jam Christi Ecclesia dilata est, ab omnibus ecclesiis eorum communio præcidetur, ne aliquis error in cathedra ecclesiæ Carthaginis oriatur. Tum demum securi episcopum alium plebi Carthaginis ordinabimus, cum a tota ecclesia isti fuerint separati, ne forte cum alio modo fuerit ordinatus, non ei communicetur ab ecclesia transmarina; quia iste ab honore depositus non videbitur, quem jam ordinatum fama celebravit, et ad eum commeare communicatorias litteras fecit; atque ita magnum scandalum schismatis in unitate Christi jam pacatis temporibus oriatur, dum præpropere nostras volumus præcipitare sententias; et non contra Cæcilianum, sed contra orbem terrarum, qui ei per ignorantiam communicat, altare alterum erigere audeamus.

IX. Huic tam sano rectoque consilio quisquis infrenis obtemperare nolisset, quid esset facturus? aut quomodo aliquem absentium collegarum esset damnaturus, cum in

potestate Acta concilii non haberet, contradicente primate? Quod si tanta et adversus primam sedem seditio nasceretur, ut nonnulli damnare jam vellent, quos volebat ille differri, quanto melius a talibus inquieta et impacata molientibus, quam a totius orbis communionem dissentiretur? Sed quia non erant, quæ in Cæcilianum et ordinatores ejus transmarino iudicio probarentur, propterea nec priusquam in eum sententias dicerent, deferre voluerunt, nec posteaquam dixerunt, perseveranter id agere ut ecclesiæ transmarinæ in notitiam perferretur, quorum traditorum in Africa damnatorum communionem vitare deberet. Quia si id facere tentavissent, adessent sibi Cæcilianus et cæteri, et suam causam adversus fallaces criminatores apud transmarinos ecclesiasticos iudices diligentissima discussione purgarent.

X. Itaque concilium illud perversum atque nefarium, maxime ut creditur traditorum fuit, quibus confessis Secundus Tigrisitanus ignoverat: ut quoniam de traditione fama crebuerat, infamatis aliis a se avertent suspicionem, et cum homines per Africam totam credentes episcopis falsa de innocentibus loquerentur, quod damnati essent apud Carthaginem traditores, tanquam in nebula mendacissimi rumoris, ipsi qui vere tradiderunt latitent. Unde videtis, charissimi, fieri potuisse quod verisimile non esse quidam vestrum dicebant, ut qui essent de sua traditione confessi, causamque suam impetravissent Deo dimitti oportere, iidem iudices damnatoresque tanquam traditorum absentium postea consedisissent. Magis enim amplexi sunt occasionem, qua possent alios falsa criminatione perfundere, et conversas in eos linguas hominum ab inquisitione criminum suorum hoc modo declinare. Alioquin si fieri non posset, ut quisque mala, quæ ipse committeret, in alio iudicaret, non diceret quibusdam Paulus

apostolus ; « Propterea inexcusabilis es, o homo omnis qui » judicas. In quo enim alium judicas, temetipsum con- » demnas ; eadem enim agis, quæ judicas ¹. » Quod illi omnino fecerunt, ut hæc verba apostolica integre in eos apteque conveniant.

XI. Non ergo tunc Secundus, quando eorum crimina Deo dimisit, paci unitatque consuluit : alioquin magis hoc apud Carthaginem provideret, ne schisma fieret, ubi nullus aderat, cui confesso crimen donare cogeretur ; sed quod erat facillimum, tota conservatio pacis esset absentes nolle damnare. Itaque injuriam facerent innocentibus, etiamsi eis non convictis neque confessis, neque omnino præsentibus ignoscere voluissent. Ille quippe accipit veniam, cujus culpa certissima est. Quanto ergo immaniores et cæciores fuerunt, qui ea se putaverunt posse damnare, quæ incognita nec donare possent ? Sed illic cognita dimissa sunt Deo, ne alia quærerentur : hic incognita damnata sunt, ut illa tegerentur. Sed dicit aliquis, Cognoverunt. Quod etsi concedam, etiam sic absentibus utique parci oportebat. Neque enim **judicium** deseruerant, ubi nunquam omnino constiterant ; **nec** in illis solis episcopis Afris erat Ecclesia, ut omne **judicium** ecclesiasticum vitasse viderentur, qui se **judicio** eorum præsentare noluis- sent. Millia quippe collegarum **transmarina** restabant, ubi apparebat eos **judicari** posse, **qui** videbantur Afros vel Numidas collegas habere suspectos. Ubi est enim quod Scriptura clamat : « Antequam interrogas, ne vituperes » quemquam, et cum interrogaveris, corripe juste ². » Si ergo nec vituperari, nec corripi **nisi** interrogatum Spiritus sanctus voluit ; quanto **sceleratius** non vituperati aut correpti, sed omnino **damnati** sunt : qui de suis criminibus nihil absentes interrogari potuerunt ?

¹ Rom. II, 1. — ² Eccli. XI, 7.

XII. Sed tamen isti, qui licet absentium, et nequaquam **judicium** deserentium, quia nunquam adfuerunt, et semper sibi cuneum illum suspectum esse declaraverunt, tamen cognita crimina se damnasse dicunt, quæso vos, fratri mei, quomodo cognoverunt ? Respondetis, Nescimus, quandoquidem ipsa cognitio in illis Gestis explicata non est. Sed ego vobis ostendam, quomodo cognoverunt. Attendite causam Felicis Aptungitani, et primo legite quam vehementiores in eum fuerunt. Sic ergo et cæterorum causam noverant, sicut hujus qui postea innocentissimus diligenti et terribili inquisitione probatus est. Quanto itaque justius et tutius et citius innocentes eos existimare debemus, quorum crimina ab istis levius accusata sunt, et parciore reprehensione damnata, quando ille inventus est innocens, in quem multo immanius sævierunt.

XIII. An forte sicut quidam dixit, quod quidem cum vobis diceretur, displicuit ; sed tamen prætermittendum non est : ait enim quidam, Non debuit episcopus proconsulari **judicio** purgari : quasi vero ipse sibi hoc comparaverit, ac non Imperator ita quæri jusserit ; ad cujus curam, de qua rationem Deo redditurus esset, res illa maxime pertinebat. Arbitrum enim et **judicem** causæ traditionis et schismatis illi eum fecerant, qui ad eum etiam preces miserant, ad quem postea provocarunt ; et tamen **judicio** ejus acquiescere noluerunt. Itaque si culpandus est, quem **judex** terrenus absolvit, cum ipse sibi hoc non poposcisset : quanto magis culpandi sunt, qui terrenum regem suæ causæ **judicem** esse voluerunt ? Si autem criminis non est provocare ad Imperatorem, non est criminis audiri ab Imperatore. Ergo nec ab illo, cui causam delegaverit Imperator. Quemdam etiam suspensum eculeo in causa Felicis episcopi amicus ille voluit criminari, ut quis etiam unguis vexaretur. Numquid poterat Felix contradicere, ne

tanta diligentia vel severitate quæreretur, cum ejus causam inveniendam cognitor ageret? Quid enim erat aliud nolle sic quæri, quam de crimine confiteri? Et tamen ille ipse proconsul inter præconum terribiles voces et cruentas carnificum manus nunquam collegam damnaret absentem, qui iudicio ejus se præsentare nolisset, cum haberet aliud, quod posset audiri. Aut si damnaret, certe etiam ipsis sæcularibus legibus pœnas justas et debitas lueret.

XIV. Quod si Gesta proconsularia displicent, ecclesiasticis cedite. Omnia vobis ordine recitata sunt. An forte non debuit Romanæ ecclesiæ Melchiades episcopus cum collegis transmarinis episcopis illud sibi usurpare iudicium, quod ab Afris septuaginta, ubi primas Tigitanus præsedet, fuerat terminatum? Quid quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator, iudices misit episcopos, qui cum eo sederent, et de tota illa causa quod justum videretur statuerent. Hoc probamus et Donatistarum precibus, et verbis ipsius Imperatoris: utraque enim vobis lecta meministis et inspiciendi ac describendi licentiam nunc habetis. Legite et considerate omnia. Videte quanta cura pacis atque unitatis conservandæ vel restituendæ cuncta discussa sint; quemadmodum accusatorum persona tractata, et quorundam eorum quibus maculis improbata sit, præsentiumque vocibus liquido constiterit, nihil eos habuisse quod in Cæcilianum dicerent, sed totam causam in plebem de parte Majorini, hoc est seditiosam et ab Ecclesiæ pace alienatam multitudinem transferre voluisse, ut ab ea videlicet turba Cæcilianus accusaretur, quam solis tumultuosis clamoribus, nulla documentorum attestazione, nullo veritatis examine, ad suam voluntatem animos iudicum detorquere posse arbitrabantur; nisi forte furiosa et poculo erroris atque corruptionis ebria multitudo vera in Cæcilianum crimina diceret, ubi sep-

tuaginta episcopi, sicut de Felice Aptungitano constitit, absentes et innocentes collegas, tam insana temeritate damnarunt. Quali enim turbæ illi consenserant, ut adversus innocentes non interrogatos proferrent sententias a tali turba etiam rursus accusari Cæcilianum volebant. Sed plane non tales invenerant iudices, quibus illam dementiam persuaderent.

XV. Potestis enim pro vestra prudentia et illorum perversitatem illic attendere, et iudicum gravitatem quemadmodum ad extremum persuaderi non possent, ut a plebe partis Majorini, quæ certam personam non habebat argueretur Cæcilianus; et requisiti ab eis essent vel accusatores vel testes vel quoquo modo causæ necessarii, qui simul cum eis ex Africa venerant, et eos præsentis fuisse atque a Donato subtractos esse diceretur. Promisit idem Donatus quod eos esset exhibiturus: quod cum non semel, sed sepius promisisset, amplius ad illud iudicium accedere noluit; ubi jam erat tanta confessus, ut nihil aliud deinceps non accedendo, nisi præsens damnari noluisse videretur; cum tamen ea quæ damnanda essent, eo præsentis atque interrogato manifestata fuerint. Accessit et aliud, ut a quibusdam adversus Cæcilianum denuntiationis libellus daretur: post quod factum quemadmodum sit rursus agitata cognitio, et quæ personæ illum libellum dederint, quoque modo nihil in Cæcilianum probari potuerit, quid dicam, cum et audieritis omnia, et quoties volueritis legere possitis?

XVI. De numero autem septuaginta episcoporum, cum quasi gravissima opponeretur auctoritas, quæ fuerint dicta meministis: et tamen viri gravissimi ab infinitis quæstionibus catena quadam inexplicabili sese nectentibus suum temperare arbitrium maluerunt, nequaquam curantes quam multi essent illi episcopi, aut unde collecti, quos

videbant tanta temeritate cæcatos, ut in absentes et non interrogatos collegas, tam præcipites auderent proferre sententias. Et tamen qualis ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, et Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum, o filium Christianæ pacis, et patrem Christianæ plebis! Conferte nunc istam paucitatem cum illa multitudine episcoporum, neque numerum numero, sed pondus ponderi comparate: hinc modestiam, inde temeritatem: hinc vigilantiam, inde cæcitatem. Hic nec mansuetudo integritatem corripit, nec integritas mansuetudini repugnavit: ibi autem et furore timor tegebatur, timorē furor incitabatur. Isti enim convenerant cognitione verorum criminum falsa respuere, illi falsorum damnatione vera celare.

XVII. Illis-ne se tandem Cæcilianus audiendum iudicandumque committeret, cum haberet tales, apud quos si ei causa moveretur, innocentiam suam facillime ostenderet? non se illis omnino committeret, nec si peregrinus ecclesiæ Carthaginensis subito episcopus esset ordinatus, et ignoraret quid ad corruppendos animos vel improborum vel imperitorum posset tunc pecuniosissima mulier quædam Lucilla, quam pro disciplina ecclesiastica corripiendo idem cum esset diaconus læserat: etiam hoc enim accesserat malum ad illam perficiendam iniquitatem.

Nam in illo concilio, ubi a confessis traditoribus absentes atque innocentes damnati sunt, pauci quidem erant, qui crimina sua infamatis aliis tegere cupiebant, ut homines a veritatis inquisitione averterentur falsis rumoribus advocati. Pauci ergo erant, qui hoc negotium maxime curabant, quamvis in eis esset major auctoritas, propter ipsius Secundi societatem, qui eis pepercerat territus. Cæteri autem Lucillæ pecunia maxime adversus Cæcilianum empti et instigati perhibentur. Extant gesta (29) apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam diaconus a Sylvano Cirtensi episcopo, quantum ipsis gestis intelligitur, degradatus, cum ei satisfacere per aliorum episcoporum litteras (30) frustra conatus esset, multa patefecit iratus, et in iudicium publicum protulit: inter quæ id quoque commemoratum legitur, quod Lucillæ, pecunia corruptis episcopis, in Carthaginensi ecclesia, in Africæ capite, altare contra altare levatum est. Scio quod hæc Gesta vobis non legerimus, sed tempus non fuisse meministis. Inerat etiam nonnullus dolor animi de typho superbiæ veniens, quod non ipsi ordinaverant Carthagini episcopum.

XVIII. Quibus omnibus rebus, cum eos non veros iudices, sed inimicos atque corruptos Cæcilianus convenisse cognosceret; quando fieri posset, ut vel ipse vellet, vel populus cui præsidebat permitteret, ut relicta ecclesia iret in domum privatam, non collegarum discutiendus examine, sed factionis cuneo et odiis muliebribus trucidandus? cum sibi præsertim videret apud ecclesiam transmarinam privatis inimiciis et ab utraque parte dissensionis alienam, incorruptum et integrum examen suæ causæ remanere. Ubi si nihil adversarii agere vellent, ipsi se ab orbis terrarum innocentissima communione præciderent: si autem illic eum accusare tentassent, tunc sibi adesset,

tunc innocentiam suam adversus eorum machinamenta defenderet, sicut postea factum esse didicistis : cum tamen illi nimis sero quæsissent iudicium transmarinum jam schismatis rei, jam levati altaris horrendo scelere maculati. Primo enim facerent, si veritate niterentur : sed falsis rumoribus temporis diuturnitate firmatis, quasi vestusta fama præjudicante ad iudicium venire voluerunt. Aut quod magis credendum est damnato prius, sicut libuit, Cæciliano, quasi securi sibi videbantur præfidentes numero suo, nec audentes alibi commovere causam tam malam, ubi nulla corruptione operante posset veritas inveniri.

XIX. Sed posteaquam ipsis rebus experti sunt cum Cæciliano permanere communionem orbis terrarum, et ad eum a transmarinis ecclesiis communicatorias litteras mitti, non ad illum quem ipsi scelerate ordinaverant; puduit eos semper tacere : quia posset eis obijci cur paterentur ignaram per tot gentes ecclesiam communicare damnatis, et cur se ipsi ab innocentis orbis terrarum communione præciderent, cum tacendo sinerent Episcopo quem Carthaginensibus ordinassent, a toto orbe non communicari : elegerunt, sicut dicitur, « ad duas » agere causam cum Cæciliano apud ecclesias transmarinas, parati ad utrumque, ut si eum potuissent quacumque versutia falsæ criminationis evincere, satiarent plenissime cupiditatem suam; si autem non possent, in eadem quidem perversitate durarent, sed jam tamen quasi haberent quod dicerent, malos iudices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati : quasi non eis ad hoc dici posset et justissime dici, Ecce putemus illos episcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos iudices fuisse : restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ concilium, ubi etiam cum ipsis iudici-

bus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint, probent : nos enim non factum esse facile probamus, ex eo quod totus orbis non eis communicat : aut si factum est, etiam ibi sunt victi; quod ipsa eorum separatio manifestat.

XX. Sed tamen quid postea fecerint, Imperatoris litteris sufficientissime ostenditur. Iudices enim ecclesiasticos tantæ auctoritatis episcopos, quorum iudicio et Cæciliani innocentia et eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod male judicaverint. Dedit ille aliud Arelatense Iudicium, aliorum scilicet episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suscipere, ut de iudicio episcoporum, qui Romæ sederant ipse judicaret; sed alios, ut dixi, episcopos dedit : a quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem provocare maluerunt : qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque utinam saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque ut eis ipse cessit, ut de illa causa post episcopos judicaret, a sanctis antistitibus postea veniam petiturus, dum tamen illi quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent, ad quem ipsi provocaverunt, sic et illi aliquando cederent veritati. Jussit enim ille ut ei partes ad agendam causam Romam occurrerent. Quo cum Cæcilianus nescio qua causa non occurrisset, interpellatus ab eis præcepit ut Mediolanum sequerentur. Tunc se aliqui eorum subtrahere cœperunt, fortasse indignati, quia non est eos imitatus Constantinus, ut jam statim atque velociter Cæcilianum damnaret absentem. Quod ubi cognovit providus Imperator, reliquos ab officialibus

custoditos fecit **Mediolanum** pervenire. Quo cum etiam **Cæcilianus** venisset, ipsum quoque, sicut scripsit, exhibuit, cognitaque causa, qua diligentia, qua cautela, qua provisione, sicut ejus indicant litteræ, **Cæcilianum** innocentissimum, illos improbissimos judicavit.

XXI. Et adhuc baptizant extra Ecclesiam, et si possint rebaptizant Ecclesiam; sacrificant in dissentione et schismate, et pacis nomine populos salutant, quos a pace salutis exterminant. Conscinditur unitas Christi; blasphematur hæreditas Christi; exufflatur baptismus Christi: et nolunt in se ista per ordinarias humanas potestates flagellis temporalibus emendari, ne in æternas pœnas pro tantis sacrilegiis destinentur. Nos eis objicimus furorem schismatis, rebaptizationis insaniam ab hæreditate Christi, quæ per omnes gentes diffusa est nefariam separationem. De codicibus non tantum nostris, sed etiam eorum, recitamus ecclesias, quarum nomina hodie legunt, et quibus hodie non communicant: quæ cum recitantur in conventiculis eorum, lectoribus suis dicunt, Pax tecum: et cum ipsis plebibus, quibus illæ litteræ scriptæ sunt, pacem non habent. Et ipsi nobis objiciunt vel falsa crimina mortuorum, vel etiamsi vera, tamen aliena; non intelligentes in iis, quæ nos eis objicimus, omnes illos teneri; in iis vero quæ nobis objiciunt, paleam vel zizania messis Dominicæ reprehendi, ad frumenta autem crimen non pertinere: neque considerantes quia quibus mali placent in unitate, ipsi communicant malis; quibus autem displicent, et eos emendare non possunt, neque ante tempus messis zizania eradicare, ne simul eradicent et triticum, non factis eorum, sed altari Christi communicant: ita ut non solum non ab eis maculentur, sed etiam divinis verbis laudari prædicarique mereantur: quoniam ne nomen Christi per horribilia schismata blas-

phemetur, pro bono unitatis tolerant, quod pro bono æquitatis oderunt.

XXII. Si habent aures, audiant quid Spiritus dicat ecclesiis. Sic enim in Apocalypsi Joannis legitur; « Angelo, inquit, ecclesiæ Ephesi scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: Scio opera tua et laborem et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, et non sunt et invenisti eos mendaces et patientiam habes, et sustinuisti eos propter nomen meum, et non defecisti¹. » Quod si de Angelo superiorum cœlorum, et non de præpositis Ecclesiæ vellet intelligi, non consequenter diceret: « Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac: sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris. » Hoc superioribus Angelis dici non potest, qui perpetuam retinent charitatem, unde qui defecerunt et lapsi sunt diabolus est et angeli ejus. Ergo primam charitatem dicit, quia sustinuit pseudo-apostolos propter nomen Christi, quam jubet ut repetat, et faciat priora opera sua. Et objiciuntur nobis crimina malorum hominum non nostra, sed aliena; et ipsa partim incognita: quæ si etiam vera et præsentia videremus, et zizaniis propter frumenta parcentes, pro unitate toleraremus, non solum nulla reprehensione, sed etiam non parva laude nos dignos diceret, quicumque Scripturas sanctas non corde surdus audiret.

XXIII. Tolerat Aaron multitudinem idolum exigentem et fabricantem et adorantem. Tolerat Moyses adversus Deum tot millia murmurantia, et toties offendentia sanc-

¹ Apoc. ii, 1.

tum nomen ejus. Tolerat David Saülem persecutorem suum, sceleratis moribus cœlestia deserentem, magicis artibus inferna quærentem; occisum vindicat; Christum etiam Domini propter sacramentum venerandæ unctionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, perversosque filios suos, quos populus, quia tolerare noluit, divina veritate accusatus, divina severitate correptus est. Tolerat denique ipsum populum superbum contemptorem Dei. Tolerat Isaias in quos tam multa vera crimina jaculatur. Tolerat Jeremias a quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Pharisæos et Scribas, quales illo tempore fuisse Scriptura testatur. Scio me multos prætermisisse, legant qui volunt, legant qui possunt eloquia cœlestia, invenient omnes sanctos Dei servos et amicos semper habuisse quos in suo populo tolerarent; cum quibus tamen illius temporis sacramenta communicantes, non solum non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant, « Studentes, sicut ait Apostolus, servare unitatem spiritus in vinculo pacis¹. » Attendant etiam post Domini adventum, ubi multo plura hujus tolerantiae per totum orbem inveniremus exempla, si omnia scribi et in auctoritatem redigi potuissent, tamen hæc ipsa quæ habemus advertite. Tolerat ipse Dominus Judam, diabolum, furem, et venditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles noverunt pretium nostrum. Tolerant Apostoli pseudo-apostolos, et inter sua quærentes non quæ Jesu Christi, Paulus non sua quærens sed quæ Jesu Christi, cum gloriosissima tolerantia conversatur. Postremo quod paulo ante commemoravi, divina voce laudatur sub Angeli nomine præpositus ecclesiæ, quod cum odisset malos, eos tamen tentatos et inventos pro nomine Domini toleravit.

¹ Ephes. iv, 3.

XXIV. Ad summam se ipsos interrogent: Nonne tolerantur ab eis cædes et incendia Circumcellionum, qui sunt veneratores præcipitatorum ultro cadaverum, et sub incredibilibus malis unius Optati per tot annos totius Africæ gemitus? Parco jam dicere singularum per Africam regionum et civitatum et fundorum tyrannicas potestates, et publica latrocinia. Melius enim vobis hæc vos ipsi dicitis, sive in aurem, sive palam, sicut libitum fuerit. Quocumque enim oculos verteritis, occurret quod dico, vel potius quod taceo. Neque hinc istos, quos ibi diligitis, accusamus. Non enim nobis displicent, quia tolerant malos; sed quia intolerabiliter mali sunt propter schisma, propter altare contra altare, propter separationem ab hæreditate Christi toto orbe diffusa, sicut tanto ante promissa est. Violatam pacem, conscissam unitatem, iterata baptismata, exufflata sacramenta, quæ in sceleratis quoque hominibus sancta sunt, plangimus et lugemus. Quæ si parvi pendunt, intueantur exempla quibus demonstratum est quanti hæc penderit Deus qui fecerunt idolum; usitata gladii morte perempti sunt: qui vero schisma facere voluerunt, hiatu terræ principes devorati, et turba consentiens igne consumpta est. Diversitate pœnarum, diversitas agnoscitur meritorum.

XXV. Traduntur in persecutione sancti codices, confitentur traditores, et Deo dimittuntur. Non interrogantur innocentes, et ab hominibus temerariis damnantur. Probatum integer certis judiciis, qui inter absentes damnatos multo vehementius cæteris criminatus est. Judicium episcoporum ad Imperatorem appellatur. Judex eligitur Imperator. Judicans contemnitur Imperator. Quæ tunc acta sint legistis, quæ nunc agantur videtis: si de illis in aliquo dubitatis, ista jam cernite. Certe non chartis

¹ Thamugadensis episcopi. Vide not. in Epist. LIII.

veteribus, non archivis publicis, non Gestis forensibus aut ecclesiasticis agamus. Major liber noster orbis terrarum est, in eo lego completum, quod in libro Dei lego promissum: « Dominus, inquit, dixit ad me: Filius meus » es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi » gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam termini nos terræ. » Huic hæreditati qui non communicat, quolibet libros teneat, exhæredatum se esse cognoscat. Hanc hæreditatem quisquis expugnat, alienum se esse a familia Dei satis indicat. Certe de traditione divinorum librorum vertitur quæstio, ubi hæreditas ista promissa est. Ille ergo credatur testamentum tradidisse flammis, qui contra voluntatem litigat testatoris. Quid tibi fecit o pars Donati, quid tibi fecit ecclesia Corinthiorum? Quod autem de ista dico, de omnibus talibus et tam longe positis intelligi volo. Quid vobis fecerunt, quæ nec omnino quid feceritis, nec quos infamaveritis nosse potuerunt? An quia Lucillam Cæcilianus in Africa læsit, lucem Christi orbis amisit?

XXVI. Tandem sentiant quod fecerunt: merito certo annorum intervallo in oculos eorum revolutum est opus ipsorum. Quærite per quam foeminam Maximianus (31) qui dicitur esse Donati proquinquus, sese a Primiani communiione præciderit, et quemadmodum congregata episcoporum factione, Primianum damnarit absentem, et adversus eum episcopus ordinatus sit: quemadmodum Majorinus per Lucillam congregata episcoporum factione Cæcilianum damnavit absentem, et contra eum episcopus ordinatus est. An forte quod a cæteris Afris suæ communionis episcopis contra factionem Maximiani Primianus purgatus est, valere vultis: et quod a transmarinis unitatis episcopis adversus factionem Majorini Cæcilianus purgatus

¹ Psal. II, 7.

est, valere non vultis? Rogo, fratres mei, quid magnum peto, quid difficile a vobis intelligi cupio? Multum quidem interest, et incomparabiliter distat vel auctoritate vel numero Africana Ecclesia, si cum cæteris orbis partibus conferatur: et longe miror est, etiamsi unitas hic esset, longe omnino minor est comparata cæteris Christianis omnibus gentibus, quam pars Maximiani comparata parti Primiani: peto tamen, et justum esse arbitror, ut tantum valeat concilium secundi Tigisitani, quod Lucilla conflavit adversus absentem Cæcilianum et apostolicam sedem, totumque orbem Cæciliano communicantem, quantum valet concilium Maximianensium, quod similiter foemina nescio quæ conflavit adversus absentem Primianum, et cæteram per Africam multitudinem Primiano communicantem. Quid apertius cernitur? quid æquius postulatur?

XXVII. Videtis hæc omnia et nostis, et gemitis; et tamen videt et Deus quod vos in tam pestifera et sacrilega præcisione nulla res cogit remanere, si pro adipiscendo spiritali regno carnalem superetis affectum, et amicitias hominum, quæ in iudicio Dei nihil proderunt, pro devitandis sempiternis pœnis non timeatis offendere. Ecce ite, consulite, quid contra hæc nostra possint respondere cognoscite: si proferunt chartas, proferimus chartas; si falsas nostras esse dicunt, hoc nos de suis dicere non indignentur. Nemo delet de cælo constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam Dei: ille totum orbem promisit, ista totum orbem replevit: et malos habet et bonos, sed nec in terris amisit nisi malos, nec in cælum admittit nisi bonos. Erit autem vobis hic sermo, quem de munere Dei novit ipse, quanta et pacis et vestra dilectione deprompsimus, correctio si velitis, testis vero etsi nolitis.

EPISTOLA XLIV¹.

Dominis dilectissimis et prædicabilibus fratribus ELEUSIO, GLORIO et FELICIBUS AUGUSTINUS.

Augustinus refert quæ cæpta sint agi de concordia cum Fortunio Donatistarum episcopo, cupiens ut sine tumulu, quod placide cæptum est, perficiatur conventu frequentiore.

I. FORTUNIVM quem Tubursicum habetis episcopum, per eandem civitatem, quanquam festinantissime, cum ad Cirtensem Ecclesiam pergeremus (32) experti sumus ita omnino, ut de illo soletis benignissime polliceri. Eam ipsam quippe vestram de illo nobis sermocinationem cum ei renuntiarem, volentes eum videre, non abnuit. Venimus itaque ad eum; quia ætati ejus id a nobis deferendum videbatur, potius quam exigendum ut ipse ad nos veniret prior. Perreximus ergo comitantibus non paucis, quos forte aggregatos nobis illud tempus invenerat. Cum autem apud eum consedissemus, rumore disperso non parva præterea turba confluit; sed nobis, in tota illa multitudine perpauca apparebant, qui utiliter ac salubriter agi causam illam, et tantam rei que tantæ quæstionem prudenter et pie discuti cuperent. Cæteri vero magis ad spectaculum quasi altercationis nostræ prope theatra consuetudine, quam ad instructionem salutis christiana devotione convenerant. Quapropter nec silentium nobis præbere, nec intente nobiscum atque modeste saltem et ordinate collo-

¹ Alias CLXIII. quæ autem XLIV erat, num. XVII.—Scripta exeunte anno 397 aut ineunte anno 398.

qui potuerunt, exceptis, ut dixi, paucis, quorum religiosa et simplex apparebat intentio. Itaque libere pro sui cuiusque animi motu immoderate loquentium omnia strepitu turbabantur, nec evincere sive nos, sive ipse rogando, interdum etiam objurgando potuimus, ut nobis modestum silentium præberetur.

II. Res tamen utcumque agi cæpta est, et aliquot horas in alterno sermone protraximus, quantum vocibus interquiescentibus varie tumultuantium sinebamur. Sed in ipso disputationis exordio, cum videremus ea, quæ dicebantur, subinde labi de memoria vel nostra, vel eorum quorum salutem maxime curabamus; et ut esset nobis cautior modestiorque tractatio, simul ut et vos atque alii fratres, qui absentes erant, quid inter nos actum esset, legendo cognosceretis, postulavimus ut a notariis verba nostra exciperentur. Diu ab illo vel ei consentientibus reluctatum est; postea tamen ipse concessit. Sed notarii qui aderant, atque id strenue facere poterant, nescio qua causa excipere noluerunt. Egimus saltem ut fratres qui nobiscum erant, quanquam in hac re tardius possent, exciperent, pollicentes nos ibi easdem tabulas relicturos. Consensus est. Cæperunt verba nostra excipi, et aliqua ab invicem ad tabulas dicta sunt. Postea inordinatas perstreptentium interpellationes, et propterea nostram quoque turbulentioris disputationem notarii non valentes sustinere, cesserunt; nobis sane non desistentibus, et ut cuique facultas dabatur, multa dicentibus. Ex quibus omnibus verbis nostris, quantum recordari potui, causæ totius actionem, dilectionem vestram fraudare nolui. Potestis enim ei litteras meas legere, ut vel approbet vera me scripsisse; vel ipse vobis, si quid melius recolit, incunctanter insinuet.

III. Primo enim vitam nostram, quam vobis benevolentius fortasse quam verius narrantibus, se comperisse

dicebat, prædicare dignatus est : adjungens se dixisse vobis, nos omnia, quæ de nobis insinuaratis, bene facere potuisse, si in Ecclesia faceremus. Deinde quærere cœpimus, quænam illa esset Ecclesia, ubi vivere sic oporteret, utrum illa quæ, sicut sancta tanto ante Scriptura prædixerat, se terrarum orbe diffunderet, an illa quam pars exigua vel Afrorum vel Africæ contineret. Hic primo asserere conatus est, ubique terrarum esse communionem suam. Quærebam utrum epistolas communicatorias, quas formatas dicimus (33), posset quo vellem dare, et affirmabam quod manifestum erat omnibus, hoc modo facillime illam terminari posse quæstionem. Parabam autem, ut si consentiret, ad illas ecclesias a nobis tales litteræ mitterentur, quas in apostolicis auctoritatibus pariter legeremus illo jam tempore fuisse fundatas.

IV. Sed quia res aperte falsa erat, permixtis verbis cito inde discessum est, inter quæ verba evangelicam illam Domini admonitionem commemoravit, qua dixit: « Cavete » a pseudo-prophetis ; multi ad vos venient in vestitu » ovium, intus autem sunt lupi rapaces : ex fructibus » eorum cognoscetis eos¹. » Quæ verba Domini cum diceremus eadem de illis a nobis posse recitari, ventum inde est ad exaggerationem persecutionis, quam sæpe suam partem pertulisse dicebat ; hinc volens ostendere suos esse Christianos, quia persecutionem paterentur. Inter quæ verba cum ergo pararem ex Evangelio respondere, inde capitulum commemoravit prior, Ubi Dominus ait ; « Beati » qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quoniam » ipsorum est regnum cœlorum². » Quo loco ego gratulatus, subjeci statim id ergo esse quærendum, utrum illi persecutionem propter justitiam passi fuerint. In qua quæstione discuti cupiebam, quod quidem omnibus cla-

¹ Matth. vii, 15. — ² Id. vii, 10.

rum erat, utrum eos in unitate Ecclesiæ constitutos, an schismate jam divisos Macariana tempora invenerint (34), ut qui videre vellent, utrum propter justitiam persecutionem passi fuerint, id potius attenderent, utrum se recte a totius orbis unitate præciderint. Quod si injuste fecisse invenirentur, manifestum esset eos propter injustitiam potius quam propter justitiam passos persecutionem : et ideo numero beatorum adjungi non posse de quibus dictum est : « Beati qui persecutionem patiuntur propter » justitiam. » Ibi commemorata est famosior quam certior codicum illa traditio. Sed respondebatur a patribus nostris, principes illorum potius fuisse traditores. Quod si de hac re nostrorum litteris nollent credere, nec nos cogi oportere, ut litteris credamus ipsorum.

V. Sed tamen sequestrata ista dubia quæstione quærebam quomodo se isti juste separassent ab innocentia cæterorum Christianorum, qui per orbem terrarum successionis ordinem custodientes, in antiquissimis ecclesiis constituti, penitus ignorarent qui fuerint in Africa traditores ; qui certe non possent communicare, nisi eis quos sedere in sedibus episcopalibus audiebant. Respondit, tandiu transmarinarum partium ecclesias mansisse innocentes, donec consensissent in eorum sanguinem, quos Macarianam persecutionem pertulisse dicebat. Ubi ego possem quidem dicere, nec invidia Macariani temporis innocentiam transmarinarum ecclesiarum contaminari potuisse ; quandoquidem nullo modo probaretur illis auctoribus fecisse etiam quæ fecerat. Sed de compendio quærere malui, si Macarii sævitia, ex quo in eam consensisse dicebantur transmarinæ ecclesiæ, suam innocentiam perdiderunt, utrum saltem probaretur usque ad illa tempora Donatistas cum Orientalibus ecclesiis cæterisque orbis partibus in unitate mansisse.

VI. Tunc protulit quoddam volumen, ubi volebat ostendere Sardicense concilium ad episcopos Afros, qui erant communionis Donati, dedisse litteras. Quod cum legeretur, audivimus Donati nomen inter cæteros episcopos, quibus illi scripserant. Itaque flagitare cœpimus ut diceretur, utrum ipse esset Donatus, de cuius parte isti cognominantur: fieri enim potuisse, ut alicui Donato alterius hæresis episcopo scripserint, cum maxime in illis nominibus nec Africæ mentio facta fuerit. Quomodo ergo posset probare Donatum partis Donati episcopum nomine illo accipiendum esse, quando ne id quidem probare posset, utrum ad Africanarum specialiter ecclesiarum episcopos illæ litteræ missæ fuerint. Quanquam enim Donati nomen Afrum esse soleat, non tamen repugnaret a vero, ut vel partium illarum aliquis vocaretur nomine Afro vel aliquis Afer in illis partibus constitueretur episcopus. Neque enim in eis vel diem vel consulem invenimus ut saltem consideratis temporibus certi aliquid eluceret. Sane quoniam nescio quando audieramus Arianos, cum a communionem catholica discrepassent, Donatistas in Africa sibi sociare tentasse: ad aurem mihi hoc ipsum frater Alypius suggestit. Tunc accepto ipso volumine, ejusdem concilii statuta considerans, legi Athanasium episcopum Alexandrinum catholicum, cuius maxime adversus Arianos acerrimarum disputationum conflictus eminuit, et Julium ecclesiæ Romanæ episcopum, nihilominus catholicum, illo concilio Sardicensi fuisse improbatos. Unde apud nos constitit Arianorum fuisse concilium, quibus isti episcopi catholici vehementissime resistebant. Itaque ad diligentiorum etiam temporum discussionem volumus ipsum volumen accipere atque auferre nobiscum. Qui noluit dare, dicens, ibi nos habere illud, quando aliquid in eo

† Vide lib. III contra Crescon. cap. 34.

considerare vellemus. Rogavi etiam ut manu mea notari permitteret, fateor, timens ne mihi forte causa exigente, cum petendum esset, pro illo aliud proferretur, neque hoc voluit.

VII. Deinde mihi cœpit instare, ut ad interrogationem suam breviter responderem, quærens a me quem justum putarem, eum qui persequeretur, an eum qui persecutionem pateretur. Cui respondebam, non recte ita interrogari: fieri enim posse ut ambo iniqui sint, fieri etiam posse ut iniquiorem justior persequatur. Non ergo esse consequens, ut ideo sit quisque justior, quia persecutionem patitur, quamvis id plerumque contingat. Deinde cum viderem in hoc eum multum immorari, ut justitiam suæ partis ex eo certam vellet intelligi, quia persecutionem passa fuerit; quæsi ab eo, utrum justum et christianum putaret episcopum Mediolanensis ecclesiæ Ambrosium. Cogebatur utique negare, quod ille vir Christianus esset et justus: quia si fateretur, statim objiceremus quod eum rebaptizandum esse censeret. Cum ergo ea loqui cogeret, quibus ille non esset habendus Christianus et justus, commemoravi quantam persecutionem pertulerit, circumdata etiam militibus armatis ecclesia. Quæsi etiam utrum Maximianum, qui ab eis apud Carthaginem schisma fecerat, et justum et christianum putaret. Non poterat nisi negare. Commemoravi ergo etiam illum talem persecutionem pertulisse, ut ecclesia ejus usque ad fundamenta dirueretur. His igitur exemplis ei, si possem, persuadere moliebar, ut jam desineret dicere persecutionis perpressionem christianæ justitiæ certissimum esse documentum.

VIII. Narravit etiam in ipsa schismatis novitate majores suos, cum cogitarent culpam Cæciliani, ne schisma fieret, quoquo modo velle sopire, dedisse quemdam interventorem (35) populo suæ communionis apud Carthaginem

constituto, antequam Majorinus adversus Cæcilianum ordinaretur. **Hunc** ergo interventorem¹ in suo conventiculo a nostris dicebat occisum. Quod fateor, nunquam antea prorsus audieram, cum tam multa ab eis objecta crimina refellerentur, et redarguerentur a nostris, atque in eos plura et majora jacerentur. Sed tamen posteaquam hoc narravit, rursus a me instanter cœpit quærere quem justum putarem, eum-ne qui occidit, an eum qui occisus esset; quasi jam mihi probavisset, ita ut narraverat, esse commissum. Dicebam ergo, prius utrum verum esset esse quærendum; non enim temere credi oportere quæcumque dicuntur: et tamen fieri potuisse, ut vel ambo æque mali essent, vel etiam pejorem quisquam malus occideret. Revera enim fieri potest, ut sceleratior fit rebaptizator totius hominis, quam solius corporis interemptor.

IX. Unde etiam illud, quod a me postea quæsivit, jam quærendum non erat. Ait enim etiam malum non debuisse occidi a Christianis et justis; quasi nos eos, qui hæc in Catholica faciunt, justos vocemus: quæ tamen nobis ab istis dici facilius quam probari solent, cum tam multas violentissimas cædes et strages plerique ipsorum et episcopi et presbyteri et quilibet clerici congregatis turbis hominum furiosissimorum, non catholicis tantum, sed nonnunquam etiam suis, ubi possunt, inferre non cessent. Quæ eum ita sint, dissimulans tamen ab sceleratissimis factis suorum, quæ ipse plus novit, urgebat ut dicerem, quis justorum vel malum aliquem occiderit. Quod etiamsi ad causam jam non pertinebat; fatebamur enim hæc ubicumque sub nomine christiano fierent, non fieri a bonis: sed tamen ut admoneretur quid esset quærendum, respondimus, quærentes utrum Elias justus ei videretur fuisse: quod negare non potuit. Deinde subjecimus quam multos

¹ Interventor dicebatur qui, vacante sede, regebat Ecclesiam.

pseudo-prophetas sua manu peremerit. Hic revera vidit quod videndum erat, talia tum licuisse justis. Hæc enim prophético spiritu auctoritate Dei faciebant, qui procul dubio novit cui etiam prosit occidi. Exigebat ergo ut docerem jam Novi Testamenti temporibus, quis justorum aliquem occiderit, etiam sceleratum et impium.

X. Tunc reditum est ad superiorem tractatum, quo volebamus ostendere, neque nos illis debere objicere suorum scelera, neque illos nobis, si qua invenirentur talia facta nostrorum. De Novo enim Testamento ostendi quidem non posse, quod justus quisquam interfecerit aliquem: sed tamen illud probari posse ipso exemplo Domini, sceleratos ab innocentibus fuisse toleratos. Traditorem enim suum, qui jam pretium ejus acceperat, usque ad ultimum pacis osculum inter innocentes secum esse perpessus est. Quibus non tacuit esse inter illos tanti sceleris hominem; et tamen primum sacramentum corporis et sanguinis sui, nondum illo excluso, communiter omnibus dedit. Quo exemplo cum prope omnes moverentur, tentavit dicere, ante passionem Domini communionem illam cum scelerato non obfuisse Apostolis, quia nondum habebant baptismum Christi, sed baptismum Joannis. Quod posteaquam dixit, cœpi ab eo quærere, quemadmodum ergo scriptum esset, quod Jesus baptizaverit plures quam Joannes, cum ipse non baptizaret¹, sed Discipuli ejus, hoc est, per suos Discipulos baptizaret. Quomodo ergo dabant quod non acceperant, quod ipsi maxime solent dicere? An forte Christus baptismum Joannis baptizabat? Deinde in hac sententia multa quæsitus eram, quomodo ab ipso Joanne tunc quæsitus sit de baptismum Domini², et responderit quod ille haberet sponsam, et ille esset sponsus. Numquid ergo fas erat ut baptismum Joannis

¹ Joan. iv, 1. — ² Id. v, 29.

baptizaret sponsus, id est, baptismo amici vel servi. Deinde quomodo poterant eucharistiam accipere nondum baptizati : aut quomodo Petro volenti ut totum se lavaret, responderit : « Qui lotus est semel, non eum oportet iterum lavari, sed est mundus totus ¹. » Perfecta enim mundatio non in Joannis, sed in Domini baptismo est, si eo se dignum qui accipit præbeat ; si autem indignum, sacramenta in eo non ad salutem, sed ad perniciem, permanebunt tamen. Cum ergo ista quæsiturus essem, etiam ipse vidit de baptismo Discipulorum Domini non sibi fuisse quærendum.

XI. Inde itum est in aliud, multis ut poterant utrimque sermocinantibus : inter quæ dictum est, quod adhuc eos nostri persecuturi essent : nobisque dicebat, videre se velle quales nos essemus in illa persecutione præbituros, utrum consensuri essemus tali sævitæ, an nullum commodaturi consensum. Nos dicebamus Deum videre corda nostra, quæ ipsi non possent : et illos temere sibi adhuc ista metuere, quæ si contigerint, a malis contingere, quibus deteriores ipsi habent : nec tamen ideo nos a catholica communione segregare debere, si quid forte nobis invitis, vel etiam, si valuerimus, contradicentibus, factum fuerit, cum tolerantiam pacificam didicerimus, dicente Apostolo ; « Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare » unitatem spiritus in vinculo pacis ². » Quam pacem atque tolerantiam illos non tenuisse dicebamus, qui schisma fecerunt, ut nunc inter suos, qui mitiores eorum sunt, graviora tolerant, ne scindatur quod scissum est ; cum leviora nollent pro ipsa unitate tolerare. Dicebamus etiam nondum fuisse temporibus veterum pacem unitatis, et tolerantiam tanta commendatione prædicatam, sicut exempló Domini et Novi Testamenti charitate : et tamen Pro-

¹ Joan. xiii, 10. — ² Ephes. iv, 3.

phetas illos et sanctos viros dicere solere in populum scelera eorum, cum tamen se ab illius populi unitate et a communione pariter accipiendorum sacramentorum, quæ tunc fuerunt, divellere non tentassent.

XII. Inde nescio quomodo ventum est ad commemorationem beatæ memoriæ Genethii Carthaginensis ante Aurelium Episcopi, quod nescio quam constitutionem datam contra illos compresserit, et effectum habere non siverit. Laudabant illum omnes, et benignissime præferebant. Inter quas laudes a nobis subjectum est, quod etiam ipse tamen Genethlius, si in eorum manus incidisset rebaptizandus censeretur. Et hæc jam stantes loquebamur, quia discedendi tempus urgeret. Ibi plane ille senex dixit, jam formam esse factam, ut quisquis ad eos fidelium a nobis venerit, baptizetur, quod eum invitum et cum dolore animi dicere, quantum poterat, apparebat. Sane cum etiam ipse multa mala suorum apertissime gemeret, atque ostenderet, quod totius civitatis ejus testimonio probabatur, quam esset remotus a talibus factis, et quæ ipsis suis dicere soleat modesta conquestione proferret, nosque commemorare illud Ezechielis prophetæ, ubi aperte scriptum est, nec filii culpam patri, nec patris culpam filio ejus imputandam, ubi dictum est : « Sicut enim anima » patris mea est, ita et anima filii mea est, anima enim » quæcumque peccaverit, sola morietur ¹, » placuit omnibus in talibus disputationibus violenta facta malorum hominum nobis ab invicem objici non debere. Remanebat ergo schismatis quæstio. Itaque hortati eum sumus, ut etiam atque etiam placido atque pacato animo annitatur nobiscum, ut diligenti examinatione tanta inquisitio terminum sumat. Ubi ille benigne cum diceret, nos solum ista quærere, nolle autem nostros hæc quæri : ea facta

¹ Ezech. xviii, 20.

pollicitatione discessimus, ut exhiberemus ei plures collegas nostros, certe vel decem, qui tanta benevolentia et lenitate et tam pio studio id quæri vellent, quantum in nobis eum jam animadvertisse atque approbare sentiebamus. Hoc etiam de suorum numero et ipse pollicitus est.

XIII. Unde vos hortor et obtestor per Domini sanguinem, ut eum promissi sui commoneatis, et gnaviter instetis, ut res cœpta peragatur, quam prope ad finem pervenisse jam cernitis. Quantum enim arbitror, difficillime potestis invenire in episcopis vestris tam utilem animum et voluntatem, quam in isto sene perspeximus. Postero enim die ipse ad nos venit, et hæc iterum quærerere cœperamus. Sed quia ordinandi episcopi necessitas nos inde jamjamque rapiēbat, diutius cum illo esse nequivimus. Jam enim miseramus ad Majorem Coelicolarum (36), quem audieramus novi apud eos baptismi institutorem extitisse, et multos illo sacrilegio seduxisse, ut cum illo, quantum ipsius temporis patiebantur angustiae, aliquid loqueremur. Quem posteaquam venturum comperit, videns nos aliud suscepisse negotium, cum et ipsum nescio quæ necessitas perfectionis urgeret, benigne a nobis placideque discessit.

XIV. Videtur autem mihi, ut turbulentas turbas et impedimentum potius quam adjumentum afferentes omnino devitemus, et vere ex animo amico atque tranquillo susceptum tam magnum negotium Domino opitulante peragamus, ad aliquam villam nos convenire debere non magnam, ubi nullius nostrum esset ecclesia; quam tamen villam communiter possident homines et nostræ communionis et ipsius, sicuti est villa Titiana. Sive ergo in Tubursicensi, sive in Thagastensi, talis locus, vel ille quem commemoravi, vel aliquis alius inventus fuerit, faciamus codices canonicos præsto esse. Et si qua proferri poterint ex utraque parte documenta: ut postpositis cæteris,

nulla, si Domino placuerit, interpellante molestia, quotquot diebus potuerimus ad hoc vacantes, et unusquisque nostrum apud suum hospitem Dominum deprecantes, adjuvante ipso cui pax christiana gratissima est, rem tantam et bono animo cœptam ad inquisitionis terminum perducamus. Rescribite sane, quid de hac re vel vobis vel illi videatur.

EPISTOLA XLV¹.

Domino germanissimis, dilectissimis et in Christo laudabilibus PAULINO et THERASIE, ALYPIUS et AUGUSTINUS in Domino salutem.

Augustinus Paulino, rogans ut demum rescribat post biennii silentium, mittatque sibi opus contra paganos, quod ab ipso elaborari dudum audivit.

(Prodit nunc primum ex Phimarconensi MS. supra laudato.)

I. NEQUAQUAM NOS nescio qua vestra cessatio, qua ecce per totum biennium, ex quo nobis, dulcissimi fratres, Romanus et Agilis ad vos remeaverunt, nullas a vobis litteras sumpsimus, pigros ad scribendum fecit. Nam cum in aliis rebus quanto quisque amplius diligitur, tanto dignior imitatione videatur, in hac re contra est. Quo enim vos amamus ardentius, eo minus ferimus quod nobis non scribitis; nec vos in eo volumus imitari. Ecce igitur salutamus vos, si non respondentis epistolis vestris, quæ nullæ ad nos veniunt, saltem expostulantes, et non dolore mediocri, quamvis fortasse etiam charitas vestra similiter

¹ Quæ autem XLV erat, nunc CXXVII. — Scripta circa ineuntem annum 398.

conqueratur; siquidem missas a vobis nostis, quæ ad nos non pervenerunt; vicissimque a nobis quæ emissæ erant, non sunt vobis datæ. Quod si ita est, querelas nostras convertamus in preces ad Dominum, ne tanta solatia denegat nobis.

II. Scribere te audieramus adversum paganos; quod si absolutum est, quæsumus ne differas mittere per latorem hujus epistolæ. Charus nobis est, cujus æstimationi in regionibus nostris possumus non temere bonum testimonium perhibere. Rogat per nos sanctimonium vestrum, ut eum commendare dignemini cum quibus ei negotium est, et apud quos ne bona causa ejus opprimatur timet: quid in re agatur commodius ipse narrabit: quid etiam ad singula, quæ forte animum moverint inter. . . . gratissimum habemus et apud Dominum Deum nostrum sincerissimæ benignitati gratias agimus, si per vestram operam de Christiani fratris securitate gaudeamus.

EPISTOLA XLVI¹.

Dilecto et venerabili patri AUGUSTINO episcopo PUBLICOLA.

Publicola Augustino proponit multas quæstiones.

SCRIPTUM EST: « Interroga patrem tuum, et indicabit tibi, » seniores tuos, et dicent tibi². » Unde et mihi exquirendam Legem de ore sacerdotis judicavi in causa tali: quæ qualis sit, per litteras expono, simul etiam ut et ego instruar in diversis causis. Singulas autem quæstiones et diversas, per

¹ Alias CLIII. quæ autem XLVI erat, nunc CCIV. — Scripta forte anno 398.
—² Deut. xxxii, 7.

capitula designari feci, ad quas singillatim dignare respondere. »

QUÆSTIO I. — « In Arzugibus, ut audiui, decurioni qui limiti præest vel tribuno solent jurare barbari, jurantes per dæmones suos, qui ad deducendas bastagas (37) pacti fuerint, vel aliqui ad servandas fruges ipsas, singuli possessores vel conductores solent ad custodiendas fruges suscipere, quasi jam fideles, epistolam decurione mittente, vel singuli transeuntes quibus necesse est per eos transire. Mihi autem disceptatio in corde nata est, si ille possessor, qui susceperit barbarum, cujus fides per dæmonum jurationem firma visa est, non coinquinatur vel ipse, vel illa quæ custodit, vel ille qui deducitur a deductore barbaro. Sed hoc debes scire, quia qui jurat barbarus a possessore pro servandis frugibus accipiat aurum, vel a viatore deductor; sed tamen cum hac veluti mercede, quæ solet dari a possessore, vel a viatore, juramentum etiam illud in medio est mortale datum decurioni vel tribuno: quod perturbat me ne polluat illum, qui suscipit barbari juramentum, vel illa quæ custodit barbarus. Quacumque enim conditione etiam auro dato, et obsidibus datis, ut audiui, tamen juramentum iniquum medium intercessit. Dignare autem mihi definitive rescribere, et non suspense. Quod si ipse scribas dubitanter, ego in majores dubitationes incidere possum, quam antequam interrogassem. »

QUÆSTIO II. — « Hoc etiam audiui, quia ipsi homines conductores, qui præsumt rei meæ, juramentum per dæmones suos jurantibus barbaris accipiunt pro servandis frugibus. Si ergo cum illi jurant per dæmones suos ut custodiant fruges, non polluunt ipsas fruges, ut si inde manducaverit Christianus sciens, vel de pretio ipsarum rerum fuerit, coinquinetur, significare dignare. »

QUÆSTIO III. — « Item ab alio audiui, quod conductori

non juratur a barbaro, et alter dixit, quia juratur conductori. Si etiam falsum mihi dixit ille, qui dixit jurari conductori, si jam pro hoc quod solum audivi, non debeo uti de ipsis frugibus vel de pretio ipsarum propter auditum solum, quia dictum est: « Si autem quis dixerit, Hoc im-
» molatitium est idolis, nolite manducare, propter illum,
» qui indicavit¹: » si tamen etiam hæc causa similis est causæ de immolatitio. Quod si ita est, quid debeo de ipsis frugibus, vel de pretio ipsarum facere? »

QUÆSTIO IV. — « Si debeo requirere de utroque qui mihi dixit, quia non juratur conductori; aut qui dixit, quia juratur conductori; et animum uniuscujusque probare per testes, qui verum dixit de illis duobus, et tandiu non contingere de ipsis frugibus, vel de pretio, quandiu mihi probatum fuerit, si verum dixit ille qui dixit, quia non juratur conductori? »

QUÆSTIO V. — « Si barbarus qui per juramentum suum jurat malum, fecerit illum Christianum conductorem vel tribunum qui limiti præest, jurare sibi pro fide illi servanda pro custodiendis frugibus, per ipsum juramentum mortale per quod ipse jurat, si solus ille Christianus coinquinatus sit, si non et illa quorum causa jurat. Aut si paganus, qui limiti præest, juraverit barbaro pro fide illi servanda per mortale juramentum, si non coinquinat pro quibus jurat. Si quem misero ad Arzuges, si licet ei juramentum accipere a barbaro illud mortale; et si non coinquinatur, si susceperit tale juramentum Christianus? »

QUÆSTIO VI. — « Si de area trituratoria tritici vel ejuscumque leguminis, aut torculari; de quo dæmoni oblatum est, si licet inde manducare Christianum scientem? »

QUÆSTIO VII. — « De luco si licet ad aliquem usum suum Christianum scientem ligna tollere? »

¹ I Cor. x, 28.

QUÆSTIO VIII. — « Si quis vadens ad macellum emat carnem, quæ non sit immolatitia, et cogitationes duas habuerit in corde, quod immolata sit, et non sit immolata, et illam tenuerit cogitationem qua non immolatam cogitabit, si manducaverit an peccat? »

QUÆSTIO IX. — « Si quis bonam rem, de qua dubitat an bona aut mala sit, si faciat putans bonam, cum tamen putasset et malam, si peccatum ascribatur ei? »

QUÆSTIO X. — « Si quis dixerit quod immolatitium est mentiens, et postea dixerit iterum, quia mentitus est, et ad fidem vere mentitus est, si licet Christianum inde manducare, aut vendere, et de pretio uti ex eo quod audivit? »

QUÆSTIO XI. — « Si Christianus aliquis ambulans, passus necessitatem, victus fame unius diei, vel bidui, vel multorum dierum, ut jam durare non possit, ita occurrerit, ut in ipsa necessitate famis, in qua sibi videt jam mortem proximare, invenerit cibum in idolio positum, ubi nullus sit hominum, et non possit invenire alium cibum, debet mori aut exinde cibari? »

QUÆSTIO XII. — « Si Christianus videat se a barbaro vel Romano velle interfici, debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur: vel si licet sine interfectione eos repellere vel impugnare, quia dictum est: « Non resistere malo¹? »

QUÆSTIO XIII. — « Si murum possessioni debet Christianus facere propter hostem, et si ille Christianus qui fecerit murum, causa non existit homicidii, cum inde aliqui cœperint pugnare, et interficere hostes? »

QUÆSTIO XIV. — « Si licet de fonte bibere, vel de puteo ubi de sacrificio aliquid missum est? Si de puteo qui in templo est, et desertum factum est, debet Christianus bibere? Si in templo quo colitur idolum, puteus ibi sit vel

¹ Matth. v, 39.

fons, et nihil ibi factum sit in eodem puteo vel fonte, si debet haurire aquam inde Christianus, et bibere?»

QUÆSTIO XV. — « Si Christianus debet in balneis lavare, vel in thermis, in quibus sacrificatur simulacris? Si Christianus debet in balneis, quibus in die festo suo pagani loti sunt, lavare sive cum ipsis, sive sine ipsis?»

QUÆSTIO XVI. — « Si in solio¹ ubi descenderunt pagani ab idolis venientes in die festo suo, et aliquid illic in solio sacrilegii sui fecerint, et scierit Christianus, si debet in eodem solio descendere?»

QUÆSTIO XVII. — « Si Christianus invitatus ab aliquo oppositam habuerit carnem in escam, de qua dictum fuerit illi, quia immolatio est, et non manducaverit eam: postea autem ab aliquo translata ipsam carnem aliquo casu invenerit venalem, et emerit eam, aut appositam habuerit ab aliquo alio invitatus, et non cognoverit eam, et manducaverit, si peccat?»

QUÆSTIO XVIII. — « Si de horto vel de possessione idolorum vel sacerdotum eorum debet Christianus sciens olus emere, vel aliquem fructum, et inde edere? Sane de juramento, vel de idolis, ut laborem non patiaris in requiringo, quæ Domino donante invenerimus, ante oculos tuos volui proponere: si quid autem aliud apertius aut melius in Scripturis inveneris, dignare mihi significare. Unde quæ invenimus, hæc sunt, ubi Laban dixit ad Jacob, « Deus Abraham et Deus Nachor²: » quem autem Deum, non significavit Scriptura. Et iterum, « Abimelech quando » venit ad Isaac ubi juravit: vel qui cum illo erant³: » sed quale juramentum, non significavit Scriptura. Iterum de idolis, ubi ad Gedeon dictum est a Domino in libro Judicum⁴, ut de vitulo, quem occiderat, holocaustum fa-

¹ Vase scilicet in quo sedentes lavabantur. ² Gen. xxxi, 53. — ³ Id. xxvi, 31. — ⁴ Judic. vi, 26.

ceret. Et in Jesu Nave de Jericho, ut omne aurum¹, argentum, et ærumentum inferretur in thesauris Domini, et sanctum vocatum est de civitate, quæ anathema est. Et quid est illud quod in Deuteronomio positum est: « Non » inferes abominationem in domum tuam, et anathema » eris sicut hoc ipsum est²? » Dominus te servet: saluto te: ora pro me. »

EPISTOLA XLVII¹.

Honorabili et dilectissimo filio PUBLICOLÆ AUGUSTINUS in domino salutem.

Augustinus Publicolæ dissolvit aliquot ex propositis quæstionibus.

I. ESTUS animi tui posteaquam didici litteris tuis; etiam mei continuo facti sunt, non quo me omnia talia permoverent, qualibus indicasti te esse permotum: sed quomodo tibi auferrentur hi æstus, fateor, æstuavi; maxime quia petis ut definitive tibi rescriberem, ne in majores dubitationes incideres, quam antequam interrogasses. Hoc enim video non esse in mea potestate. Nam quomodo libet scripsero quæ mihi videntur esse certissima, si tibi non persuasero, procul dubioeris incertior. Non autem sicut mihi adjacet suadere, eo modo adjacet etiam persuadere cuilibet. Verumtamen ne tuæ dilectioni negarem operulam meam, post aliquantam deliberationem rescribendum putavi.

II. Movet te certe utrum ejus fide utendum sit qui ut

¹ Josuë, vi, 19. — ² Deut. vii, 26. — ³ Alias cliv. quæ autem xlvi erat, nunc ccxv. — Scripta circa idem tempus.

eam servet per dæmonia juraverit. Ubi te volo prius considerare, utrum si quispiam per deos falsos juraverit se fidem servaturum, et eam non servaverit, non tibi videatur bis peccasse? Si enim tali juratione promissam custodiret fidem, ideo tantum peccasse judicaretur, quia per tales deos juravit: illud autem nemo recte reprehenderet, quia fidem servavit. Nunc vero quia et juravit per quos non debuit, et contra pollicitam fidem fecit quod non debuit, bis utique peccavit, ac per hoc qui utitur fide illius, quem constat jurasse per deos falsos, et utitur non ad malum, sed ad licitum et bonum, non peccato ejus se sociat quo per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus quo fidem servavit. Neque hic eam fidem dico servari, qua fideles vocantur qui baptizantur in Christo. Illa enim longe alia est longeque discreta a fide humanorum placitorum atque pactorum. Verumtamen sine ulla dubitatione minus malum est per deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod juratur magis est sanctum, tanto magis est poenale perjurium. Alia ergo quæstio est: utrum non peccet qui per falsos deos sibi jurari fecit, quia ille qui ei jurat, deos falsos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari; quæ ipse commemorasti de Laban et Abimelech, si tamen Abimelech per deos suos juravit sicut Laban per Deum Nachor. Hæc, ut dixi, alia quæstio est, quæ me merito fortassis moveret, nisi illa exempla occurrissent de Isaac et Jacob, et si qua alia possunt inveniri. Si tamen illud non adhuc movet quod in Novo Testamento dictum est, ne omnino juremus¹. Quod quidem mihi propterea dictum videtur, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est: a quo nos longe esse voluit qui omnimodo ne juremus admonuit. Sed tibi aliud videri scio, unde nunc dis-

¹ Matth. v, 35.

putandum non est, ut illud potius agamus unde me consulendum putasti. Proinde sicut non juras, ita nec alium si hoc placet jurare compellas: quamvis dictum sit, ne juremus; nusquam autem in Scripturis sanctis legi meminerim, ne ab alio jurationem accipiamus. Alia vero quæstio est, utrum ea pace debeamus uti quæ inter alios invicem jurantes facta est. Quod si nolumus, ubi vivamus in terris, nescio utrum invenire possimus. Neque enim tantummodo limiti, sed universis provinciis pax conciliatur juratione barbarica. Unde et illud sequetur, ut non fruges tantum, quæ ab eis custodiuntur, qui per deos falsos juraverunt, sed ubique inquinata sint omnia quæ ipsa pace muniuntur, quam juratio illa confirmat. Quod si absurdissimum est dicere, nec illa te moveant quæ movebant.

III. Item si de area vel torculari tollatur aliquid ad sacrificia dæmoniorum sciente Christiano, peccat si fieri permittit, ubi prohibendi potestas est. Quod si factum comperit, aut prohibendi potestatem non habuit, utitur mundis reliquis fructibus unde illa sublata sunt; sicut fontibus utimur, de quibus hauriri aquam ad usum sacrificiorum certissime scimus. Eadem est etiam ratio lavacrorum. Neque enim spiritum deducere de aëre dubitamus, in quem scimus ire fumum ex aris omnibus et incensis dæmoniorum. Unde apparet illud esse prohibitum, ne in honorem alienorum deorum aliqua re utamur, aut uti existimemur, sic eam accipiendo ut quamvis animo contempnamus, eos tamen qui nostrum animum ignorant, ad hæc honoranda ædificemus. Et cum templa, idola, luci, et si quid hujusmodi, data potestate evertuntur, quamvis manifestum est cum id agimus, non ea nos honorare, sed potius detestari; ideo tamen in usus nostros privatos duntaxat et proprios non debemus inde aliquid

usurpare, ut appareat nos pietate ista destruere, non avaritia. Cum vero in usus communes, non proprios ac privatos, vel in honorem Dei veri convertuntur, hoc de illis fit quod de ipsis hominibus, cum ex sacrilegis et impiis in veram religionem mutantur. Hoc Deus intelligitur docuisse illis testimoniis quæ ipse posuisti, cum de luco alienorum deorum jussit ligna¹ ad holocaustum adhiberi: et de Jericho, ut omne aurum, argentum, et ærumentum inferretur in thesauros Domini². Quapropter etiam illud quod in Deuteronomio scriptum est: « Non concupisces argentum vel aurum illorum, nec accipies inde tibi, ne excedas propter illud: quoniam abominatio est Domino Deo tuo et non conferes execrumentum in domum tuam, et eris anathema, sicut et illud est, et offensione offendes, et coinquinatione inquinaberis abominatione illa, quia anathema est³: » satis apparet aut ipsos privatos usus in talibus esse prohibitos, aut ne sic inde aliquid inferatur in domum ut honoretur; tunc est enim abominatio et execratio; non cum talium sacrilegus honor apertissima destructione subvertitur.

IV. De escis autem idolorum nihil amplius nos debere observare, quam quod præcepit Apostolus, certus esto. Et ideo de hac re verba ejus recale, quæ si obscura essent, pro modulo nostro exponeremus. Non autem peccat, qui cibum postea nesciens manducaverit, quem prius tanquam idolothytum respuit. Olus vel quilibet fructus in quolibet agro natus, ejus est qui creavit, quia « Domini est terra et plentudo ejus, et omnis creatura Dei bona est⁴. » Sed si illud, quod in agris nascitur, consecratur idolo, vel sacrificatur, tunc inter idolothyta deputandum est. Cavendum est enim, ne si putaverimus non vescendum olere, quod

¹ Judic. xix, 23. — ² Josuë, vi, 19. — ³ Deut. vii, 25. — ⁴ Bedæ vulgatus. i Cor. x. Psal. xxiii, 1. i Tim. iv, 4.

nascitur in horto templi idoli, consequens sit ut existimemus non debuisse Apostolos apud Athenas cibum sumere, quia civitas erat Minervæ ejusque numini consecrata. Hoc et de puteo responderim vel fonte, qui in templo est. Plus autem movet revera, si aliquid sacrificiorum in fontem vel puteum projiciatur. Sed eadem ratio est aëris, qui omnem eum fumum recipit, de quo supra diximus: aut si hoc ideo putatur distare, quia illud sacrificium, de quo fumus aëri confunditur, non fit ipsi aëri, sed idolo alicui vel dæmonio; aliquando autem sic mittuntur sacrificia in aquas, ut ipsis aquis sacrificetur: non ideo utique solis hujus luce non utimur, quia ei sacrilegi ubi possunt sacrificare non cessant. Sacrificatur etiam ventis, quibus tamen utimur ad tantas nostras commoditates, cum eorundem sacrificiorum fumum ipsi quodam modo haurire et vorare videantur. Si quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia sit, et non est immolatitia, si eam cognitionem tenuerit quod immolatitia non sit, et ea vescatur, non utique peccat: quia nec est, nec jam petatur immolatitia, etsi antea putabatur. Neque enim non licet corrigere cogitationes a falsitate in veritatem. Si quis autem bonum putaverit esse, quod malum est, et fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiae, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.

V. De occidendis hominibus ne ab eis quisque occidatur (38), non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate: si ejus congruit personæ. Qui vero repelluntur aliquo terrore ne male faciant, etiam ipsis aliquid fortasse præstatur. Hinc autem dictum est: « Non resistamus malo¹, » ne nos vindicta delectet, quæ

¹ Matth. v, 39.

alieno malo animum pascit : non ut correctionem hominum negligamus. Unde nec reus est mortis alienæ, qui suæ possessioni murum circumduxerit, si aliquis ex ipsius ruinis percussus intereat. Neque enim reus est Christianus, si bos ejus aliquem feriendo, vel equus calcem jaciendo, aliquem occidat; aut ideo non debent Christiani boves habere cornua, aut equus ungulas, aut dentes canis? aut vero quoniam apostolus Paulus satis egit ut in tribuni notitiam perferretur¹, insidias sibi a quibusdam perditis præparari, et ob hoc deductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum suum crimen agnosceret? Absit ut ea quæ propter bonum ac licitum facimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domestica et agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se vel alterum interimat : nec arbor aut restis, ne quis se inde suspendat : nec fenestra facienda est, ne per hanc se quisque præcipitet. Quid plura commemorem, cum ea commemoranda finire non possim? Quid enim est in usu hominum bono ac licito unde non possit etiam perniciæ irrogari?

VI. Restat, ni fallor, ut dicamus aliquid de illo viatore Christiano, quem commemorasti victum famis necessitate, si nihil uspiam invenerit nisi cibum in idolio positum ubi nullus alius est hominum, utrum ei satius sit fame emori, quam illud in alimentum sumere : in qua quæstione, quoniam non est consequens, ut cibus ille idolothytum sit; potuit enim vel ab eis, qui ibi ab itinere divertentes corpus refecerant; oblivione seu voluntate dimitti, vel illic ob aliam causam quamlibet poni; breviter respondeo, aut certum est esse idolothytum,

¹ Act. xxiii, 23.

aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius Christiana virtute respuitur : si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientie scrupulo in usum necessitatis assumitur.

EPISTOLA XLVIII¹.

Domino dilecto et exoptatissimo fratri compresbytero EUDOXIO, et qui tecum sunt fratribus, AUGUSTINUS, et qui tecum sunt fratres, in Domino salutem.

Augustinus Eudoxio Abbati monachorum insulæ Caprariæ, exhortans ut otio ad pietatem non ad ignaviam utantur, et sicubi Ecclesia requirat illorum operam, ne detrectent.

I. QUANDO quietam vestram cogitamus, quam habetis in Christo, etiam nos, quamvis in laboribus variis asperisque versemur, in vestra charitate requiescimus. Unum enim corpus sub uno capite sumus, ut et vos in nobis negotiosi, et nos in vobis otiosi simus. « Quia si patitur » unum membrum, compatiuntur omnia membra : et si » glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra². » Admonemus ergo et petimus et obsecramus per Christi altissimam humilitatem et misericordissimam celsitudinem, ut nostri memores sitis in sanctis orationibus vestris, quas vos vigilantiores et magis sobrias habere credimus : nostras enim sæpe sauciat et debilitat caligo et tumultus sæcularium actionum : quas etsi nostras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, et

¹ Alias LXXXI. quæ autem XLVIII erat, nunc XXXI. — Scripta forte anno 398.
— ² I Cor. xii, 26.

jubemur ire cum eis alia duo¹, tantæ nobis ingeruntur ut vix respirare possimus : credentes tamen quod ille in cuius conspectu intrat gemitus compeditorum, perseverantes nos in eo ministerio, in quo dignatus est collocare cum promissa mercede, adjuvantibus orationibus vestris ab omni angustia liberabit.

II. Vos autem, fratres, exhortamur in Domino ut propositum vestrum custodiatis, et usque in finem perseveretis : ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo ; cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in iudicio, qui docet mansuetos vias suas². Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis. Sicut autem inter ignem et aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo nec demergatur : sic inter apicem superbiæ et voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est : « Non declinantes, » neque ad dexteram, neque ad sinistram³. » Sunt enim qui dum nimis timent, ne quasi ad dexteram rapti extollantur, in sinistram lapsi demerguntur. Et stant rursus qui dum nimis se auferunt a sinistra, ne torpida vacationis mollitiæ sorbeantur, ex altera parte jactantiæ fastu corrupti atque consumpti, in favillam fumumque vanescunt. Sic ergo dilectissimi diligite otium, ut vos ab omni terrena delectatione refrenetis, et memineritis nullum locum esse, ubi non possit laqueos tendere, qui timet ne revolemus ad Deum et inimicum omnium honorum, cuius captivi fuimus iudicemus, nullamque nobis esse perfectam requiem cogitemus, donec transeat iniquitas : et in iudicium justitia convertatur.

¹ Matth. v, 41. — ² Psal. xxiv, 9. — ³ Deut. xxvii, 11.

III. Item cum aliquid strenue atque alacriter agitis et impigre operamini, sive in orationibus, sive in jejuniis, sive in eleemosynis ; vel tribuentes aliquid indigentibus, vel donantes injurias, sicut et Deus in Christo donavit nobis ; sive domantes perniciosas consuetudines, castigantesque corpus, et servituti subjicientes ; sive sufferentes tribulationem, et ante omnia vos ipsos invicem in dilectione ; (quid enim sufferat qui fratrem non suffert ?) sive prospicientes astutiam atque insidias tentatoris, et scuto fidei jacula ejus ignita repellentes et extinguentes ; sive cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino vel vocibus a corde non dissonis, omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus ; atque ita fervete spiritu, ut in Domino laudetur anima vestra. Ipse est enim actio recti itineris, quæ oculos semper habet ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio, nec turbulenta, nec marcida est ; nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens. Hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum.

IV. Nec importunum me existimet charitas vestra ; quia vobis vel per epistolam loqui volui. Non enim hoc vos monui, quod vos non arbitror facere : sed credidi me non parum commendari Deo a vobis : si ea quæ munere illius facitis, cum allocutionis nostræ memoria faciatis. Nam et ante jam fama, et nunc fratres qui venerunt a vobis Eustasius et Andreas, bonum Christi odorem de vestra sancta conversatione ad nos attulerunt. Quorum Eustasius in eam requiem præcessit, quæ nullis fluctibus sicut insula tunditur, nec Caprariam desiderat, quia nec cilicio jam quærit indui.

EPISTOLA XLIX¹.

HONORATO episcopo partis Donati AUGUSTINUS episcopus Ecclesie
catholicæ.

Augustinus Honorato Donatiæ partis, ut per literas placide reddat rationem, quomodo nomen Ecclesie, quæ utique in toto orbe futura prædicta in Scripturis, ad ipsos solos reciderit.

I. CONSILIUM tuum nobis multum placuit, quod per fratrem Erotem charissimum nobis, et in Christo laudabilem virum mandare dignatus es, ut litteris inter nos agamus; ubi nullus turbarum tumultus perturbare possit disputationem nostram, quæ cum tota lenitate et pace animi suscipienda et agenda est, sicut dicit Apostolus: « Servum autem Domini litigare non oportet, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes². » Itaque breviter insinuamus, quid a te responderi desideremus.

II. Quoniam Ecclesiam Dei, quæ catholica dicitur, sicut de illa prophetatum est, per orbem terrarum diffusam videmus: arbitramur nos non debere dubitare de tam evidentissima completionem sanctæ prophetiæ, quam Dominus etiam in Evangelio confirmavit et Apostoli, per quos eadem Ecclesia dilatata est, sicut de illa prædictum erat. Nam et in capite sacrosancti Psalterii scriptum est de Filio Dei; « Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes he-

¹ Alias CLVI. quæ autem XLIX erat, nunc CII. — Scripta circa idem tempus. — ² 2 Tim. II, 24.

» reditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ¹. Et ipse Dominus Jesus Christus dicit Evangelium suum in omnibus gentibus futurum². Et apostolus Paulus, antequam sermo Dei in Africam pervenisset, in ipso capite Epistolæ, quam scripsit ad Romanos, « Per quem accepimus, inquit, gratiam et apostolatam, ad obediendum » fidei, in omnibus gentibus pro nomine ejus³. » Deinde ipse ab Jerusalem in circumitu per totam Asiam usque in Illyricum Evangelium prædicavit, ecclesias constituit atque fundavit, non ipse, sed gratia Dei cum eo, sicut ipse testatur. Quid autem evidentius apparere potest, quam cum in ejus Epistolis nomina etiam regionum vel civitatum invenimus. Ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses, ad Colossenses scribit. Joannes etiam scribit ad septem ecclesias⁴, quas commemorat in illis partibus constitutas, in quibus etiam universam Ecclesiam septenario numero intelligimus commendari, Ephesum, Smyrnam, Sardos, Philadelphiam, Laodiciam, Pergamum, Thiatyram. Quibus omnibus ecclesiis non hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est vos istis ecclesiis non communicare.

III. Quærimus ergo ut nobis respondere non graveris, quam causam forte noveris, qua factum est ut Christus amitteret hæreditatem suam per orbem terrarum diffusam, et subito in solis Afris, nec ipsis omnibus remaneret. Etenim Ecclesia catholica est etiam in Africa, quia per omnes terras eam Deus esse voluit et prædixit. Pars autem vestra, quæ Donati dicitur, non est in omnibus illis locis, in quibus et litteræ et sermo et facta apostolica cucurrerunt. Sed ne dicatis non vocari ecclesiam nostram catholicam, sed Macarianam, sicuti eam vos appellatis; nosse debes, quod facillime

¹ Psal. II. — ² Matth. XXIV, 14. — ³ Rom. 1, 5. — ⁴ Apoc. VIII, 1.

potest, in illis omnibus partibus, unde istas terras Evangelium Christi perfudit, nec nomen Donati sciri, nec nomen Macarii. Vestra autem quia Donati pars dicitur, nec vos negare potestis, et omnibus notum est ubicumque est vestra communio. Dignare ergo rescribere nobis, ut sciamus quomodo fieri possit, ut Ecclesiam suam Christus de toto orbe perdiderit, et in vobis solis habere cœperit: vestrum enim est hæc ostendere: nam nobis sufficit ad causam nostram quod compleri prophetiam et Scripturas sanctas per orbem terrarum videmus. Hoc autem ego Augustinus dictavi: quia olim volo loqui inde tecum. Videtur enim mihi, vel propter ipsam vicinitatem, posse nos per litteras de hac te colloqui sine aliquo tumultu, adjuvante Deo, quantum ipsa necessitas postulat.

EPISTOLA L¹.

Auctoribus ac principibus vel senioribus colonie Suffectanæ AUGUSTINUS episcopus.

Augustinus Suffectanis expostulans de LX Christianorum nece, pollicensque suam illis reddendum Herculem.

I. IMMANITATIS vestræ famosissimum scelus, et inopinata crudelitas terram concutit, et percutit cœlum, ut in plateis ac delubris vestris eluceat sanguis, et resonet homicidium. Apud vos Romanæ sepultæ sunt leges, iudiciorum rectorum calcatus est terror. Imperatorum certe nulla veneratio nec timor. Apud vos LX numero fratrum

¹ Alias cclxv. quæ autem l. erat, nunc clxxxv. — Scripta forte anno 399.

innocens effusus est sanguis¹, et si quis plures occidit, functus est laudibus, et in vestram curiam tenuit principatum. Age nunc, principalem veniamus ad causam. Si Herculem vestrum dixeritis, porro reddemus: adsunt metalla, saxa nec desunt, accedunt marmorum genera, suppetit artificum copia. Cæterum Deus vester cum diligentia sculpirur, tornatur et ornatur. Addimus et rubricam quæ pingit ruborem, quo possint vota vestra sacra sonare. Nam si vestrum Herculem dixeritis, collatis singulis nummis ab artifice vestro vobis emimus deum. Reddite igitur animas, quas manus vestra contorsit; et sicuti a nobis vester Hercules redhibetur, sic etiam a vobis tantorum animæ reddantur.

EPISTOLA LI².

Augustinus Crispinum Calamensem Donatianæ partis episcopum urget propositis breviter aliquot argumentis, ad ea si potest respondeat per litteras.

I. QUIA humilitatem nostram vestri reprehendunt; ideo sic epistolam prænotavi³; quod in tuam contumeliam fecisse videar, si non ita mihi abs te ut rescribatur expecto. De Carthaginensi promissione tua vel nostra instantia, quid multa commemorem? Quomodolibet ea gesserimus, transierint, ne quod restat impediunt. Nunc excusatio,

¹ Horum Martyrum celebratur memoria in Martyrolog. Rom. ad diem xxx Augusti, his verbis: « Colonia Suffectanæ in Africa, beatorum Martyrum, qui » furore gentilium cæsi sunt, » anno 399. — ² Alias clxxii. quæ autem li erat, nunc cclxiv. — Scripta anno 399 aut 400. — ³ De Crispino quaedam in Epist. cv, et in lib. iii contra Crescon. cap. 46 et seqq., necnon apud Possid. cap. 12.

nisi fallor, nulla est adjuvante Domino; ambo in Numidia sumus, et nobis loco terrarum invicem propinquamus. Rumor ad me detulit, adhuc te velle mecum disputando experiri de quaestione, quæ nostram dirimit communionem. Vide quam breviter omnes offerantur ambages, ad hanc epistolam responde, si placet, et fortasse sufficet, non solum nobis, sed et eis, qui nos audire desiderant; aut si non sufficet, scripta atque rescripta, donec sufficiant, repetantur. Quid enim nobis commodius poterit exhibere urbium, quas incolimus, tanta vicinitas? Ego enim statui nihil de hac re agere vobiscum, nisi per litteras, vel ne cui nostrum de memoria, quod dicitur elabatur, vel ne fraudentur talium studiosi, qui forte interesse non possunt. Soletis de præteritis rebus gestis, quæ vultis, falsa jactare, forte non mentiendi studio, sed errore. Proinde, si placet, de præsentibus illa metiamur. Procul dubio te non fugit prioris populi temporibus et idololatriæ sacrilegium fuisse commissum, et a rege contemptore librum propheticum incensum, quo utroque crimine schismatis malum non puniretur atrocius, nisi gravius penderetur. Profecto enim recordaris quemadmodum schismatis auctores vivos dehiscens terra sorbuerit, et eos qui consenserant, cælo irruens ignis absumpserit. Sic nec fabricatum et adoratum idolum, nec sacer liber exustus meruit vindicari.

II. Cur ergo qui soletis nobis objicere, non solum in nostris non probata, sed potius in vestris probata crimina eorum, qui formidine persecutionis impulsu dominicos libros concremandos ignibus tradiderunt; vos eos quos pro scelere schismatis, « plenarii concilii vestri veridico (39), sicut ibi scriptum est, ore damnastis, » in eodem ipso episcopatu recepistis, in quo damnastis, Felicianum dico Mustitanum, et Prætextatum Assurita-

num. Neque enim, sicut ignorantibus dicitis, ex eo numero fuerunt isti, quibus vestrum concilium diem prorogaverat et præfixerat, intra quem nisi ad vestram communionem remeavissent, eadem sententia tenerentur: sed de illo numero isti fuerunt, quos eo die sine dilatione damnastis, quo illis dilationem dedistis. Probabo, si negaveris. Concilium vestrum loquitur: proconsularia Gesta habemus in manibus, quibus id non semel allegastis. Aliam ergo defensionem para, si potes, ne dum negas quod convincam, moras faciamus. Felicianus igitur et Prætextatus si innocentes erant, quare sic damnati sunt? Si scelerati, quare sic recepti sunt? Si probaveris innocentes, cur non credamus a multo paucioribus majoribus vestris falso crimine traditionis innocentes potuisse damnari, si a trecentis decem successoribus eorum, ubi etiam, pro magno scriptum est, « plenarii concilii ore veridico, » in falso crimine schismatis innocentes damnari potuerunt? Si autem probaveris recte fuisse damnatos, quæ restat defensio, cur in eodem episcopatu recepti sint, nisi ut exaggerans utilitatem salubritatemque pacis, ostendas etiam ista pro unitatis vinculo toleranda? Quod utinam non oris, sed cordis viribus ageres, profecto perspiceres, quam nullis calumniis per orbem terrarum esset violanda pax Christi, si licet in Africa etiam in sacrilego schismate damnatos, in eodem ipso episcopatu recipi pro pace Donati.

III. Item soletis nobis objicere quod vos per potestates terrenas persequamur. Qua in re non disputo, vel quid vos pro immanitate tanti sacrilegii mereamini, vel quantum nos Christiana temperet mansuetudo: illud dico, si hoc crimen est, cur eosdem Maximianistas per iudices ab eis Imperatoribus missos, quos per Evangelium genuit nostra communitio, graviter insectati, de basilicis quas te-

nebant, in quibus eos invenit ipsa conscissio, et controversiarum strepitu et jussionum potentatu et auxiliorum impetu perturbastis? In qua conflictatione quæ passi sint per loca singula, recentia rerum vestigia contestantur; quæ jussa sint chartæ indicant, quæ facta sint terræ clamant; in quibus etiam Optati¹ illius tribuni vestri sancta memoria prædicatur.

IV. Item dicere soletis quod nos Christi baptismum non habeamus, et præter vestram communionem nusquam sit. Possem hinc uberius aliquanto disserere. Sed contra vos jam nihil opus est, qui cum Feliciano et Prætextato etiam Maximianistarum baptismum recepistis. Quotquot enim baptizaverunt quando Maximiano communicabant, cum etiam ipsos nominatim, id est, Felicianum et Prætextatum de basilicis eorum, sicut gesta testantur, diuturno conflictu judiciorum expellere conaremini; quotquot ergo eo tempore baptizaverunt, nunc secum et vobiscum habent, non solum per ægritudinum pericula, sed etiam per solemnitates Paschales in tot ecclesiis ad suas civitates pertinentibus, et in ipsis tam magnis civitatibus foris in scelere schismatis baptizatos, quorum nulli baptisma repetitum est. Atque utinam probare possetis, eos quos foris in scelere schismatis Felicianus et Prætextatus tanquam inaniter baptizaverant, ab eis receptis intus quasi utiliter denuo baptizatos. Si enim rursus baptizandi erant isti, rursus ordinandi erant illi. Amiserant enim episcopatum recedentes a vobis, si extra communionem vestram baptizare non poterant. Nam si discedentes episcopatum non amiserant, baptizare utique poterant. Si autem amiserant, ergo ut eis quod amiserant, redderetur, redeuntes ordinari debebant. Sed noli timere, sicut certum est cum eodem

¹ Thamugadensis episcopi e Donatistarum schismate insignis vastatoris Africæ.

illos episcopatu cum quo exierant remeasse, ita certum est omnes quos in Maximiani schismate baptizaverunt, sine ulla baptismi repetitione secum vestræ communioni reconciliasse.

V. Quibus igitur sufficimus lacrymis plangere recipi baptismum Maximianistarum, et exufflari baptismum orbis terrarum? Sive auditos sive inauditos, sive juste sive injuste damnastis Felicianum, damnastis Prætextatum; dic mihi, quem Corinthiorum episcopum audivit, aut damnavit aliquis vestrum? quem Galatarum, quem Ephesiorum, quem Colossensium, Philippensium, Thessalonicensium, cæterarumque omnium civitatum, de quibus dictum est: « Adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium¹? » Ergo istorum baptismus acceptatur, et illorum exufflatur, qui nec istorum est nec illorum, sed illius de quo dictum est: « Hic est qui baptizat². » Sed non hinc ago, ad illa quæ præsto sunt, adverte, ea quæ oculos etiam cæcos feriunt, intuere: damnati habent baptismum; et inauditi non habent? Nominatim in scelere schismatis expressi et ejecti habent; et ignoti, longe peregrini, nunquam accusati, nunquam judicati non habent? Qui de præcisa parte Africæ rursus præcisi sunt, habent; te unde ipsum Evangelium in Africam venit non habent? Quid pluribus onero? ad ista responde. Attende sacrilegium schismatis vestro concilio Maximianistis exaggeratum; attende persecutiones per judicarias potestates, quas eis irrogastis; attende baptismum eorum, quem cum eis quos damnastis recepistis; et responde, si potes, utrum habeatis aliquid unde injiciatis nebulas imperitis; cur ab orbe terrarum longe majore scelere schismatis separemini, quam quod in Maximianistis vos damnasse gloriamini? Pax Christi vincat in corde tuo.

¹ Psal. xxi, 28. — ² Joan. i, 33.

EPISTOLA LII¹.

Domino multum desiderabili et valde charissimo fratri SEVERINO
AUGUSTINUS.

*Augustinus Severino consanguineo suo Donatistæ,
ut deserat schisma scelestum et impudens.*

I. LITTERAS fraternitatis tuæ etsi valde sero, etsi præter quod speraveram tamen lætus accepi, maximeque ampliori gaudio perfusus sum, cum cognovissem hominem vestrum hac ipsa sola causa venisse Hypponem, ut ad me litteras tuæ fraternitatis afferret. Cogitavi enim non sine causa hoc exortum esse in animo tuo ut recoleres consanguinitatem nostram; nisi quia fortasse perspicias, sicut novi non leve pondus prudentiæ tuæ, quam sit dolendum, ut qui secundum carnem fratres sumus, in Christi corpore non una societate vivamus, præsertim quia facile tibi est attendere et videre civitatem super montem constitutam, de qua Dominus ait in Evangelio, quod abscondi non possit². Ipsa est enim Ecclesia catholica; unde *καθολικὴ* græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; ideo secundum verbum Domini nostri Jesu Christi, abscondi non potest.

II. Pars autem Donati in solis Afris calumniatur orbi terrarum, et non considerat ea sterilitate, qua fructus pacis et charitatis noluit afferre, ab illa radice Orientalium ecclesiarum se esse præcisam, unde Evangelium in Afri-

¹ Alias CLXX. quæ autem LII erat, nunc CLV. — Scripta forte circa idem tempus. — ² Matth. v, 14.

eam venit; unde terra si eis afferatur, adorant; fidelis autem si inde veniat, exsufflant et rebaptizant. Hoc enim etiam prædixit Filius Dei qui veritas est, se esse vitem, suos autem filios esse sarmenta, et Patrem suum agricolam. « Sarmentum, inquit, quod in me non dat fructum, Pater meus tollet illud: sarmentum autem quod in me dat fructum, purgat illud ut majorem fructum afferat¹. » Non ergo mirum est, si de illa vite, quæ crevit, et omnes terras implevit, præcisi sunt illi, qui fructum charitatis afferre noluerunt.

III. Qui si vera crimina objecissent collegis suis, majores eorum quando schisma fecerunt, ipsi obtinuissent causam suam apud ecclesiam transmarinam, unde ad istas partes Christianæ fidei manavit auctoritas, ut illi essent foris, quibus eadem crimina objiciebant. Nunc autem cum illi inveniantur intus communicare Ecclesiis apostolicis, quarum nomina in libris sanctis habent et recitant, isti autem foris positi et ab illa communione separati sint, quis non intelligat eos habuisse causam bonam, qui eam apud medios judices obtinere potuerunt? Aut si causam bonam habebant et eam transmarinis ecclesiis probare non potuerunt, quid illos læsit orbis terrarum, ubi episcopi collegas suos, qui apud eos objectis criminibus convicti non erant, temere damnare non possent? Itaque innocentes rebaptizantur, et Christus in innocentibus exsufflatur. Si autem idem Donatistæ Afrorum collegarum suorum vera crimina noverant, et neglexerunt ea demonstrare et probare transmarinis ecclesiis, ipsi se ab unitate Christi sceleratissimo schismate præciderunt, non habent quod excusent, et vos nostis; maxime quia tam multi scelerati apud eos emergerunt, et toleraverunt illos per tot annos, ne partem Donati conscinderent, et non dubi-

¹ Joan. xv, 2.

taverunt illo tempore falsas suspiciones suas objicientes, pacem Christi unitatemque disrumpere, et vos videtis.

IV. Sed nescio quæ carnalis consuetudo, frater Severine, ibi vos tenet; et olim doleo, olim gemo, maxime prudentiam tuam cogitans, et olim te videre desidero, ut de hac re tecum loquerer. Quid enim prodest vel salus vel consanguinitas temporalis, si æternam Christi hæreditatem salutemque perpetuam in nostra cognatione contemnimus? Hæc me interim scripsisse suffecerit, quæ duris cordibus valde pauca sunt, et prope nulla; animo autem tuo, quem bene novi, valde multa sunt et valde magna. Non enim mea sunt qui nihil sum, nisi quod expecto misericordiam Dei, sed ipsius Dei omnipotentis, quem quisquis in hoc sæculo contempserit patrem, inveniet in futuro iudicem.

EPISTOLA LIII¹.

Dilectissimo et honorabili fratri GENEROSO, FORTUNATUS, ALYPIUS
et AUGUSTINUS in Domino salutem.

*Confutatur epistola Presbyteri cujusdam Donatista
qui Generosum catholicum Constantinensem se-
ducere moliebatur, simulans ab Angelo se moni-
tum ut ipsum ad Donatistarum partes adduceret.*

I. QUONIAM nobis notam esse voluisti epistolam, quam ad te Donatistarum presbyter dedit, quanquam eam tu quoque catholico animo deriseris: tamen ut ei potius si

¹ Alias CLXV. quæ autem LIII erat, nunc CLII. — Scripta circa annum 400.

non desperate desipit, consulas, hæc ad eum rescripta petimus perferas. Ille enim ordinem Christianitatis civitatis vestræ tibi ut insinuaret, jussisse sibi Angelum scripsit, cum tu teneas Christianitatem, non civitatis tuæ tantum, nec tantum Africæ vel Afrorum, sed totius orbis terræ, quæ annuntiata est et annuntiatur omnibus gentibus. Unde illis parum est, quod præcisos esse non pudet, nec sibi subveniunt, ut cum possunt, redeant ad radicem, nisi etiam secum alios præcidere, et sicut ligna arida in ignem destinare conentur. Quapropter si tibi ipsi Angelus astitisset, quem sibi ille propter te astitisse, quantum arbitramur, astuta vanitate confingit, et hæc ipsa tibi dixisset, quæ iste mandato illius tibi se insinuare dicit, oporteret te apostolicæ sententiæ memorem fieri, qui ait: « Licet si nos, aut Angelus de cælo vobis evangelizaverit, » præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit ¹. » Evangelizatum est enim tibi per vocem ipsius Domini Jesu Christi, quod omnibus gentibus annuntiabitur Evangelium ejus, et tunc finis erit ². Evangelizatum tibi est per propheticas et apostolicas litteras, quod Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus quod est Christus ³, cum ei diceret Deus; « In semini tuo benedicentur omnes » gentes ⁴. » Has ergo promissiones tenenti, si tibi Angelus de cælo diceret: Dimitte Christianitatem orbis terræ, et tene partis Donati, cujus ordo tibi exponitur in epistola episcopi tuæ civitatis, anathema esse deberet: quia te a toto præcidere, et in partem contrudere conaretur, et alienare a promissis Dei.

II. Si enim ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait. « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam

¹ Gal. I, 8. — ² Matth. xxiv, 14. — ³ Gal. III, 16. — ⁴ Gen. XII, 3. —
CXLV. 31

» meam, et portæ inferorum non vincunt eam ¹. » Petro enim successit Linus; Lino, Clemens (40); Clementi, Anacleto; Anacleto, Evaristus; Evaristo, Alexander; Alexandro, Sixtus; Sixto, Thelesphorus; Thelephoro, Iginus; Iginus, Anicetus; Aniceto, Pius; Pio, Soter; Soteri, Eleutherius; Eleutherio, Victor; Victori, Zephirinus; Zephirino, Calixtus; Calixto, Urbanus; Urbano, Pontianus; Pontiano, Antherus; Anthero, Fabianus; Fabiano, Cornelius; Cornelio, Lucius; Lucio, Stephanus; Stephano, Xystus; Xysto, Dionysius; Dionysio, Felix; Felici, Eutychianus; Eutychiano, Gaius; Gaio, Marcellinus; Marcellino, Marcellus; Marcello, Eusebius; Eusebio, Miltiades; Miltiadi, Sylvester; Sylvestro, Marcus; Marco, Julius; Julio, Liberius; Liberio, Damasus; Damaso, Siricius; Siricio, Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis præsidens Afris in urbe Roma Montenzium vel Cutzupitarum (41) vocabulum propagavit.

III. In illum autem ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasiam, qui nunc eandem cathedram sedet etiam si quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ et innocentibus Christianis: quibus Dominus providens, ait de præpositis malis? « Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, » facere nolite: dicunt enim et non faciunt ². » Ut certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur: sicut isti dissipati sunt, qui legunt in codicibus sanctis ecclesias quibus Apostoli scripserunt, et nullum in eis habent episcopum. Quid autem perversius et insanius, quam lectoribus easdem epistolas legentibus dicere, Pax

¹ Matth. xvi, 18. — ² Id. xxiii, 3.

tecum: et ab earum ecclesiarum pace separari, quibus ipsæ epistolæ scriptæ sunt?

IV. Tamen ne sibi etiam de Constantinensi, hoc est, civitatis vestræ episcoporum ordine blandiatur, recita illi Gesta apud Munatium Felicem, Flaminem perpetuum curatorem tunc ejusdem civitatis vestræ, Diocletiano octavum, et Maximiano septimum consulibus, undecimo Kalendarum Junias, quibus liquido constitit, ita Paulum episcopum tradidisse, ut Sylvanus tunc ejus subdiaconus fuerit, et cum illo tradiderit proferens instrumenta Dominica, etiam quæ diligenter fuerant occultata, capitulatam argenteam, et lucernam argenteam, ita ut ei diceret Victor quidam: Mortuus fueras, si non illas invenisses. Hunc istum Sylvanum, manifestissimum traditorem, pro magno commemorat in epistola, quam tibi scribit, a Secundo Tigisitano primæ sedis episcopo episcopum tunc ordinatum. Quiescat ergo superba eorum lingua, et cognoscat crimina sua, ne delirans loquatur aliena. Recita illi etiam, si voluerit, Gesta ecclesiastica ejusdem Secundi Tigisitani in domo Urbani Donati habita, ubi confessos traditores judici Deo dimisit, Donatum Masculitanum, Marinum ab Aquis Tibilitanis, Donatum Calamensem, cum quibus confessis traditoribus memoratum traditorem Sylvanum eis ordinavit episcopum. Recita illi Gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam diaconus iratus Sylvano, quod ab eo fuerit excommunicatus, hæc omnia iudicis prodidit, quæ certis documentis et responsionibus testium, et recitatione Gestorum, et multarum epistolarum, luce clarius constiterunt.

V. Multa sunt alia quæ illi recites, si non contentiose agere, sed prudenter audire voluerit: preces Donatarum ad Constantinum, ut propter ipsam causam inter Afros episcopos dirimendam iudices ex Gallia episcopos mitte-

ret. Litteras etiam ejusdem Imperatoris; ubi episcopos misit ad urbem Romam. Gesta quoque in urbe Roma, ubi ab episcopis quos ille miserat, causa cognita atque discussa est. Itemque alias litteras, ubi declarat memoratus Imperator eos apud se de collegarum suorum judicio, id est, episcoporum, quos ad urbem Romam miserat, fuisse conquestos: ubi etiam alios episcopos voluit apud Arelatum judicare: ubi isti et ab ipsorum judicio ad eundem Imperatorem appellaverunt: ubi postremo causam inter partes ipse cognovit: ubi eos vehementissime detestatur innocentia Cæciliani fuisse separatos. Quæ si voluerit, audiet, et tacebit, et desinet insidiari veritati.

VI. Quanquam nos non tam de istis documentis præsumamus, quam de Scripturis sanctis, ubi hæreditas Christi usque ad terminos terræ promissa est in omnibus gentibus; unde isti nefario schismate separati, jactant crimina in palæam, messis Dominicæ; quæ necesse est usque ad finem permixta toleretur, donec ultimo judicio tota area ventiletur. Unde manifestum est ista crimina seu vera seu falsa non pertinere ad frumenta Dominica, quæ per totum agrum, id est, istam mundum, usque in finem sæculi oportet crescere, sicut non falsus Angelus in hujus errore, sed Dominus in Evangelio loquitur¹. Ideoque in Christianos innocentes, qui per totum orbem malis christianis tanquam palææ suæ vel zizaniis permixti sunt, multa falsa crimina, et vana jactantibus his miseris Donatistis merito Deus reddidit, ut Maximianistas apud Carthaginem schismaticos suos Primiani damnatores, extra Primianum baptizatores, post Primianum rebaptizatores universali concilio suo damnarent: ut ex eorum numero post non parvum tempus quosdam in honoribus episcopatus sui, Felicianum Mustitanum et Prætextatum Assuritanum cogente

¹ Matth. xiii, 30.

Optato Gildoniano susciperent (42), cum omnibus, quos damnati extra baptizaverant. Quod si ab eis, quos ore proprio tanquam sceleratos, et sacrilegos damnaverunt, et quos illis primis schismaticis, quos vivos terra obruit, compararunt, non maculantur, cum eis rursus in honore suo receptis communicant: evigilent aliquando, cogitent quanta cæcitate et quanta insania dicant, orbem terrarum ignotis Afrorum criminibus esse maculatum, et hæreditatem Christi, quæ promissa exhibita est in omnibus gentibus, peccatis Afrorum per contagionem communicationis fuisse deletam: quando se nolunt deletos et maculatos videri, dum eis communicant, quorum crimina cognita judicarunt.

VII. Quapropter cum Paulus apostolus iterum dicat, quia ipse Satanas transfiguratur se in angelum lucis¹: unde non esse mirum, si ministri ejus transfigurant se sicut ministros justitiæ: si vere iste aliquem angelum vidit erroris nuntium, et de unitate catholica Christianos separare cupientem, ipse passus est angelum Satanæ transfigurantem se velut angelum lucis. Si autem mentitur, et nihil tale vidit, ipse est minister Satanæ, transfigurans se velut ministrum justitiæ. Et tamen ista omnia considerans, si nimium perversus et pertinax esse noluerit, poterit ab omni vel aliena vel sua deductione liberari. Nos enim per occasionem tuam sine aliquo odio convenimus, hoc circa eum servantes quod Apostolus dicit; « Servum autem Domini litigare non oportet: sed mitem esse ad omnes, » docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa » sentientes; ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis, » captivati ab ipso in ipsius voluntatem². » Si ergo aliquid aspere diximus, non ad amaritudinem dissensionis,

¹ 2 Cor. xi, 14. — ² 2 Tim. ii, 24.

sed ad correctionem dilectionis valere cognoscat. Incolamis vivas in Christo dilectissime et honorabilis frater.

DE DUABUS EPISTOLIS

PROXIME SEQUENTIBUS.

LIBRI II RETRACTATIONUM,

CAPUT XX.

LIBRI duo, quorum est titulus, *Ad Inquisitiones Januarii*, multa de sacramentis continent disputata, sive quæ universaliter, sive quæ partiliter, id est, non peræque in omnibus locis observat Ecclesia, nec tamen commemorari omnia potuerunt, sed satis ad inquisita responsum est: quorum librorum prior, epistola est, habet quippe in capite quis ad quem scribat, sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequens qui nomina nostra non habet, multo est prolixior, et in eo multo plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi *quia unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat*, non mihi occurrit unde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ¹, quem Judæi non recipiunt in auctoritatem canonicam, quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversus Deum murmuratoribus, qui profecto alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Hoc opus sic incipit: *Ad ea quæ me interrogasti.*

¹ Sap. xvi, 10.

AD INQUISITIONES JANUARI

LIBER I,

SEU

EPISTOLA LIV¹.

Dilectissimo filio JANUARIO AUGUSTINUS in Domino salutem.

Augustinus Januario respondet, docens quid agendum sit in iis, in quibus regionum aut ecclesiarum consuetudines variant, et in quibus consentiunt; puta de sacramentis, festis diebus, jejunio et Eucharistia.

I. AD ea quæ me interrogasti, mallet prius nosse quid interrogatus ipse responderes: ita enim vel approbando vel emendando responsiones tuas multo brevius possem respondere, et te facillime aut confirmare, aut corrigere. Hoc quidem, ut dixi, mallet. Sed tamen ut nunc responderem, malui longiorem facere sermonem, quam dilationem. Primo itaque tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi²: unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et san-

¹ Alias cxxviii. quæ autem liv erat, nunc ctm. — Scripta circa annum 400. — ² Matth. xi, 30.

sed ad correctionem dilectionis valere cognoscat. Incolamis vivas in Christo dilectissime et honorabilis frater.

DE DUABUS EPISTOLIS

PROXIME SEQUENTIBUS.

LIBRI II RETRACTATIONUM,

CAPUT XX.

LIBRI duo, quorum est titulus, *Ad Inquisitiones Januarii*, multa de sacramentis continent disputata, sive quæ universaliter, sive quæ partiliter, id est, non peræque in omnibus locis observat Ecclesia, nec tamen commemorari omnia potuerunt, sed satis ad inquisita responsum est: quorum librorum prior, epistola est, habet quippe in capite quis ad quem scribat, sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequens qui nomina nostra non habet, multo est prolixior, et in eo multo plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi *quia unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat*, non mihi occurrit unde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ¹, quem Judæi non recipiunt in auctoritatem canonicam, quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversus Deum murmuratoribus, qui profecto alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Hoc opus sic incipit: *Ad ea quæ me interrogasti.*

¹ Sap. xvi, 10.

AD INQUISITIONES JANUARI

LIBER I,

SEU

EPISTOLA LIV¹.

Dilectissimo filio JANUARIO AUGUSTINUS in Domino salutem.

Augustinus Januario respondet, docens quid agendum sit in iis, in quibus regionum aut ecclesiarum consuetudines variant, et in quibus consentiunt; puta de sacramentis, festis diebus, jejunio et Eucharistia.

I. AD ea quæ me interrogasti, mallet prius nosse quid interrogatus ipse responderes: ita enim vel approbando vel emendando responsiones tuas multo brevius possem respondere, et te facillime aut confirmare, aut corrigere. Hoc quidem, ut dixi, mallet. Sed tamen ut nunc responderem, malui longiorem facere sermonem, quam dilationem. Primo itaque tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi²: unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et san-

¹ Alias cxxviii. quæ autem liv erat, nunc ctm. — Scripta circa annum 400. — ² Matth. xi, 30.

guinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur, exceptis iis quæ servitute[m] populi veteris pro congruentia cordis illorum et prophetici temporis onerabant, quæ et in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quacumque se diffundit Ecclesia.

II. Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunt sabbato, alii non: alii quotidie communicant corpori et sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et Dominico, alibi tantum Dominico: et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam ad quem forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est.

III. Credo te aliquando ex me audisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit ecclesiam sabbato non jejunantem, cœperat perturbari et fluctuare quid ageret: cum ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: respondit mihi nihil se docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque ego putassem nulla red-

dita ratione auctoritate sola sua nos voluisse admonere ne sabbato jejunarem, subsecutus est, et ait mihi: « Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. » Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego vero de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo acceperim. Sensi enim sæpe dolens et gemens multas infirmorum perturbaciones fieri, per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel supersticiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum possunt terminum pervenire (tantum quia subest qualiscumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam quo remotiorem a suis, eo doctiorem factam putat) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

IV. Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam: quæsieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum sacramentum dignus accedat. « Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit¹. » Alius contra: Imo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæte-

¹ 1 Cor. xi, 29.

rum peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet ut præcipue in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum, Neuter enim eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, sed saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus et ille Centurio¹, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit; « Non sum dignus ut intres sub tectum meum²: » ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat³, sic uniuscujusque in corde Christiani sacramentum illud, quod subjugatus est mundus. Nam et ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium. Inde enim et Apostolus indigne dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant a cæteris cibus veneratione singulariter debita. Continuo quippe cum dixisset: « Judicium sibi manducet et bibit; » addidit ut diceret, « non dijudicans corpus Domini⁴: » quod satis toto ipso loco in Epistola ad Corinthios prima, si diligenter attendatur, apparet.

V. Sit aliquis peregrinus in eo forte loco, ubi perseverantes in observatione Quadragesimæ, nec quinta sabbati lavant, relaxantve jejunium: Non, inquit, hodie jejunabo. Quæritur causa: Quia non fit, inquit, in patria mea. Quid

¹ Luc. xix, 6. — ² Matth. viii, 8. — ³ Vide Retract. lib. ii, cap. 20. — ⁴ 1 Cor. xi, 29.

aliud ille, nisi consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur? Non enim mihi de libro Dei hoc recitaturus est, aut universæ quacumque dilatatur Ecclesiæ plena voce certabit, aut ostendet istum contra fidem facere, se autem secundum fidem, moresque hinc optimos aut illum violare, aut se custodire convincet. Violant sane quietem et pacem suam de superflua quæstione rixando. Mallem tamen in rebus hujusmundi, ut et ille in hujus et hic in illius patria ab eo quod cæteri faciunt non abhorreret. Si vero etiam in aliena patria cum peregrinaretur, ubi major et frequentior et ferventior est populus Dei, vidit, verbi gratia, bis offerri quinta sabbati hebdomadæ ultimæ quadragesimæ, et mane et ad vesperam; veniensque in patriam suam, ubi in fine diei mos est offerri male atque illicite fieri contendat, quoniam alibi aliter ipse viderit, puerilis est iste sensus, cavendus in nobis, tolerandus in aliis, corrigendus in nostris.

VI. Prima ergo inquisitio tua, quam in commonitorio posuisti, ex quo trium istorum generum sit, attende. Quæris enim his verbis, « quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat, an offerendum sit mane, et rursus post cœnam, propter illud quod dictum est, « Similiter postquam cœnatum est: » an jejunandum, et post cœnam tantummodo offerendum: an etiam jejunandum, et post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum. » Ad hæc itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam et hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniam est. Sed neque hoc, neque illud inest in eo, quod tu quæ-

ris. Restat igitur ut de illo tertio generesit, quod per loca regionesque variatur. Faciat ergo quisque quod in ea ecclesia in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.

VII. Nec ideo putari debet institutum esse multis locis, ut illo die post refectionem offeratur, quia scriptum est: « Identidem et calicem post cœnam dicens, » etc. Ipsam enim potuit appellare cœnam, qua jam corpus acceperant, ut deinde calicem acciperent. Apostolus namque alibi dicit: « Convenientibus ergo vobis in unum, non est Dominicam » cœnam manducare¹, » hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam cœnam vocans. Illud magis movere potuit homines, utrum jam refecti die illa vel offerrent vel sumerent Eucharistiam, quod in Evangelio dicitur: « Cum » autem illi manducarent, accepit Jesus panem et benedixit; » cum etiam superius dixisset; « Cum sero autem » factum esset, recumbebat cum duodecim, et manducantibus eis dixit, Quoniam unus ex vobis tradet me². » Postea enim tradidit sacramentum. Et liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos acceperisse jejunos.

VIII. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi: nam ideo per universum orbem iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus,

¹ 1 Cor. xi, 20. et Beda vulgatus in eandem epistolam — ² Matth. xx, 20 et 26.

propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur; ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens? « Propter quod, fratres, cum con- » venitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis » esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis, » statim subtexit: « Cætera autem cum venero, » ordinabo¹. » Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur.

IX. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quæ hora nona fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus: Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures et prope omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul et lavacra tolerare non possunt; ad vesperam vero propter jejunantes.

¹ 1 Cor. xi, 20 et 34.

X. Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus sit; nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem quadragesimæ sordidata, cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum, quo cœna Dominica anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc baptismum accepturis, multi cum his lavare voluerunt, jejuniumque relaxare. His ut potui disputatis, moneo ut ea quæ prælocutus sum serves quantum potes, ut decet Ecclesiæ prudentem ac pacificum filium. Alia quæ interrogasti, si Dominus voluerit, alio tempore expediam.

AD INQUISITIONES JANUARI

LIBER II,

SEU

EPISTOLA LV¹.

De ritibus Ecclesiæ, vel iis quos negligi nefas est, vel iis qui tollendi sunt, si citra majus incommodum liceat.

I. LECTIS litteris tuis, ubi me commonuisti ut debitum redderem de residuis enodandis quæstionibus, quas jam longe ante quæsiveras, gratissimum mihi atque charissimum desiderium studii tui amplius differri, tolerare non

¹ Alias cxix. quæ autem lv erat, nunc cxvii. — Scripta aliquanto post superior. Epist.

potui, et quamvis in mediis acervis occupationum mearum, hanc feci præcipuam, ut ad ea quæ interrogasti responderem tibi. Diutius autem de tua epistola disputare nolo, ne hoc ipsum me impediat jam tandem reddere quod debeo.

II. Quæris quæ causa sit, « cur anniversarius dies celebrandæ Dominicæ passionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut dies qua traditur natus. » Et deinde subjungis, « si hoc fit propter sabbatum et lunam, quid sibi velit in hac re observatio sabbati et lunæ. » Hic primum oportet noveris diem Natalem Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari quod natus sit ac per hoc nihil opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta est, festa devotione signari. Sacramentum est autem in aliqua celebratione, cum rei gestæ commemoratio ita fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod sancte accipiendum est. Eo itaque modo agimus Pascha, ut non solum in memoriam quod gestum est revocemus, id est quod mortuus est Christus et resurrexit, sed etiam cætera quæ circa ea attestantur ad sacramenti significationem non omittamus. Quia enim, sicut dicit Apostolus: « Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram¹: » transitus quidam de morte ad vitam in illa passione Domini et resurrectione sacratus est. Nam etiam vocabulum ipsum quod « Pascha » dicitur, non græcum, sicut vulgo videri solet (43), sed hebræum esse dicitur, qui linguam utramque noverunt. Neque enim a passione, quoniam græce πάσχειν dicitur pati, sed ab eo quod transitur, ut dixi, de morte ad vitam, hebræo verbo res appellata est: in quo eloquio Pascha transitus dicitur, sicut perhibent qui hoc sciunt. Quod voluit et ipse Dominus tangere cum dicit: « Qui credit in me, transiet de morte ad vitam². » Et maxime idem Evangelista hoc ex-

¹ Rom. v, 24. — ² Joan. v, 24.

X. Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus sit; nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem quadragesimæ sordidata, cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum, quo cœna Dominica anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc baptismum accepturis, multi cum his lavare voluerunt, jejuniumque relaxare. His ut potui disputatis, moneo ut ea quæ prælocutus sum serves quantum potes, ut decet Ecclesiæ prudentem ac pacificum filium. Alia quæ interrogasti, si Dominus voluerit, alio tempore expediam.

AD INQUISITIONES JANUARI

LIBER II,

SEU

EPISTOLA LV¹.

De ritibus Ecclesiæ, vel iis quos negligi nefas est, vel iis qui tollendi sunt, si citra majus incommodum liceat.

I. LECTIS litteris tuis, ubi me commonuisti ut debitum redderem de residuis enodandis quæstionibus, quas jam longe ante quæsiveras, gratissimum mihi atque charissimum desiderium studii tui amplius differri, tolerare non

¹ Alias cxix. quæ autem lv erat, nunc cxvii. — Scripta aliquanto post superior. Epist.

potui, et quamvis in mediis acervis occupationum mearum, hanc feci præcipuam, ut ad ea quæ interrogasti responderem tibi. Diutius autem de tua epistola disputare nolo, ne hoc ipsum me impediat jam tandem reddere quod debeo.

II. Quæris quæ causa sit, « cur anniversarius dies celebrandæ Dominicæ passionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut dies qua traditur natus. » Et deinde subjungis, « si hoc fit propter sabbatum et lunam, quid sibi velit in hac re observatio sabbati et lunæ. » Hic primum oportet noveris diem Natalem Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari quod natus sit ac per hoc nihil opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta est, festa devotione signari. Sacramentum est autem in aliqua celebratione, cum rei gestæ commemoratio ita fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod sancte accipiendum est. Eo itaque modo agimus Pascha, ut non solum in memoriam quod gestum est revocemus, id est quod mortuus est Christus et resurrexit, sed etiam cætera quæ circa ea attestantur ad sacramenti significationem non omittamus. Quia enim, sicut dicit Apostolus: « Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram¹: » transitus quidam de morte ad vitam in illa passione Domini et resurrectione sacratus est. Nam etiam vocabulum ipsum quod « Pascha » dicitur, non græcum, sicut vulgo videri solet (43), sed hebræum esse dicitur, qui linguam utramque noverunt. Neque enim a passione, quoniam græce πάσχειν dicitur pati, sed ab eo quod transitur, ut dixi, de morte ad vitam, hebræo verbo res appellata est: in quo eloquio Pascha transitus dicitur, sicut perhibent qui hoc sciunt. Quod voluit et ipse Dominus tangere cum dicit: « Qui credit in me, transiet de morte ad vitam². » Et maxime idem Evangelista hoc ex-

¹ Rom. v, 24. — ² Joan. v, 24.

primere voluisse intelligitur, cum de celebraturo Domino Pascha cum Discipulis suis, ubi cœnam eis mysticam dedit: « Cum vidisset, inquit, Jesus quia venit ejus hora » ut transiret de mundo ad Patrem¹. » Transitus ergo de hac vita mortali in aliam vitam immortalem (hoc est enim de morte ad vitam) in passione et in resurrectione Domini commendatur.

III. Hic transitus a nobis modo agitur per fidem, quæ nobis est in remissionem peccatorum, in spem vitæ æternæ, diligentibus Deum et proximum; quia « fides per dilectionem operatur²; et justus ex fide vivit³. Spes autem » quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid » sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus⁴: » secundum hanc fidem, et spem et dilectionem, qua cœpimus esse sub gratia⁵, jam commortui sumus cum Christo, et consepulti illi per baptismum in mortem, sicut dicit Apostolus: « Quia et vetus » homo noster simul crucifixus est cum illo⁶; » et resurreximus cum illo: « quia simul nos excitavit, et simul » sedere fecit in cœlestibus. » Unde est et illa exhortatio; « Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt » quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ » sursum sunt sapite, non quæ super terram⁷. » Sed quod sequitur et dicit: « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria⁸: » satis indicat quid velit intelligi; quia nunc transitus noster de morte ad vitam, qui fit per fidem, speragitur futuræ in fine resurrectionis et gloriæ, cum corruptibile hoc, id est, caro ista in qua gemimus modo, in-

¹ Joan. xii, 1. — ² Gal. v, 6. — ³ Ilabac. ii, 4. — ⁴ Rom. viii, 24. — ⁵ Beba vulgatus. Coloss. iii. — ⁶ Rom. vi, 6. — ⁷ Coloss. iii, 1. — ⁸ Ibid. 3.

duet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem¹. Nunc enim quidem jam habemus primitias Spiritus per fidem, sed adhuc in nobis ipsis ingemiscimus², adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri. « Spe » enim salvi facti sumus. » In hac spe cum sumus, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Sed vide quid sequitur: « Si autem » Spiritus ejus, inquit, qui suscitavit Jesum a mortuis » habitat in vobis: qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem » Spiritum ejus in vobis³. » Hoc igitur universa Ecclesia, quæ in peregrinatione mortalitatis inventa est, expectat in fine sæculi quod in Domini nostri Jesu Christi corpore præmonstratum est, qui est ex mortuis primogenitus, quia et corpus ejus cui caput est ipse, non nisi Ecclesia est.

IV. Nonnulli enim attendentes verba quæ assidue dicit Apostolus; quia et mortui sumus cum Christo, et resurreximus cum eo; nec intelligentes quatenus dicantur, arbitrati sunt jam factam esse resurrectionem, nec ullam ulterius in fine temporum esse sperandam. « Ex quibus est, » inquit, Hymenæus et Philetus, qui circa veritatem aberraverunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, et » fidem quorundam subverterunt⁴. » Idem Apostolus eos arguens detestatur, qui tamen dicit nos resurrexisse cum Christo. Unde, nisi quia hoc per fidem, et spem, et dilectionem factum esse dicit in nobis, secundum primitias Spiritus? Sed quia spes, quæ videtur, non est spes⁵, et ideo si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus; restat utique redemptio corporis nostri, quam expectantes in nobismetipsis ingemiscimus. Unde est et illud; « Spe gaudentes, in tribulatione patientes⁶. »

¹ 1 Cor. xv, 53. — ² Rom. viii, 23. — ³ Ibid. ii. — ⁴ 2 Tim. ii, 17. — ⁵ Rom. viii, 24. — ⁶ Id. xi, 12.

V. Hæc igitur innovatio vitæ nostræ est quidam transitus de morte ad vitam, qui primo fit per fidem, ut in spe gaudeamus, et in tribulatione patientes simus, dum adhuc exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Propter ipsum initium novæ vitæ, propter novum hominem quem jubemur induere, et exuere veterem¹; expurgantes vetus fermentum, ut simus nova conspersio, quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus: propter hanc ergo vitæ novitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus est. Nam et ipse dicitur « mensis novorum². » Quia vero in toto tempore sæculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub gratia, ubi jam manifestatio est sacramenti prius occulti in prophetico ænigmate. Hoc ergo et in lunari numero significatur; quia enim septenarius numerus solet in Scripturis ad quamdam perfectionem mysticus apparere, tertia hebdomada lunæ Pascha celebratur, qui dies occurrit a quarta-decima in vicesimam-primam.

VI. Est illie et aliud sacramentum, quod si tibi obscurum fuerit, quia in talibus inquisitionibus minus eruditus es, non contristeris: nec ideo me putes meliorem, quia hæc in studiis puerilibus didici. « Qui enim gloriatur, in » eo gloriatur, inquit, scire et intelligere, quoniam ego » sum Dominus³. » Nonnulli ergo studiosi talium rerum quæsiverunt multa de numeris et motibus siderum. Et qui subtilius ista scrutati sunt, incrementa et decrementa lunaria ex conversione globi ejus conjecerunt, non quod aliquid substantiæ vel accedat ei cum augetur, vel decedat eum minuitur, quod delira imperitia Manichæi opinantes, repleti eam dixerunt, sicut repletur navis, ex fugitiva

¹ 1 Cor. v, 7. — ² Exod. xiii, 23. — ³ Jerem. ix, 24.

Dei parte, quam commixtam principibus tenebrarum et eorum sordibus inquinatam corde atque ore sacrilego et credere et loqui non dubitant. Hinc ergo impleri lunam dicunt, cum eadem pars Dei magnis laboribus ab inquinamento purgata, de toto mundo atque omnibus cloacis fugiens, redditur Deo lugenti dum redeat: repleti vero per mensem dimidium, et alio dimidio in solem refundi, velut in aliam navem. Nec tamen inter istas anathematizandas blasphemias aliquid unquam fingere potuerunt, cur vel incipiens lucere, vel desinens corniculato lumine fulgeat, aut cur a dimidio mense incipiat minui, et non ad refundendum plena perveniat.

VII. Illi autem qui hæc certis numeris indagarunt, ita ut et defectus solis et lunæ non solum cur fierent, sed etiam quando futuri essent longe ante prædicerent, et eos determinatis intervallis temporum canonica supputatione præfigerent, litterisque mandarent, quas modo qui legunt atque intelligunt, nihilominus eos prædicunt, nec aliter aut alias accidunt quam prædicant. Tales ergo (quibus non est ignoscendum, sicut sancta Scriptura dicit; quia « cum tantum valerent ut possent æstimare sæculum, » Dominum ejus, » quem supplici pietate possent, « non » facilius invenerunt¹), ex ipsis cornibus lunæ quæ a solo aversa sunt, sive crescentis sive decrescentis, conjecerunt eam vel a sole illustrari, et quanto magis ab eo recederet, tanto magis ab ea parte quæ terris apporet, radios ejus excipere: quanto autem ad eum magis post dimidium mensem ex alio semicirculo propinquaret, tanto magis a superiori parte illustratam, ab ea parte quam terris adverteret non posse excipere radios, et propterea videri decrescere: vel si haberet suum lumen, id habere ex una parte in hemisphærio, quam partem cum recedens a sole

¹ Sap. xiii, 9

paulatim terris ostenderet, donec totam ostenderet, quasi augmenta monstrare, dum non addatur quod deerat, sed prodatur quod inerat; ac rursus paulatim abscondere quod patebat, et ideo videri decrescere. Sed quodlibet horum sit duorum, illud certe manifestum est, et cuius adventi facile cognitum, quod luna non augeatur ad oculos nostros, nisi a sole recedendo, neque minuatur, nisi ad solem ex parte alia propinquando.

VIII. Attende nunc quod in Proverbiis legitur; « Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur¹. » Et quis est sapiens qui permanet, nisi sol ille iustitiæ de quo dicitur: « Ortus est mihi sol iustitiæ: » et quem sibi non fuisse ortum in die novissima plangentes impij dicturi sunt; « Et iustitiæ lumen non luxit nobis, » et sol non ortus est nobis² (44). » Nam istum carnis oculis visibilem solem oriri facit super bonos et malos Deus, qui etiam pluit super justos et injustos. Ducuntur autem sæpe ex rebus visibilibus ad invisibilia congruæ similitudines. Quis est ergo ille stultus, qui tanquam luna mutatur, nisi Adam in quo omnes peccaverunt? Anima quippe humana recedens a sole iustitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires suas in externa convertit, et eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis: sed cum redire coeperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, omnisque lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad superiora convertitur, et a terrenis quodam modo aufertur, ut magis magisque huic sæculo moriatur, et vita ejus abscondatur cum Christo in Deo.

IX. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens,

¹ Eccii. xxvii, 12. — ² Sap. v, 6.

et in vita sua projiciens intima sua; et hoc terræ, id est, eis qui terrena sapiunt, melius videtur, cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur. Mutatur autem in melius, cum intentionem suam et gloriam a terrenis, quæ in hoc sæculo apparent, paulatim avertit, et ad superiora atque interiora convertit; et hoc terræ, id est, eis, qui terrena sapiunt, deterius videtur. Unde illi impij postremo infructuosam agentes poenitentiam, etiam hoc inter multa dicturi sunt, « Li sunt » quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem imperii: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam¹. » Ac per hoc Spiritus sanctus de visibilibus ad invisibilia, et de corporalibus ad spiritualia sacramenta similitudinem ducens, transitum illum de alia vita in aliam vitam, quod Pascha nominatur, a quarta-decima luna voluit observari, ut non solum propter tempus tertium, quod supra commemoravi, quia inde incipit hebdomada tertia; sed etiam propter ipsam conversionem ab exterioribus ad interiora, de luna similitudo assumeretur: usque ad vicesimam vero et primam, propter ipsum numerum septenarium, quo universitatis significatio sæpe figuratur, qui etiam ipsi Ecclesiæ tribuitur, propter instar universitatis.

X. Ideo Joannes apostolus in Apocalypsi ad septem scribit ecclesias. Ecclesia vero adhuc in ista mortalitate carnis constituta, propter ipsam mutabilitatem, lunæ nomine in Scripturis signatur. Unde est illud; « Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscura » luna rectos corde². » Prius enim quam fiat illud, quod dicit Apostolus: « Cum Christus appaerit vita vestra, » tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria³, » obscura videtur Ecclesia in tempore peregrinationis suæ, inter

¹ Sap. v, 3. — ² Psal. x, 3, juxta LXX. — ³ Coloss. iii, 4.

multas iniquitates gemens; et tunc sunt timendæ insidiæ fallacium seductorum, quas nomine sagittarum intelligi voluit. Unde alio loco propter nuntios fidelissimos veritatis, quos ubique parit Ecclesia, dicitur: « Luna testis » in cælo fidelis¹. » Et cum de regno Domini Psalmista cantaret; « Orietur, inquit, in diebus ejus justitia et » abundantia pacis, donec interficiatur luna²: » id est, abundantia pacis in tantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. Tunc novissima inimica destruetur mors, et quidquid nobis resistit ex infirmitate carnis, unde nobis perfecta pax nondum est, consumetur omnino, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem. Unde et illius civitatis muri, quæ Jericho appellatur, quæ in hebræo eloquio luna interpretari dicitur, septimo circuitu circumacta Testamenti arca corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cælorum, quam circumactio arcæ significavit, nisi ut omnia munimenta mortalis vitæ, id est, omnis spes hujus sæculi, quæ resistit spei futuri sæculi, in dono septenario Spiritus sancti per liberum arbitrium destruat? Ob hoc enim circumeunte arca, non impulsu violento illi muri ceciderunt, sed sponte. Sunt et alia testimonia Scripturarum, quæ nobis ingerunt per commemorationem lunæ Ecclesiæ significationem, quæ in ista mortalitate ab illa Jerusalem, cujus cives sancti Angeli sunt, in ærumnis et laboribus peregrinatur.

XI. Non ideo tamen putare debent stulti, qui nolunt in melius commutari, adoranda esse illa luminaria, quia ducitur ex eis aliquando similitudo ad divina mysteria figuranda: ex omni enim creatura ducitur. Nec ideo debemus in sententiam damnationis irruere, quæ ore aposto-

¹ Psal. LXXXVIII, 38. — ² Id. LXXI, 7. — ³ Josuë, VI, 15.

lico de quibusdam profertur, qui coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula¹. Sicut enim non adoramus pecora, quamvis dictus sit Christus et agnus et vitulus²; nec feram, quia dictus est leo de tribu Juda³; nec lapidem, quia petra erat Christus; nec montem Sion, quia in ipso figuratur Ecclesia⁴: sic nec solem nec lunam, quamvis ex ea cœlesti creatura, sicut ex multis terrestribus, sacramentorum figuræ ad informationes mysticas assumantur.

XII. Quapropter Mathematicorum deliramenta cum detestatione irridenda sunt: quibus cum objecerimus vana commenta, unde homines in errorem præcipitant, quo prius præcipitati sunt, garruli sibi videntur, cum dicunt nobis, Cur et vos ad solis et lunæ computationem Pascha celebratis? quasi nos ordines siderum, aut vicissitudines temporum a summo atque optimo Deo conditas arguamus, et non eorum perversitatem, quæ rebus sapientissime conditis ad stultissimas opiniones abutitur. Nam si Mathematicos nobis contradicturus est de sideribus et luminaribus cœli ad sacramenta mystice figuranda similitudines ducere, contradicant et augures ne dicatur nobis: « Es » tote simplices ut columbæ. » Contradicant et marsi, ne dicatur nobis; « Astuti sicut serpentes⁵. » Contradicant histriones, ne in Psalmis citharam nominemus. Aut quia ex his rebus ad mysteria verbi Dei, similitudinum signa sumuntur, dicant, si placet, vel auspicia nos captare, vel venena conficere, vel theatricas affectare luxurias, quod dementissimum est dicere.

XIII. Non igitur nos de sole et luna, annuis mensurisve temporibus actionum nostrarum eventa conjicimus, ne in vitæ humanæ periculosissimis tempestatibus

¹ Rom. I, 25. — ² Joan. I, 29. — ³ Ezech. XLIII, 19. — ⁴ Apoc. V, 5. Matth. XXI, 42. I Petr. II, 4. — ⁵ Matth. X, 16.

tanquam in scopulos miseræ servitutis illisi, et libero arbitrio naufragemus: sed ad rem sacratè significandam similitudines aptas religiosissima devotione suscipimus, sicut de cætera creatura, de ventis, de mari, de terra, de volatilibus, de piscibus, de pecoribus, de arboribus, de hominibus, ad sermonem quidem multipliciter, ad celebrationem vero sacramentorum jam Christiana libertate parcissime; sicut de aqua, de frumento, de vino, de oleo. In servitute autem veteris populi etiam multa celebrari imperata sunt, quæ nobis tantummodo intelligenda traduntur. Non itaque dies observamus et annos et menses et tempora, ne audiamus ab Apostolo: « Timeo vos ne » forte sine causa laboraverim in vos¹. » Eos enim culpatur qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur: vel, proficiscar ut prospera cedant, quia ita se habet positio siderum. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem: vel agam, quia suscepit mensem. Non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur observatores temporum reprehendendos, qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est; aut non navigem, quia adhuc sunt hybernæ reliquiæ; aut tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiata est: vel si qui forte alii naturales effectus circa motum aëris et humores ad variandas temporum qualitates in siderum ordinatissima conversione notati sunt, de quibus dictum est cum conderentur? « Et sint » in signis, et temporibus, et in diebus et in annis². » Si quæ autem figuræ similitudinum non tantum de cælo et de sideribus, sed etiam de inferiori creatura ducuntur ad dispensationem sacramentorum, eloquentia quædam est doctrinæ salutaris, movendo affectui discipulorum accommo-

¹ Gal. iv, 11. — ² Gen. 1, 14.

data a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritalia, a temporalibus ad æterna.

XIV. Nec quisquam nostrum attendit quod eo tempore, quo Pascha celebramus, sol in ariete est, sicut illi appellant quemdam siderum locum, ubi revera mense novorum sol invenitur: sed sive illi arietem, sive aliquid aliud eandem partem cœli vocare voluerint, nos de Scripturis sanctis hoc dicimus, quod omnia sidera Deus condidit, et locis cœlestibus quibus voluit, ordinavit: quæ stellis distincta, et ordinata in quaslibet partes dividant, quibuslibet vocabulis notent ubicumque sol esset mense novorum, illic eum reperiret hæc celebratio, propter similitudinem sacramenti renovandæ vitæ, de qua satis supra disseruimus. Quod si etiam locus ille siderum aries vocari posset, propter aliquam figuræ congruentiam, neque de hujusmodi timeret sermo divinus aliquam sacramenti similitudinem ducere; sicut de aliis non solum cœlestibus, sed etiam terrestribus creaturis; sicut de Orione et Pleiadibus; sicut de monte Sina et de monte Sion; sicut de fluminibus quæ vocantur, Geon, Phison, Tigris, Euphrates: sicut de ipso toties in sanctis mysteriis nominato fluvio Jordane rerum figurate insinuandarum mysticas similitudines adduxit.

XV. Sed quantum intersit inter siderum observationes ad aërias qualitates accommodatas, sicut agricolæ vel nautæ observant; aut ad notandas partes mundi cursumque aliquo et alicunde dirigendum, quod gubernatores navium faciunt, et ii qui per solitudines arenosas in interiora Austri nulla semita certa vel recta gradiuntur; aut cum ad aliquid in doctrina utili figurate significandum, fit nonnullorum siderum aliqua commemoratio: quantum ergo intersit inter has utilitates, et vanitates hominum ob hoc observantium sidera, ut nec aëris qualitates, nec re-

gionum vias, nec solos temporum numeros, nec spiritualium similitudines, sed quasi fatalia rerum jam eventa perquirant, quis non intelligat?

XVI. Sed jam deinceps videamus cur etiam id observetur, cum Pascha celebratur, ut sabbatum occurrat: hoc enim proprium Christianæ religionis est. Nam Judæi mensem novorum tantummodo et lunam observant a quarta-decima usque ad vicesimam-primam. Sed quia illud eorum Pascha (45), quo passus est Dominus, ita occurrit, ut inter mortem ejus et resurrectionem medius esset sabbati dies, addendum patres nostri censuerunt: ut et nostra festivitas a Judæorum festivitate distingueretur; et quod non frustra factum esse credendum est ab illo, qui est ante tempora, et per quem facta sunt tempora, et qui venit in plenitudine temporum, et qui potestatem habebat ponendi animam suam et iterum recipiendi eam, et ideo non fatalem, sed opportunam sacramento, quod commendare instituerat, horam expectabat, cum diceret, « Non dum venit hora mea¹, » in anniversaria passionis ejus celebratione a posteris servaretur.

XVII. Quod enim nunc, ut superius dixi, fide ac sperimus, atque ut ad id perveniamus dilectione satagimus, requies est quædam ab omni labore omnium molestiarum sancta atque perpetua: in eam nobis ex hac vita fit transitus, quem Dominus noster Jesus Christus sua passione præmonstrare ac consecrare dignatus est. Inest autem in illa requie non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosæ. Sic enim ab hujus vitæ operibus in fine requiescitur, ut in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, sine labore membrorum, sine angore curarum, non ad eam sic transitur per quietem, ut ipsi labor succedat, id est, non

¹ Joan. II, 4.

sic esse actio incipit, ut esse desinat quies: neque enim reditur ad labores et curas; sed permanet in actione quod ad quietem pertinet, nec in opere laborare, nec in cogitatione fluctuare. Quia ergo per requiem ad primam vitam reditur, unde anima lapsa est in peccatum, propterea sabbato requies significatur. Illa autem vita prima, quæ de peregrinatione redeuntibus, et primam stolam accipientibus redditur, per unam sabbati, quem diem Dominicum dicimus, figuratur. Quære septem dies Genesim legens, invenies septimum sine vespera, quia requiem sine fine significat. Prima ergo vita non fuit sempiterna peccanti: requies autem ultima sempiterna est, ac per hoc et octavus sempiternam beatitudinem habebit, quia requies illa, quæ sempiterna est, excipitur ab octavo, non extinguitur: neque enim esset aliter sempiterna. Ita ergo erit octavus qui primus, ut prima vita non tollatur, sed reddatur æterna.

XVIII. Sabbatum tamen commendatum est priori populo in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti. Nusquam enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo sabbato dictum est: « Et sanctificavit Deus diem septimum¹. » Amant enim requiem sive piæ animæ sive iniquæ; sed qua perveniant ad illud quod amant, plurimæ nesciunt: nec aliquid appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quod animæ amoribus suis. Nam sicut corpus tandiu nititur pondere, sive deorsum versus, sive sursum versus, donec ad locum quo nititur veniens conquiescat; pondus quippe olei si dimittatur in aëre, deorsum; si autem sub aquis, sursum nititur: sic animæ ad ea quæ amant propterea nituntur, ut perveniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed

¹ Gen. II, 3.

non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna; et propterea magis sordidant animam, et aggravant potius, ut sincerum ejus pondus, quo in superna fertur, impediant. Cum ergo anima seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur; et ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus. Nec in tali peccato impunita relinquitur, quia « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ¹. » Cum autem Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat. Proinde admonetur in Psalmo; « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui ². »

XIX. Quia ergo « charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis ³, » ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, ubi requies commendatur. Quia vero nec bene operari possumus, nisi dono ejus adjuti, sicut dicit Apostolus: « Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate ⁴, » nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra, quæ in hac vita gerimus, nisi ejus dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti, propterea de ipso Deo dicitur; quia « Cum fecisset omnia opera valde bona, septimo die requievit ab omnibus operibus suis, quæ fecit ⁵. » Futuram enim requiem significabat, quam post bona opera daturus erat nobis hominibus. Sicut enim cum bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cujus munere bene operamur: ita cum requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus.

XX. Hinc est quod etiam in tribus primis præceptis Decalogi quæ ad Deum pertinent, (cætera enim septem ad

¹ Jacob. iv, 6. — ² Psal. xxxvi, 4. — ³ Rom. v, 5. — ⁴ Philip. ii, 13. — ⁵ Gen. i, 31, et ii, 2.

proximum pertinent, id est, ad hominem, quia in duobus præceptis tota Lex pendet ¹.) tertium ibi de observatione sabbati positum est: ut in primo præcepto Patrem intelligamus, ubi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo; non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse; nec ipsa pro illo sed cum illo. Et quia creatura mutabilis est, ac propterea dicitur « omnis creatura vanitati » subjecta ², » quoniam natura universi etiam in parte monstratur, ne quisquam Filium Dei Verbum, per quod facta sunt, omnia putaret esse creaturam, sequitur aliud præceptum: « Non accipies in vanum nomen Domini Dei » tui ³. » Spiritus autem sanctus, in quo nobis illa requies tribuitur, quam ubique amamus, sed nisi Deum amando, non invenimus, cum charitas ejus difflunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis ⁴, quia sanctificavit Deus diem septimum in quo requievit, tertio præcepto Legis insinuat; quod scriptum est de observatione sabbati; non ut jam in ista vita nos quiescere existimemus, sed ut omnia quæ bene operamur non habeant intentionem, nisi in futuram requiem sempiternam. Memento enim maxime, quod jam supra commemoravi, quia « spes salvi facti sumus; spes autem quæ videtur non » est spes ⁵. »

XXI. Ad ipsum autem ignem amoris nutriendum et flandum quodammodo, quo tanquam pondere sursum vel introrsum referamur ad requiem, ista omnia pertinent, quæ nobis figurate insinuantur: plus enim movent et accendunt amorem, quam si nuda sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegori-

¹ Matth. xxii, 40. — ² Rom. viii, 20. — ³ Exod. xx, 7. Deut. v, 11. — ⁴ Rom. v, 5. — ⁵ Id. viii, 24.

cam significationem intimatum plus moveat, plus delectet, plus honoret, quam si verbis propriis diceretur apertissime. Credo quod ipse animæ motus quandiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur : si vero feratur ad similitudines corporales, et inde referatur ad spiritalia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, et tanquam in facula ignis agitatus accenditur, et ardentiore dilectione rapitur ad quietem.

XXII. Ideoque inter omnia illa decem præcepta solum ibi, quod de sabbato positum est, figurate observandum præcipitur; quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam suscepimus. Cum enim sabbato significetur spiritalis requies, de qua dictum est in Psalmo : « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus¹ : » et quo vocantur, homines ab ipso Domino dicente ; « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam : tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenientis requiem animabus vestris² : » cætera tamen ibi præcepta proprie sicut præcepta sunt, sine ulla figurata significatione observamus. Nam et idola non colere manifeste didicimus ; et non accipere in vanum nomen Domini Dei nostri, et honorare patrem et matrem, et non mœchari, non occidere, non furari, non falsum testimonium dicere, non concupiscere uxorem proximi, non concupiscere ullam rem proximi³, non figurate aliud prætendant, et mystice aliud significant ; sed sic observantur ut sonant. Observare tamen diem sabbati non ad litteram jubemur, secundum otium ab opere corporali, sicut observant Judæi : et ipsa eorum observatio, quæ ita præcepta est, nisi aliam quamdam spiritalem requiem significet, ridenda judicatur. Unde non inconvenienter intelligimus ad amorem excitantur.

¹ Psal. xliv, 11. — ² Matth. xi, 28. — ³ Exod. xx, 3, et Deut. v, 7.

dum, quo ad requiem tendimus, valere omnia quæ figurate in Scripturis dicuntur ; quandoquidem id solum in Decalogo figurate præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur, sed in solo Deo certa et sancta invenitur.

XXIII. Dies tamen Dominicus non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, et ex illo habere cœpit festivitatem suam. Animæ quippe omnium sanctorum ante resurrectionem corporis sunt quidem in requie, sed in ea non sunt actione, qua corpora recepta vegetantur. Talem quippe actionem significat dies octavus, qui et primus ; quia non aufert illam requiem sed glorificat. Non enim redit cum corpore difficultas ex corpore, quia nec corruptio. « Oportet enim corruptibile hoc indui incorruptionem, et mortale hoc indui immortalitatem¹. » Quapropter ante resurrectionem Domini, quamvis sanctos patres plenos prophetico spiritu octavi sacramentum nequaquam lateret, quo significatur resurrectio : (nam et pro octavo Psalmus inscribitur, et octavo die circumcidebantur infantes, et in Ecclesiaste ad duorum Testamentorum significationem dicitur, « Da illis septem et illis octo² : ») reservatum est tamen et occultatum, et solum celebrandum sabbatum traditum est ; quia erat antea requies mortuorum ; resurrectio autem nullius erat, qui resurgens ex mortuis, jam non moreretur, et mors illi ultra non dominaretur, ut postquam facta est talis resurrectio in corpore Domini (ut præiret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesiæ speraret in fine) jam etiam dies Dominicus, id est, octavus, qui et primus, inciperet celebrari. Ipsa etiam causa intelligitur, cur observandum Pascha, ubi ovem occidere et comedere jubentur, quod manifestissime passionem Domini præfigurat, non eis ita

¹ 1 Cor. xv, 53. — ² Eccle. xi, 2.

præceptum est, ut attenderent occurrere sabbatum, et cum mense novorum ad tertiam lunæ hebdomadam concurrere, ut eandem quoque diem Dominus potius sua passione signaret, qui etiam Dominicum, id est, octavum, qui et primus est, declaraturus advenerat.

XXIV. Attende igitur sacratissimum triduum crucifixi, sepulti, suscitati. Horum trium quod significat crux, in præsentem agimus vitam: quod autem significat sepultura et resurrectio, fide ac spe gerimus. Nunc enim dicitur homini: « Tolle crucem tuam, et sequere me ¹. » Cruciatum autem caro, cum mortificantur membra nostra, quæ sunt super terram, fornicatio, immunditia, luxuria, avaritia, et cætera hujusmodi, de quibus idem dicit; « Si secundum » carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta » carnis mortificaveritis, vivetis ². » Hinc etiam de se ipso dicit; « Mundus crucifixus est, et ego mundo ³. » Et alio loco; « Scientes, inquit, quia vetus homo noster simul » crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati, ut » ultra non serviamus peccato ⁴. » Quamdiu ergo id agunt opera nostra ut evacuetur corpus peccati, quamdiu exterior homo corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem, tempus est crucis.

XXV. Hæc sunt etiam bona opera quidem, tamen adhuc laboriosa, quorum merces est requies: sed ideo dicitur: « Spe gaudentes, » ut cogitantes requiem futuram, cum hilaritate in laboribus operemur. Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transverso ligno, ubi figuntur manus. Per manus enim opera intelligimus; per latitudinem hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias; per altitudinem vero cui caput adjungitur, expectationem retributionis de sublimi justitia Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, iis quidem qui secundum tolerantiam

¹ Matth. xvi, 24. — ² Rom. viii, 13. — ³ Gal. vi, 14. — ⁴ Rom. vi, 6.

boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem querentibus vitam æternam. Itaque longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat, unde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum autem quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfiguratur. Recordaris enim, nisi fallor, quæ verba Apostoli in ista designatione crucis expediam, ubi ait: « In charitate radicati atque fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum ¹. » Ea vero quæ nondum videmus, et nondum tenemus, sed fide et spe gerimus, in alio biduo figurata sunt. Hæc enim quæ nunc agimus ², tanquam clavis præceptorum in Dei timore confixi, sicut scriptum est, « Confige clavis a timore tuo carnes meas ³, » in necessariis deputantur, non in eis quæ per se ipsa appetenda et concupiscenda sunt. Unde illud optimum se dicit concupiscere, « dissolvi, et esse cum Christo. Manere autem in » carne necessarium, inquit, propter vos. Quod ergo inquit, dissolvi, et esse cum Christo ⁴, » inde incipit requies, quæ non interrumpitur resurrectione, sed clarificatur: quæ tamen nunc fide retinetur; « Quia justus ex fide » vivit ⁵. » An ignoratis, inquit, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo illi sumus per baptismum in » mortem ⁶. » Unde, nisi fide? Neque enim jam in nobis perfectum est, adhuc in nobismetipsis ingemiscimus, et adoptionem expectantibus, redemptionem corporis nostri. « Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non » est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem » quod non videmus speramus, per patientiam expectamus ⁷. »

¹ Ephes. 1, 3. — ² Bedæ vulgatus, Philip. 1. — ³ Psal. cxviii, SAMECH, 120. — ⁴ Philip. 1, 23. — ⁵ Habac. 11, 4. — ⁶ Rom. vi, 3. — ⁷ Id. viii, 24.

XXVI. Quod memento quam sæpe commemorem, ne jam nunc in ista vita nos beatos fieri debere arbitremur, et ab omnibus difficultatibus liberos; ac sic in angustiis rerum temporalium adversus Deum ore sacrilego murmuramus, quasi non exhibeat quod promisit. Promisit quidem etiam huic vitæ necessaria, sed alia sunt solatia miserorum, alia gaudia beatorum. « Domine, inquit, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, » exhortationes tuæ jucundaverunt animam meam¹. » Non ergo murmuramus in difficultatibus, ne perdamus latitudinem hilaritatis, de qua dicitur, « Spe gaudentes; » quia sequitur, « in tribulatione patientes². » Nova ergo vita in fide nunc inchoatur, et spe geritur: nam tunc perfecta erit, cum absorbebitur mortale a vita³, cum absorbebitur mors in victoriam, cum illa novissima inimica destruetur mors⁴, cum immutati fuerimus, et æquales Angelis effecti. « Omnes enim, inquit, resurgemus, sed non omnes immutabimur⁵. » Et Dominus, « Erunt, inquit, æquales Angelis Dei⁶. » Apprehensi enim sumus modo in timore per fidem, tunc autem apprehendemus in charitate per speciem. « Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur » a Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem⁷. » Ipse itaque Apostolus qui dicit, « ut apprehendam sicut apprehensus sum⁸, » aperte se non apprehendisse confitetur. « Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse, » Sed tamen quia ipsa spes ex promissione veritatis certa nobis est, cum diceret, « Consepulti igitur sumus illi per baptismum in mortem: » subjunxit et ait, « Ut quomodo surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris ita et nos in novitate vitæ ambulemus⁹. » Ambulamus

¹ Psal. xciii, 19. — ² Rom. xii, 3. — ³ 1 Cor. xv, 54. — ⁴ Ibid. 26. — ⁵ Ibid. 51. — ⁶ Lucæ, xx, 36. — ⁷ 2 Cor. v, 6. — ⁸ Philip. iii, 12 et 13. — ⁹ Rom. vi, 4.

ergo in re laboris, sed in spe quietis: in carne vetustatis, sed in fide novitatis. Dicit enim: « Corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis¹. »

XXVII. Hæc et ex auctoritate divinarum Scripturarum et universæ Ecclesiæ, quæ toto orbe diffunditur, consensione, per anniversarium Pascha celebrantur, in magno utique, sicut jam intelligis, sacramento. Et in Scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense novorum, a luna quarta-decima usque ad vicesimam-primam: ex Evangelio tamen, quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, et in sepultura fuerit, et resurrexerit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per Patrum concilia, et orbi universo Christiano persuasum est eo modo Pascha celebrari oportere.

XXVIII. Quadragesima sane jejuniorum habet auctoritatem, et in Veteribus libris ex jejunio Moysi et Eliæ; et ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit², demonstrans Evangelium non dissentire a Lege et Prophetis. In persona quippe Moysi, Lex; in persona Eliæ, Prophetæ accipiuntur, inter quos et in monte gloriosus apparuit; ut evidentiùs emineret quod de illo dicit Apostolus, « testimonium habens a Lege et Prophetis. » In qua ergo parte anni congruentius observatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contigua Dominicæ passioni? Quia in eâ significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, ut ab ipsius mundi amicitia jejunetur: quæ utique fallaciter blandiri, et illecebrarum fucos

¹ Rom. viii, 10. — ² Exod. xxxiv, 29. — ³ 3 Reg. xix, 8, et Matth. iv, 21.

circumspargere atque jactare non cessat. Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum, ita in hoc¹ mihi videtur exprimi: quia creatura, quæ septenario figuratur, adhæret Creatori, in quo declaratur unitas Trinitatis per universum mundum temporaliter annuntianda: qui mundus et a quatuor ventis delimitur, et quatuor elementis erigitur, et quatuor anni temporum vocibus variatur. Decem autem quater in quadraginta consummantur: quadragenarius autem partibus suis computatus, addit ipsum denarium et fiunt quinquaginta tanquam merces laboris et continentiae. Neque enim frustra ipse Dominus et quadraginta dies post resurrectionem in hac terra et in hac vita cum Discipulis conversatus est, et postea quam ascendit in cœlum, decem diebus interpositis promissum misit Spiritum sanctum, completo die Pentecostes: qui dies quinquagenarius habet alterum sacramentum, quod septies septem quadraginta novem fiunt; et cum reditur ad initium, qui est octavus, qui et primus dies, quinquaginta complentur: qui celebrantur post Domini resurrectionem, jam in figura non laboris, sed quietis et lætitiæ. Propter hoc et jejunia relaxantur, et stantes oramus, quod est signum resurrectionis (Unde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare observatur) et alleluia canitur, quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare Deum, sicut scriptum est: « Beati qui habitant in » domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt » te². »

XXIX. Sed dies quinquagesimus et in Scripturis commendatur, et non tantum in Evangelio, quia tunc Spiritus sanctus advenit, sed etiam in Veteribus libris. Nam

¹ Quadragenario. — ² Psal. LXXXIII, 5.

et ibi postea quam Pascha occiso agno celebraverant, dies quinquaginta numerantur usque ad diem quo Lex data est in monte Sina famulo Dei Moysi, digito Dei scripta: in libris autem Evangelii apertissime declaratur, digitum Dei significare Spiritum sanctum. Cum enim unus Evangelista dixisset: « In digito Dei ejicio dæmonia¹: » alius hoc idem ita dixit: « In spiritu Dei ejicio dæmonia². » Quis hanc lætitiæ divinorum sacramentorum, cum sanæ doctrinæ luce clarescunt, non præferat universis mundi hujus imperiis, etiam inusitata felicitate pacatis? Nonne tanquam duo Seraphim clamant ad invicem concinentia laudes Altissimi, « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus » Sabaoth³: » ita duo Testamenta fideliter concordantia sacratam concinunt veritatem? Occiditur ovis, celebratur Pascha, et interpositis quinquaginta diebus, datur Lex ad timorem scripta digito Dei. Occiditur Christus, qui tanquam ovis ad immolandum ductus est, sicut Isaias testatur⁴, celebratur verum Pascha, et interpositis quinquaginta diebus, datur ad charitatem Spiritus sanctus, qui est digitus Dei contrarius hominibus sua quærentibus, et ideo jugum asperum et sarcinam gravem portantibus, nec invenientibus requiem animabus suis; quia charitas « non » quærit quæ sua sunt⁵. » Ideo animositas hæreticorum semper inquieta est, quos magorum Pharaonis habere conatum, declarat Apostolus dicens: « Sicut enim Jamnes » et Mambres resisterunt Moysi, sic et ipsi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed » ultra non proficient. Dementia enim eorum erit mani- » festa omnibus, sicut et illorum fuit⁶. » Quia enim per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tertio defecerunt, fatentes sibi adversum esse Spiritum

¹ Luc. XI, 20. — ² Matth. XII, 28. — ³ Isai. VI, 3. — ⁴ Id. LII, 7. — ⁵ 1 Cor. XIII, 5. — ⁶ 1 Tim. III, 8. Bedæ vulgatus, ibid.

sanctum qui erat in Moyse. Nam deficientes dixerunt : « Digitus Dei est hic ¹. » Sicut autem conciliatus et placatus Spiritus sanctus requiem præstat mitibus et humilibus corde, ita contrarius et adversus immites ac superbos inquietudine exagitat. Quam inquietudinem muscæ illæ brevissimæ significaverunt, sub quibus magi Pharaonis defecerunt dicentes, « Digitus Dei est hic. »

XXX. Exodum lege, et vide ubi Pascha celebraverunt, post quot dies data sit Lex. Loquitur Deus ad Moysen in eremo Sina, die primo mensis tertii. Nota ergo unum diem ex ingressu ipsius tertii mensis, et vide quid dicat inter cætera. « Descende, inquit, testare populo, et purifica » illos hodie et cras, et lavent vestimenta sua, et sint parati in diem tertium. Tertia enim die descendet Dominus in montem Sina coram omni populo ². » Tunc data est Lex tertio scilicet die tertii mensis. Numera itaque a quarto decimo primi mensis die, quo factum est Pascha, usque ad diem tertium tertii mensis, et invenies decem et septem dies primi mensis, triginta secundi, tres tertii, qui fiunt quinquaginta. Lex in arca est, sanctificatio in corpore Domini, per cujus resurrectionem nobis requies futura promittitur, ad quam percipiendam Spiritu sancto charitas inspiratur. « Spiritus autem nondum erat datus, » quia Jesus nondum erat clarificatus ³. » Unde prophetia illa cantata est: Exurge, Domine, in requiem tuam, tu et » arca sanctificationis tuæ ⁴. » Ubi requies, ibi sanctificatio. Unde nunc ut amemus et desideremus, pignus accepimus. Vocantur autem ad requiem alterius vitæ, quo ab ista vita transitur, quod Pascha significat, omnes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

XXXI. Propterea quinquagenarius numerus ter multiplicatus, addito ad eminentiam sacramenti ipso ternario,

¹ Exod. viii, 19. — ² Id. xix, 20. — ³ Joan. vii, 39. — ⁴ Psal. cxxxii, 8.

et in illis magnis piscibus invenitur, quos jam Dominus post resurrectionem novam vitam demonstrans ¹, a dextera parte levare imperavit; nec retia rupta sunt, quia tunc hæreticorum inquietudo non erit. Tunc homo perfectus et quietus, purgatus in animo et in corpore per eloquia Domini casta, argentum igne examinatum terræ purgatum septuplum, accipiet mercedem denarium, ut sint decem et septem. Nam et in hoc numero sicut in aliis multiplices figuras exhibentibus, sacramentum mirabile reperitur. Nec immerito etiam Psalmus septimus-decimus in Regnorum libris solus integer legitur ², quia regnum illud significat, ubi adversarium non habebimus. Titulus enim ejus est. « In die qua eruit eum Dominus de manu » omnium inimicorum ejus, et de manu Saül. » Quis enim figuratur in David, nisi ille qui venit secundum carnem ex semine David? Qui utique in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos. Unde illi persecutori, quem voce mactavit, et in suum corpus trajiciens quodammodo manducavit, sonuit de cælo: « Saule, Saule, quid me » persequeris ³? » Quando autem eruetur hoc corpus ejus de manu omnium inimicorum ejus, nisi cum et illa novissima inimica destruetur mors? Ad hoc tempus pertinuit numerus ille centum quinquaginta-trium piscium. Nam et ipse numerus septimus decimus surgens in trigonum, centum quinquaginta trium summam complet. Ab uno quippe usque ad decem et septem surgens, omnes medios adde, et invenies: ad unum scilicet adde duo, fiunt utique tria; adde tria, fiunt sex; adde quatuor, fiunt decem; adde quinque, fiunt quindecim; adde sex, fiunt viginti-unum; adde ita cæteros, et ipsum decimum-septimum, fiunt centum quinquaginta tria.

XXXII. Hæc de Scripturis firmissime tenentur, id est

¹ Joan. xxi, 6. — ² 2 Reg. xxii, 2. — ³ Act. ix, 4.

Pascha et Pentecostes. Nam ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit; sic etiam ut octo dies Neophytorum distinguantur a cæteris, id est, ut octavus primo concinat. Ut autem alleluia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur: nam et aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique. Ut autem stantes in illis diebus et omnibus Dominicis oremus, utrum ubique servetur ignoro: tamen quid in eo sequatur Ecclesia, dixi ut potui, et arbitror esse manifestum.

XXXIII. De lavandis vero pedibus; cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, sicut ipse consequenter exposuit, quæsitum est quonam tempore potissimum res tanta etiam facto doceretur, et illud tempus occurrit, quo ipsa commendatio religiosius inhereret. Sed ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudine recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudinem auferre non dubitaverunt. Aliqui autem ut hoc et sacratiore tempore commendarent, et a baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum, quia et ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit, vel etiam ipsum octavum ut hoc facerent elegerunt.

XXXIV. Miror sane quid ita volueris; ut de iis quæ varie per diversa loca observantur, tibi aliqua scriberem, cum et non sit necessarium, et una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediatur, ut majora studiosorum lucra speranda

sint, quod calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maxime id quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis et psalmis canendis, cum et ipsius Domini et Apostolorum habeamus documenta et exempla et præcepta. De hac re tam utili ad movendum pie animum, et accendendum divinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est, et pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt; ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in ecclesia divina cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi ad turbas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus; cum in ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut antistes clara voce deprecatur, aut communis oratio voce diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis Christianis fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video.

XXXV. Quod autem instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda; liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quod multa quæ in divinis libris saluberrime præcepta sunt minus curantur; et tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas

in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.

XXXVI. Itaque illud quod scripsisti, quosdam fratres ita temperare se a carnibus edendis, ut immundas arbitrentur, apertissime contra fidem sanamque doctrinam est. Ex hinc ergo si diutius disputare voluero, potest putari a nonnullis obscure hinc Apostolum præcepisse; qui etiam inter multa quæ de hac re dixit, sic detestatus est hæreticorum impiam opinionem, ut diceret: « Spiritus » autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus » recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seduc- » tionis et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi mendaci- » loquorum, cauteriatam habentes conscientiam suam, » prohibentes nubere, abstinere a cibis, quos Deus crea- » vit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, » et iis qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura » Dei bona est, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum » actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei » et orationem¹. » Et alio loco de his rebus loquitur: » Omnia munda mundis: immundis autem et infidelibus » nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mentse » conscientia². » Tu ipse lege cætera, et recita quibus

¹ 1 Tim. iv, 1 et seqq. — ² Tit. i, 15.

potes, ut ne in se irritam faciant gratiam Dei, quia in libertatem vocati sunt; tantum ne libertatem in occasionem carnis assumant, et ideo jam nolint refrenandæ carnis concupiscentiæ causa a quibuslibet cibis temperare, quia non eis permittitur superstitiose atque infideliter facere.


XXXVII. Hi vero qui de paginis evangelicis sortes legunt (46), etsi optandum est ut hoc potius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo; ad negotia sæcularia, et ad vitæ hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.

XXXVIII. Hæc tibi si satis esse ad ea, quæ requisisti, non putaveris, nimis ignoras et vires et occupationes meas. Tantum enim absum ab eo, quod putasti nihil me latere, ut nihil in Epistola tua legerim tristius; quia et apertissime falsum est: et miror quia hoc te latet, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quam sciam. Sed ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero, quia non solum credidi Deo meo, in illis duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere¹, sed etiam expertus sum, experiorque quotidie; quandoquidem nullum mihi sacramentum, aut aliquis sermo admodum obscurior de sacris Litteris aperitur, ubi non eadem præcepta reperiam. « Finis enim præcepti est charitas de » corde puro, et conscientia bona et fide non ficta²; et » Plenitudo legis charitas³. »

XXXIX. Itaque et tu, charissime, sive ista sive talia, sic lege, sic disce, ut memineris verissime dictum, « Scientia » inflat, charitas ædificat. Charitas autem non æmulatur, » non inflat⁴. » Sic itaque adhibeatur scientia tanquam

¹ Matth. xxii, 40. — ² 1 Tim. i, 5. — ³ Rom. xii, 10. — ⁴ 1 Cor. viii, 1.

machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destructur; quæ ad finem charitatis adhibita multum est utilis; per se autem ipsa sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. Scio autem quam te cogitatio sancta custodiat sub umbraculo alarum Domini Dei nostri. Sed ideo hæc, etsi breviter, monui, quoniam novi eandem ipsam charitatem tuam, quæ non æmulatur, hanc epistolam multis daturam atque lecturam.



FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI-QUINTI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 256.

Is haud dubie est cui libros *de Ordine* nuncupavit Augustinus anno 386.


ANNOTATIO (2) pag. 257.

Nebridius *dulcis amicus* Augustini laudatur in Confessionum libris, maximeque in lib. ix, cap. 3, quo loco *non multo post* ejusdem Augustini *baptismum carne solutus* esse dicitur; id est, ante quam Augustinus presbyteratum adeptus fuisset, adeoque ante annum Christi 391. Porro ipsi scribere coepit Augustinus ex agro Cassiciaco juxta lib. ix, Confess. cap. 4, cum quem agrum aliquot menses anni exeuntis 386, et 387 ineuntis incoluit.

ANNOTATIO (3) pag. 270.

Editi, *per eas*. At MSS. magno consensu præferunt *per eos*, quod ad sensus refertur. Nam paulo supra dicitur, *nihil est aliud imaginatio sensibilibum rerum hoc in corpore, quam plaga inflicta per sensus*. Hinc intelliges in lib. de vera Religione cap. 34. n. 64 id quod

machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destructur; quæ ad finem charitatis adhibita multum est utilis; per se autem ipsa sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. Scio autem quam te cogitatio sancta custodiat sub umbraculo alarum Domini Dei nostri. Sed ideo hæc, etsi breviter, monui, quoniam novi eandem ipsam charitatem tuam, quæ non æmulatur, hanc epistolam multis daturam atque lecturam.



FINIS TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI-QUINTI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 256.

Is haud dubie est cui libros *de Ordine* nuncupavit Augustinus anno 386.

ANNOTATIO (2) pag. 257.

Nebridius *dulcis amicus* Augustini laudatur in Confessionum libris, maximeque in lib. ix, cap. 3, quo loco *non multo post* ejusdem Augustini *baptismum carne solutus* esse dicitur; id est, ante quam Augustinus presbyteratum adeptus fuisset, adeoque ante annum Christi 391. Porro ipsi scribere coepit Augustinus ex agro Cassiciaco juxta lib. ix, Confess. cap. 4, cum quem agrum aliquot menses anni exeuntis 386, et 387 ineuntis incoluit.

ANNOTATIO (3) pag. 270.

Editi, *per eas*. At MSS. magno consensu præferunt *per eos*, quod ad sensus refertur. Nam paulo supra dicitur, *nihil est aliud imaginatio sensibilibum rerum hoc in corpore, quam plaga inflicta per sensus*. Hinc intelliges in lib. de vera Religione cap. 34. n. 64 id quod

Augustinus adversus Manichæos dicit : *Date qui resistat sensibus carnis, et plagis quibus per illos in anima vapulavit.* Neque porro *infernas umbras*, a quibus hic Nebridium revocat, intelligere alias videtur præter phantasias seu phantasmata illa, quæ amplexabantur Manichæi ex lib. III. Confess. cap. 6, et lib. IX, cap. 4.

ANNOTATIO (4) pag. 274.

Basteria, vox qua apud Isidorum in Gloss. exponitur, *tecta manualis*, unde quibusdam videtur esse testatoria sella, aut lectica, quæ famulorum manibus portabatur. Aliis porro lectica jumentorum dorso imponi solita ex eodem Isidoro in Orig. lib. XX, cap. 12, hujuscemodi erat illa, de qua Gregorius Turon. in Franc. hist. lib. III, num. 26.

ANNOTATIO (5) pag. 306.

Aurelius Carthaginensis ecclesiæ episcopus creatus est forte anno 390, quippe hoc anno antecessor ipsius Genethlius præfuit concilio Carthaginensi II. At sub Aurelio habitum est Hipponense anno 393.

ANNOTATIO (6) pag. 309.

Nescimus an hic sit ille ipse, qui in lib. XXII, de Civitate Dei, cap. 8, laudatur episcopus quondam *Vzalensis beate memorie Saturninus*, quem videlicet anno 388. Carthagine simul cum Aurelio vidit Augustinus.

ANNOTATIO (7) pag. 309.

In Gervas. MSS. et aliis 5. scribitur, *Maximianus*, in Corb. *Macrovius*. Porro Maximinus Siniti in Hipponensi vicinia episcopus tunc Donatista, amplexus postea catholicam pacem ex Epist. 105, in eadem sede remansit. Ejus honorifice meminit Augustinus in lib. XXII, de Civit. Dei, cap. 8.

ANNOTATIO (8) pag. 340.

Hic dum proficisci disponit, creatur episcopus, et in brevi moritur, ex Epistola 71, adeoque istæ litteræ, quas primas ad Hieronymum, et a se adhuc presbytero datas ait ibidem Augustinus, perlatae non sunt hoc tempore. Profuturus porro is esse videtur, qui in lib. de unico Baptismo contra Petil. cap. 16, laudatur Cirtensis episcopus, et ad quem directa est Epistola 38. Meminit ejusdem Profuturi jam episcopi Paulinus in Epist. 32. Evodius demum in Epist. 158, n. 9. Profuturum quem olim in monasterio noverat, apparuisse sibi per somnium, et futurum aliquid prænuntiasset refert.

ANNOTATIO (9) pag. 345.

Laudatur S. Leontius in sermone 13, de Divers. cap. 2, diciturque condidisse basilicam appellatam ex ipsius nomine Leontianam : qua in basilica pronuntiati sermones aliquot Augustini prænotantur.

ANNOTATIO (10) pag. 346.

Extat Hipponensis concilii anno 393, celebrati canon concilio III. Carthaginensi insertus, *Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviventur.... Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest prohibeantur*, qui canon procurante haud dubie Augustino tunc presbytero editus fuit. Quippe Aurelium Carthaginensem paulo ante contestatus erat in Epist. 32, ut viis omnibus occurreret huic malo per totam Africam dudum grassanti; idque ipsi nisi concilii auctoritate tolli non posse insinuarat.

ANNOTATIO (11) pag. 350.

Præter istam natalis S. Leontii solemnitatem, quæ in mense Februario, sive post diem Quadragesimæ supra n. 3 designatum proxime occurrebat hoc anno 395. quo Pascha in 25. Martii incidit; altera celebrabatur circa festum Ascensionis, uti liquet ex sermone 23, de Divers. habito eo die, qui Ascensione Domini, et ipsius Leontii depositione sollemnis erat. Quanquam supra n. 3. suspicari quis possit legendum esse, *dies quadragesima illuxisset*, id est, dies Ascensionis: maxime quia conviviis et compotationibus, quibus sese dedere Catholici cupiebant, quibusque toto ille die dediti Donatistæ fuerunt, nusquam hic jejunii quadragesimalis religionem Augustinus opposuit.

ANNOTATIO (12) pag. 351.

Hanc ipsam ob causam Gregorius Thaumaturgus, teste vitæ ipsius scriptore Gregorio Nysseno, institutis in hono-

rem sanctorum Martyrum diebus festis indulgit, ut sese in iis fideles exhilararent. Eodem consilio adductus est Gregorius I. Papa ut hæc in lib. IX, epist. 71. Mellito Abbati Britanniam pergenti commendaret: *Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitius sanctorum Martyrum..... religiosis conviviis solemnitatem celebrent..... ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant.*

ANNOTATIO (13) pag. 352.

Ambrosium laudat in lib. VI, Confess. c. 2, qui Mediolani cibos ad sanctorum Memorias afferri vetuerit, ut *ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi parentalia superstitioni Gentilium esse facillima.*

ANNOTATIO (14) *ibid.*

Paumachus in uxoris suæ Paulinæ funere anno circiter 397 profusiores epulas pauperibus in S. Petri basilica apposuisse laudatur a Paulino in epist. ad eum scripta, apud Paulin. illustrat. pag. 29 et 30.

ANNOTATIO (15) pag. 353.

In sermone v de Diversis c. 4. *In ista, inquit, civitate, fratres mei, nonne experti sumus, quod recordatur nobiscum sanctitas vestra, quanto periculo nostro de ista basilica ebriositates expulerit Deus? Nonne se-*

ditione carnalium pene mergebatur nobiscum navis?
Quæ verba tamen aliquando sunt duriora, quam ut referri possint ad id quod Hyppone gestum hic narratur, videnturque dicta potius apud Carthaginem, seu apud civitatem in qua erant multi spectatores theatrorum.

ANNOTATIO (16) pag. 359.

Possidius c. 8. *Episcopatum, inquit, suscipere contra morem Ecclesie suo vivente episcopo presbyter recusabat; dumque illi fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis et Africanis ecclesie exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit..... Quod in se ipso postea fieri non debuisse ut vivo suo episcopo ordinaretur, et dixit et scripsit, propter concilii universalis (Nicæni) vetitum.* Porro hanc dignitatem adeptus est anno 395, juxta Prosp. Chron. imminente Christi Natali, ex Homil. xxv, int. 50.

ANNOTATIO (17) *ibid.*

Paulinus tunc Nolæ ab ecclesiasticis curis liber agebat. Quippe in Barcinonensi ecclesia presbyterum se consecrari vix consensit demum ea conditione, sicuti ad Severum in epist. vi scribit, ut eidem ecclesie non alligaretur: *in sacerdotium tantum Domini, inquit, non etiam in locum ecclesie dedicatus*: Quapropter Barcinone in die Natali Domini ordinatus, inde se Nolam recepit post Pascha insequentis anni 393 videlicet, aut 394. Hujus vero loci episcopatum ante annum 409 suscepisse ipsum non liquet.

ANNOTATIO (18) pag. 365.

Buccellatum vocabatur militaris panis ad bucellæ fere modum confectus, ut ad usum diurnitatem facilius excoqueretur, de quo Ammian. lib. xvii.

ANNOTATIO (19) pag. 381.

Hypponem intellige, quæ Romanæ civitatis suæ colonie jure gaudebat. Nam et Romana civitas appellatur in lib. ii contra Litteras Petil. c. 83, et Colonia in lib. xxii, de Civit. Dei, c. 8, n. 11.

ANNOTATIO (20) pag. 384.

Cognomen est inditum ab Urbe Roma. Hinc Zephirinus papa ab Optato in lib. i uti et Siricius a Paulino in epist. i ad Severum, vocatur Urbicus et in Conc. Arelat. i de diaconis Urbicis agitur, id est, Romanis.

ANNOTATIO (21) pag. 409.

Simplicianus ecclesie Mediolanensis antistes beatissimo successit Ambrosio ex lib. ii, Retract. c. 1, nempe anno 397. Nam Ambrosius pridie Paschatis, juxta scriptorem ipsius vitæ Paulinum, defunctus est; die scilicet 4 Aprilis, ex Martyrologiorum fide: porro autem Pascha in 5 Aprilis incidit anno 397.

ANNOTATIO (22) pag. 410.

Rhagades et lexochades a medicis refertur inter vitia sedis. ῥαγάς scilicet a verbo ῥήσσω *rumpo*, fissura est circa sedem in venis quæ a sanguinis fluore dicuntur hæmorrhoides. λέχοξ: vero ab ἐξίω *emineo*, tumor est in sede venis iisdem prominentibus.

ANNOTATIO (23) pag. 411.

Hic Megalius Calamensis episcopus et Numidiæ primas, cui in episcopatu forte Possidius, in primatu autem, uti ex conc. Carthaginiensi anni 397 intelligitur, Crescentianus successit, S. Augustinum ordinavit episcopum; cum in eum tamen adhuc presbyterum epistolam scripsisset iratus, cujus injuriæ veniam deprecatus in episcoporum concilio calumniam et falsitatem scripto condemnavit, ex lib. III, contra Litteras Petiliani, c. 16, lib. III, contra Cresconium, c. 80 et lib. IV, contra eundem, c. 64, etc. Huc forte an respiciunt, quæ post renuntiatam Megalii mortem, subjicit Augustinus. *Non desunt scandala*, etc.

ANNOTATIO (24) pag. 424.

Felix Aptuagitanus ordinat Cæcilianum; quem schismaticorum factio collecta Carthagine anno Christi 311 absentem damnavit, falso accusatum quod fuisset a traditoribus, iis nimirum qui Scripturas sacras in persecutione prodidissent, ordinatus, quodque diaconus cum esset victum afferri Martyribus in custodia constitutis prohibuisset, ex Brevic. collat. die 3, cap. 14.

ANNOTATIO (25) pag. 424.

Gesta notat apud Cirtam anno 305, confecta in concilio episcoporum undecim sive duodecim quibus præsidebat Secundus, tunc Numidiæ primas, non cathedræ, sed antiquitatis jure. Quippe in Africæ provinciis primatus haud erat certæ sedi addictus, præterquam in proconsulari in qua Carthaginensis episcopus ea præ eminentia perpetuo gaudebat. De præfato Cirtensis concilio agit Optatus in lib. I contra Parmenianum, ejusque acta refert Augustinus in lib. III contra Cresconium, cap. 27, ubi tamen error est in Consulum designatione, castigandus ex Brevic. collat. die 3, cap. 17.

ANNOTATIO (26) *ibid.*

Judices petierunt episcopos ex Gallia; quippe quæ *ab hoc*, ut aiebant, *facinore* traditionis de quo agebatur, *immunis* erat. Dati sunt Maternus Agrippinensis, Rheticius Augustodunensis, et Marinus Arelatensis, missique Romam cum aliis quindecim episcopis Italis; quorum in consessu Melchiades papa Cæcilianum innocentem esse pronuntiavit ex Optato in lib. I adversus Parmenianum, anno scilicet 313 juxta Aug. in lib. post collat. cap. 33.

ANNOTATIO (27) pag. 425.

Proconsulis Heliani sive Eliani sententia in Gestis hoc loco laudatis dicta secundum Felicem Aptungitanum refertur in lib. III contra Crescon. cap. 70. De iisdem Actis proconsularibus mentionem facit Optatus Milevit. perti-

nent ad annum Christi 314, teste Augustino in lib. post collat. cap. 33.

ANNOTATIO (28) pag. 428.

Missæ tractatoria, hic nihil aliud est quam synodica epistola. Nonnunquam vero diploma est publicæ evectio- nis usurpandæ, ut in Constantini edicto ad Ablavium PP. quo jubet tractorias dari episcopis ad Arelatense concil. venientibus.

ANNOTATIO (29) pag. 435.

Isthæc Gesta fuerunt confecta anno 320. Citantur in lib. III contra Crescon. cap. 29, et exhibentur in Bene- dictinorum editionis tomo IX in Appendice. Eorumdem etiam meminit Optatus in lib. I contra Parmenianum.

ANNOTATIO (30) *ibid.*

Has litteras habes in Gestis Zenophili, tomo XVIII.

ANNOTATIO (31) pag. 442.

Maximianus Carthaginensis diaconus Donatista Primiano episcopo suo infensus, auctor novi schismatis, extitit circa annum 393, *præcidens frustum de frusto*, ut ait Au- gustinus, in Enarrat. 2 in Psal. xxxvi, ubi et refert sy- nodicam epistolam Donatistarum Episcoporum qui Primia- num in Cabarsussitano concilio damnarunt, et in ejus lo- cum subrogarunt Maximianum. At anno proxime sequenti

habitu est a cæteris Donatistis Bagaiense concilium contra exortum schisma, damnatusque est ab iis Maximianus.

ANNOTATIO (32) pag. 444.

Eo pergebant episcopi ordinandi causa, uti dicitur in n. 13 in locum scilicet Profuturi post susceptum epis- copatum in brevi demortui. Huic succedebat Fortunatus, laudatus in lib. II contra Litteras Petiliani, cap. 99, et unus ex episcopis septem delectis ad causam catholicæ Ecclesiæ propugnandam in collatione Carthaginensi an- no 411.

ANNOTATIO (33) pag. 446.

Hinc Donatistas urgebat etiam Optatus in lib. II. *No- bis*, inquit, *totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat.* In codice can. Ecclesiæ Africæ extat XXIII canon, ut episcopus trans mare profecturus, *formatam* sumat a primate.

ANNOTATIO (34) pag. 447.

Macarius, cujus gesta in Catholicos calumniose objec- tabant Donatistæ, adeo ut ex ipsius nomine Macarianos illos appellarent, a Constante imperatore circa annum 348 missus fuit in Africam una cum Paulo, tum ut elemosy- nas erogaret in pauperes, tum ut singulos ad unitatem catholicam adhortaretur. Cui episcopi Donatistæ, in pri- mis Donatus Carthaginensis et Donatus Bagaiensis, vehe- menter obstiterunt; quin et in eum concitarunt Circum- cellionum furorem: e quibus permulti a militibus necati,

et Martyrum titulo apud Donatistas exornati; inter eos celebriores Marculus et Donatus, scilicet Bagaiensis. Alter autem Donatus cum iis, qui ad concordiam revocari nolent, fugam postmodum arripuit, sive in exilium relegatus fuit. Ex Optato, in lib. III, partim etiam ex Augustino, etc.

ANNOTATIO (35) pag. 450.

Interventor dicebatur, qui, vacante sede, regebat ecclesiam.

ANNOTATIO (36) pag. 454.

Coelicolarum nomen occurrit in legibus aliquot ab Honorio datis, quibus illi constitutas in hæreticos penas subire tenentur, nisi *aa. Dei cultum venerationemque Christianam conversi fuerint.*

ANNOTATIO (37) pag. 457.

Bagasta a *βαράζω*, bajulo, *ferculum est*, juxta Lexicon Jurid. *portandis rebus fiscalibus accommodatum*, bastagia vero dicebatur ipsum onus portandarum rerum per jumenta.

ANNOTATIO (38) pag. 465.

Quid sibi de hac re videretur jam alias aperuerat Augustinus in lib. I de libero Arbitrio, cap. 5, ubi demum Evodii sententiam comprobavit, n. 13. Eos videlicet apud divinam providentiam haudquaquam esse peccato liberos, qui pro iis rebus quas contemni oportet humana

cæde polluti sunt. Imbibit istam doctrinam propinante Ambrosio in lib. III de Officiis, cap. 4, hisce verbis: *Non videtur quod vir Christianus, et justus, et sapiens querere sibi vitam aliena morte debeat: utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referre non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contamineat.* Hausit etiam ex Cypriano, qui in Epist. LVI absolute pronuntiat: *Occidere non licet, sed occidi necesse est;* et in Epist. LVII: *Occidere innocentibus nec nocentem liceat.*

ANNOTATIO (39) pag. 474.

Bagaitanum concilium indicat a 310 episcopis adversus Maximianenses habitum, de quo jam supra in annot. ad Epist. XLIII. Cujus concilii sententia cum damnati fuissent præter alios Felicianus et Prætextatus, ambo ex duodecenario illo numero episcoporum, qui Maximianum ordinarant, effici non potuit unquam ut sedibus suis pellerentur, quamvis id, mota etiam contra eos lite apud duos vel tres Proconsules (quorum hic dicuntur *proconsularia Gesta* haberi) agere conati sint ipsorum adversarii: qui demum ipsos, Rogato licet jam in Prætextati locum ordinato, in suis honoribus receperunt, ex lib. I contra Gaudentium, cap. 39 et aliis locis: cogente nimirum Optato Gildoniano, ut dicitur in Epist. LIII.

ANNOTATIO (40) pag. 482.

In uno e Vaticanis codicibus, *Lino Cletus*, *Cleto Clemens* cui cæteri MSS. refragantur. Paulo post, pro *Anacletus*, habetur in plerisque MSS. *Anencletus*.

Deinde *Alexander* non post *Evaristum*, ut in editis et apud Optatum, in lib. II. Sed post *Soterem*, sublato prorsus *Eleutherii* nomine, sic recensetur in duodecim MSS. in quibus sunt Vaticani quatuor, *Soteri Alexander*, *Alexandro Victor*. Denique in iisdem codicibus desideratur infra *Marcellinus*.

ANNOTATIO (41) pag. 482.

Hanc appellationem sortiti sunt Donatistæ, ex eo quod ecclesiam Romæ primam in monte habere cœperint, juxta Hieronymum in Chron. ad annum 360, sive uti Optatus in lib. II refert, a spelunca, quam illic extra civitatem gradibus, (seu *eratibus*, ubi legitur in Germanensi MS.) seperant, ubi celebrabant conventicula sua : quæ haud dubie spelunca in editiore loco adiacebat. Hinc forte profectum etiam nomen *Cutzupitarum*, quod quidem sic legitur in plerisque MSS. At in editis sublato *t*, *Cuzupitarum*, et in duobus Vatican. MSS. *Cutrumpitarum*. An vero legendum hic *Scototopitarum*, deducta voce a *σκοτος*, *tenebræ*, et *τοπος*, *locus*; quo pacto V. C. Joannes Bapt. Cotelerius legi vult apud Isidor. in Orig. lib. VIII; qui in editis et in veteri codice Corbeiensi habet *Cotopitas*; et in alio Corb. MS. *Contopitas* an potius castigandus hic locus ex Hieronymo adversus Luciferianum, ubi editi aliqui, *Campitas*, alii habent *Campates*, haud facile dixerimus. Certe in lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 3, *Cutzupitani* appellantur.

ANNOTATIO (42) pag. 485.

Optatus, cui Gildoniano cognomen, ex eo quod cum Gildone comite tyrannidem in Africa exerceret, episcopus

fuit Donatista Gaudentii Thamugadensis decessor ex lib. I contra Gaudentium, cap. 38, unde Augustinus, in lib. II adversus Epist. Parmen. cap. 2, Donastis exprobrat, *Optatum Gildonianum decennalem totius Africæ gemitum*, (scilicet ab anno 388 ad 398; quo de satellitio Gildonis accusatus, in carcere extinctus est, ex lib. II contra Litteras Petiliani, cap. 92), *tanquam sacerdotem atque collegam honorantes, in communione tenuerunt*.

ANNOTATIO (43) pag. 495.

Ita visum est Irenæo, lib. IV, cap. 33; Tertulliano, lib. contra Judæos, cap. 10; Lactantio, lib. IV Institut. cap. 26; Ambrosio, de mystico Pascha, cap. 1.

ANNOTATIO (44) pag. 500.

Lov. et sol justitiæ non ortus est, etc. Abest autem vox *justitiæ*, a MSS. et antiquioribus editionibus, necnon a græca versione LXX. quam sequuntur Ambrosius vel quisquis est auctor, serm. III et XIV, et Gregorius, lib. XXXIV Moral. cap. 6, etc. At Vulgata habet, *sol intelligentiæ*.

ANNOTATIO (45) pag. 506.

Hic plane exprimitur duplex ratio, propter quam id a nobis in Paschatis celebratione servatur, ut Sabbati dies inter passionis et resurrectionis Dominicæ solemnitatem medius veniat : una scilicet; quod sic nostra festivitas a Judæorum festivitate distinguatur : altera ; quod non

frustra factum sit a Domino, ut inter mortem ejus, et resurrectionem medius esset dies sabbati.

ANNOTATIO (46) pag. 523.

Inter Capitularia regum Francorum, in tertio Capitulari anni 789 extat capitulum iv. *Ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortire præsumat, nec divinationes aliquas observare*, id quod ante venterant concilia Agathense, anni 509, can. 42; Aurelian. anni 511, can. 30; Antisiodorensis, anni 578, can. 4. Quonam autem modo fieret istud sortilegii penus per libros divinos, addisces ex Vatic. Cod. Stephani Baluzii notis in idem capitulum.

INDEX

TOMI CENTESIMI QUADRAGESIMI-QUINTI.

DE DIVERSIS QUESTIONIBUS OCTOGINTA TRIBUS, LIBER UNUS. pag. 3

DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS AD SIMPLICIANUM, LIBRI II. —
LIBER I. In quo Simpliciani quæstiones ex Epistola Pauli ad Romanos duæ tractantur. 145

— LIBER II. In cæteras quæstiones quinque vel sex a Simpliciano propositas ex libris Regum. 187

DE OCTO DULCITH QUÆSTIONIBUS, LIBER UNUS. — Quæstio I est, an baptizati peccatores exituri sint de gehenna. — II. An mortuis prosit oblatio quæ fit pro ipsis. — III. Utrum in adventu Domini mox futurum sit judicium, anve illi morituri sint, qui rapiuntur in nubibus obviam Domino. — IV. Quomodo justorum filiis benedictio in Psalmo promittitur. — V. (quæ novissimo loco tractatur) Quomodo electus David secundum cor Dei. — VI. Utrum Samuël per Pythonissam vere fuerit de inferno evocatus. — VII. Quomodo stuprum Abimelech et Pharaonis effugit Sara. — VIII. Denique de Spiritu Dei qui superferebatur super aquam, an ipse sit Spiritus sanctus. 217

EPISTOLARUM ORDO NOVUS.

CLASSIS I.

EPISTOLA I. Ad Hermogenianum.	231
II. Ad Zenobium.	236
III. Ad Nebridium.	257
IV. Ad Nebridium.	261
V. <i>Nebridii ad Augustinum.</i>	263
VI. <i>Nebridii.</i>	264

EPÍSTOLA	vii. Ad Nebridium.	pag. 265
	viii. <i>Nebridii ad Augustinum.</i>	270
	ix. <i>Prima ad Nebridium.</i>	271
	x. Ad Nebridium.	274
	xi. Ad Nebridium.	276
	xii. Ad Nebridium.	280
	xiii. Ad Nebridium.	281
	xiv. <i>Secunda ad Nebridium.</i>	283
	xv. Ad Romanianum.	287
	xvi. <i>Maximi Gram. Madaur.</i>	288
	xvii. Ad Maximum Gram. Madaur.	290
	xviii. Ad Coelestinum.	294
	xix. Ad Gaium.	295
	xx. Ad Antoninum.	297
	xxi. Ad Valerium episcopum.	299
	xxii. Ad Aurelium.	303
	xxiii. Ad Maximianum.	309
	xxiv. <i>Paulini ad Alypium.</i>	317
	xxv. <i>Paulini ad Augustinum.</i>	321
	xxvi. Ad Licentium.	325
	xxvii. Ad Paulinum.	336
	xxviii. Ad Hieronymum.	340
	xxix. Ad Alypium.	345
	xxx. <i>Paulini et Therasice ad Augustinum.</i>	354

CLASSIS II.

EPÍSTOLA	xxxii. Ad Paulinum.	357
	xxxiii. <i>Paulini ad Romanianum.</i>	363
	xxxiiii. Ad Procleianum.	370
	xxxv. Ad Eusebium.	375
	xxxvi. Ad Eusebium.	379
	xxxvii. Ad Casulanum.	383
	xxxviii. Ad Simplicianum.	409
	xxxviiii. Ad Profuturum.	410
	xxxix. <i>Hieronymi ad Augustinum.</i>	412
	xl. Ad Hieronymum.	413
	xli. Alypius et Augustinus ad Aurelium.	417
	xlii. Ad Paulinum et Therasiam.	421
	xliii. Ad Glorium, Eleusium, Felicem, etc.	422
	xliiii. Ad Glorium, Eleusium, Felicem, etc.	444
	xlv. Alypius et Augustinus ad Paulinum et Therasiam.	455

EPÍSTOLA	xlvi. <i>Publicolæ ad Augustinum.</i>	pag. 456
	xlvii. Ad Publicolam.	461
	xlviii. Ad Eudoxium.	467
	xliv. Ad Honoratum.	470
	l. Ad Suffectanos.	472
	li. Ad Crispinum.	473
	lii. Ad Severinum.	478
	liii. Ad Generosum.	480
	liiii. Ad Januarium.	487
	lv. Ad Januarium.	494

ANNOTATIONES.

525

EXPLICIT INDEX.

